







FRITZSCHIORUM

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDERUNT

Dr. CHRIST. FRID. FRITZSCHE

THEOLOGUS HALENSIS.

Dr. CAROL. FRIDER. AUGUST. FRITZSCHE

THEOLOGUS ROSTOCHIENSIS.

OTTO FRIDOLINUS FRITZSCHE

THEOLOGUS TURICENSIS.



LIPSIAE

SUMTIBUS FRIDERICI FLEISCHERI.

1838.

CAROLO FRIDERICO BRESCIO

AMICO INTEGERRIMO.

QUINQUAGINTA ANNOS

IN MUNERIBUS GRAVISSIMIS

CUM

SUMMA FIDE FELICITATEQUE TRANSACTOS

GRATULANTUR

FRITZSCHII

INTERPRETE PATRE.

Decem fere anni effluxerunt, ex quo gratum animum *Tibi*que, mi *Bresci*, unice deditum ita publice declaravi, ut primam de commentationibus meis Halensibus, quae erat de revelationis notione biblicâ, *Tuo* nomini inscriberem. Accipe nunc dissertationum maximam partem exegeticarum volumen, quarum alias a me ipso, alias a filiis meis natu maximo et minimo scriptas esse videbis. Hi enim, ut *Tute* scis, ambo Theologi sunt; tertius autem operam suam conferre, quum valde cuperet, non potuit, propterea quod ejus studia in alio quodam literarum genere versantur. Sed quia esse non pauci dicebantur, qui libellos hosce academicos emere non nollent et frustra tamen quaesivissent, ea nobis causa fuit omnes in unum colligendi edendique collectos. Et a me quidem, nisi forte paucissima, nihil mutatum invenies; uti enim nuper de rebus hîc expositis statui, ita etiamnum judico, nec quae a doctissimis viris, quos caeteroquin maximi facio, hîc illîc opposita sunt, re iterum iterumque perpensâ eam apud me vim habuerunt, ut sententiam meam temere mutarem. Contra filii mei in suis dissertationibus satis multa vel addiderunt, vel denique mutarunt; Rostochi-

ensis quidem adjecit etiam tres commentationes nunc primum editas, unam de formulâ Petrinâ *τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθαι*, alteram de vocibus Paulinis Rom. VIII, 17. et Gal. IV, 7., tertiam de vocabulis *καραδοκεῖν*, *ἀποκαραδοκεῖν* et *ἡ ἀποκαραδοκία*.

Tu vero munusculum, oblatum illud a filiis, qui *Te* a pueris venerati sunt et amarunt, redamati etiam a *Te*, in optimam partem quaeso accipias eisque benevolentiam *Tuam* atque amorem conserves.

Enim vero pergratum nobis accidit, quod hic liber, quasi quidam pietatis nostrae publicus interpres, anno ipso saeculari Tuo *Tibi*, Vir summe, tradetur. Quamquam enim diem *Tuum* saecularem non novimus, tamen anno MDCCLXXXVIII ad sacra faciunda *Te* accessisse compertum habemus. Nunc quoniam hic liber jam ineunte anno MDCCCXXXVIII prodibit, magno nobis honori recte ducimus, quod nostra gratulatio prima haud dubie futura est. Nec profecto inter eos, qui raram *Tibi* felicitatem gratulabuntur (gratulabuntur autem plurimi) alius esse quisquam potest, qui *Te* aut pluris faciat, aut amet impensius. *Tu, mi Bresci,* ut primum coram *Te* novisse mihi contigit, favore amicitiâque singulari me et meos omnes ornasti, *Tu* consilio, auctoritate, operâ, studio omnibus in rebus mihi praesens adfuisti, *Tu* animum vere fraternum mihi probasti, certus omni tempore amicus in rebus etiam incertissimis.

Nam quum *Tu* in concilio senatuque Francofurtensi unâ sum *Ulto* nostro, quem honoris causâ nomino, aliisque praestantissimis viris res nostras ecclesiasticas scholasticasque studio indefesso, egregiâ sci-

entiâ et majore etiam fide ac religione gubernares, ego autem Ephori Dobrilugensis officio fungerer, munerum nostrorum rationes, ut frequentissimum inter nos esset epistolarum commercium, per annos duodecim postularunt. Ita factum est, ut quae perlecta essent, de communibus literis cogitata, scripta etiam, ut in lucem ederentur, nobiscum invicem communicaremus. Quantum illo tempore a *Te* profecerim, memini, neque unquam obliviscar, ut qui nunc egregias res discerem, nunc errorem *Te* auctore deponerem, ingenii vero *Tui* acumen, praeclaram iudicandi facultatem eruditionisque copias saepenumero admirarer. Ceterum quod et ipse, si quid mihi minus forte probasses, libere *Tibi* adversabar, et beatus *Muzelius*, vir animi candore veritatisque amore *Tui* simillimus, suum interponere judicium solebat: ideo in literis nostris haud raro satis acriter pugnatum est. Quae ipsae tamen pugnae tum suavissimae nobis fuerunt, tum mihi certe utilissimae; sine ullâ enim sententiae obstinatione et pervicaciâ nihil aliud pro se quisque, quam invenire verum studebamus. Omnino quibus virtutibus libri, qui a *Te* editi sunt, elegantissimi excellunt, iisdem etiam epistolae *Tuae* ad familiares datae nitent, quas ego nunc solutis munerum nostrorum vinculis rariores rarioresque a *Te* accipio. Veruntamen relego literas *Tuas* intra illos duodecim annos mihi redditas, temporumque praeteritorum memoriam repeto cum mirâ quâdam voluptate.

Neque vero ego solus plurimum *Tibi*, mi *Bresci*, debeo, sed etiam alii permulti beneficiis *Tuis* obstricti sunt, propinqui, amici, collegae, adde centenos sacer-

dotes fidei *Tuae* commissos, quibus quidem omnibus *Te* scito esse carissimum. Etenim *Brescium* nosse, est amare, est suspicere et in deliciis habere. Quamobrem hoc inprimis anno *Tuo* saeculari, quo meritorum *Tuorum* gravissimorum memoria recoletur, plurimi alii pro *Tuâ Tuorum* salute preces ad Deum O. M. mecum facturi sunt. Annuat igitur Deus piis votis nostris *Te*que optimâ valetudine florentem et illibato mentis vigore, quam fieri diutissime potest, nobis conservet; uxorem egregiam, filias eximias, spectatissimos generos, nepotes magnae spei et omnes *Tuos* felices esse fortunatosque jubeat!

Opinione citius senectus obrepit; antiquis abolitis nova in lucem prodeunt: quin etiam hodie, quum a calce, ad quam decurrendum nobis est, proxime absimus, juventutem nostram atque illorum temporum voluntatem comparanti pleraque mutata sunt. Sed ut omnia vetustate deleantur, nobis tamen, mi *Bresci*, dum spirabimus, haec tria certissime manebunt, fides, spes, amor: primas vero tenet amor semperque tenebit.

Scribebam Halae ipsis calendis Januariis
MDCCCXXXVIII.

Chr. Fr. Fritzsche.

DESIGNATIO COMMENTATIONUM.

Christiani Friderici Fritzsche

Theologi Halensis

COMMENTATIO

quâ illustretur

locus de Jesu Januâ ovium eodemque pastore

Joh, 10, 1 seqq.*).

Oratio Servatoris Joh. X, 1 sqq. inde ab antiquissimis temporibus interpretes admodum exercuit, ingentemque opinionum molem peperit. Nam summis difficultatibus laborare visa est, quia neque, quo vinculo cum cap. IX, 35 seqq. cohaereret, satis appareret, et oratoris consilium orationisque argumentum obscurius existimaretur, et nonnullae etiam voces et formulae minus planae ac dilucidae putarentur.

Jam totam hanc orationem cap. X, 1 — 18. cum iis, quae cap. IX. leguntur, cohaerere, nonnulli interpretes negarunt, qui divinum magistrum hoc alio tempore, quam quo et homini caeco, quem sanaverat, esse se Dei filium, persuaserat, et Pharisaeis mentis caecitatem exprobraverat (cf. cap. IX, 35 seqq.), dixisse censuerunt. Ita nimirum totius loci obscuritas inde proficisceretur, quod ignoraremus, tum quo tempore Jesus quae hoc loco leguntur disputavisset, tum quae eum res, ut ejusmodi disputationem ali-

*) Scripta est haec commentatio ad indicenda eorum nomina, qui in certamine literario in d. III. mens. Augusti A. MDCCCXXXIV solemnium Regis Augustissimi natalitiorum causa indicto in academiâ Halensi praemio sunt ornati.

quandô iniret, movisset, cfr. *Schulzius* in observatt. ad h. l.*) et *Bertholdti* verosimilia de origine Evangelii Johannis in ejus Opuscc. academm. a *Winero* (Lipsiae 1824.) editis p. 22.

At huic sententiae rationes obstant gravissimae. Primum enim quemvis cordatum scriptorem clarorum virorum orationes, longas maxime et graves, non decet simpliciter referre, sed, ut eae a lectoribus recte intelligantur, ubi et quando et apud quos et quâ re adducti illi concionati fuerint, addere eum oportet. Hanc legem, quam sana ratio subministrat, Johannes, quotiescunque Servatoris orationes libro suo intexeret, religiose observavit, cfr. cap. VI, 25 seqq. cap. VII, 14 seqq. 37 seqq. cap. VIII, 12. 20. 30 seqq. cap. X, 22. 38. al. Migraret autem illam legem, si *Schulzii, Bertholdti* aliorumque sententia vera esset**).

---

*) *Schulzii* verba haec sunt: „*Ich finde keinen einzigen Ausdruck in dieser ganzen Rede Jesu, der durch das im vorigen Capitel von Jesu Gesagte mehr Licht erhielt, ja auch nur eine Beziehung auf dasselbe hätte .... Mir ist's viel wahrscheinlicher, dass diess, wie fast alle von den Evangelisten aus dem Gedächtnisse niedergeschriebene, nicht dem Redenden sogleich aus dem Munde nachgeschriebene Reden Jesu, ein Fragment von einer andern Unterredung desselben mit jüdischen Lehrern sei, deren Veranlassung Johannes nicht erzählt, vielleicht selbst nicht wusste, und in der er selbst wohl Manches auslässt, das nur für eine bestimmtere Interpretation nützlich gewesen wäre.*" Jure contra *Schulzium* dixit *Langius* in libro: *Das Evangelium Johannis übersetzt und erklärt von Samuel Gottlieb Lange* (Vimar. 1797.) p. 296.

**) *Kuinoelius, Lückius, Tholuckius et Meyerus* (in libro *Kritisch-exeget. Commentar über das N. Testament.* Gotting 1834.), quum orationem, quae coram Pharisaeis cap. IX, 40. diceretur, cap. X, 1. continuari e formulâ ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, quae in orationis exordio poni nequeat, sed non nisi ante dicta continuet et accuratius explicet, patere contenderunt, haud dubie errarunt. Videntur enim illius formulae vim non satis perpendisse, quae hoc absolvitur, ut *rem, quae deinceps afferatur, graviter asseveret: sanctissime vobis affirmo, profecto, ita me Deus amet, ut* etc. Licuerat ergo Jesu, novam quandam orationem his verbis ordiri: ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Temere quidem morum magistrum reprehenderes, qui concione vocatâ coronam his verbis compellasset: *Ita me Deus amet*, ut pessime vobiscum agatur, nisi ad sancta numinis praecepta vitam et studia vestra plane conformaveritis. Quid quod Christus ab hominibus interrogatus colloquia sua identidem his verbis exorsus est, cfr. Joh. III, 3. cap. VI, 26. Quare non assentior Ven. *Tholuckio*, qui ad nostrum locum haec annotavit: *das doppelte*

Deinde versus vigesimus primus ei, quam impugnamus, sententiae nocet. Ibi qui mitius de Jesu statuerent eumque a daemone malo inspiratum esse pernegarent, dixisse legimus: haec verba neutiquam sunt hominis a genio malo acti; num potest improbus daemon visum reddere caecis? Quibus verbis quum ad ea alludatur, quae cap. IX, 35 seqq. cum viro caeco ab Jesu sanato acta sunt, atque inde, homines, qui Jesu orationem, de quâ nunc sermo est, audivissent, Servatoris colloquio cum viro, quem paulo ante summo beneficio affecisset, facto cap. IX, 35 seqq. interfuisse, appareat, in promtu est, capite decimo orationem ad eosdem homines dirigi, quibuscum Jesus l. l. colloquutus sit.

Postremo orationis cap. X, 1 — 18. *argumentum* docet, eam quo tempore de mentis caecitate sibi objectâ cum Jesu expostulassent cap. IX, 40. 41., ad Pharisaeos conversam esse: quod qui recte perceperit, facile perspiciat, quid Jesum moverit, ut tum temporis diceret, quae eum dixisse Johannes cap. X. memoriae prodidit *).

Nimirum Jesus die quodam sacro hominem, qui caecus natus fuerat, oculatum fecerat miraculo, quod Pharisaei, hostes Jesu capitales, cognitione constitutâ in fraudem a Servatore factam detorquere conati sunt. Frustra. Libere enim homo caecigenus in ju-

---

ἀμήν lässt schon darauf schliessen (arcte cohaerere cap. X. cum antecedentibus), *welches immer einen Gegensatz zu etwas Vorhergehendem ausdrückt.*"

*) Ceterum quod Johannes locum, quo Jesus in virum ab se persanatum incidisset, non constituit cap. IX, 35., verisimile est, quae cap. IX, 35. — X, 21. narrantur, *Hierosolymis* gesta esse, cf. VIII, 59. IX, 1. Alioquin Johannes, quo loco Hierosolymis relictis Jesus positus cum illo viro et cum Pharisaeis congressus esset, indicare debuerat vid. supr. Rem gestam esse in viâ, quum Jesus Bethaniam contenderet, conspectoque ovium grege, qui in septum cogeretur, allegoriam ab ovibus repetitam cap. X, 1 seqq. Christum tum eloquutum esse, *Bengelius*, *Kuinoelius*, *Luickius* alii precario et sine idoneâ ratione sumserunt, ut bene monuit *Meyerus*. Saepe autem N. T. interpretes eo peccarunt, quod in similitudines, quas vel lectio Veteris Testamenti, vel usus hominum et vita, vel rei ratio facile suppeditasset, Servatorem fortuito incidisse finxerunt, quum oculos in res *casu* conjecisset, quae eum, ut aliquâ similitudine uteretur, monere potuisse videretur, ut in hominem, qui sementem faceret (cfr. *Kuinoelius* ad Joh. IV, 35.), aut in solem occidentem (cfr. *Paulus* ad Joh. VIII, 12.), aut in vineam, in quam conspectus esset (hoc nonnullis placuit Joh. XV, 1.).

dicium vocatus dixit, quid in se factum esset, multumque ac diu re examinatâ negari non potuit, patrasse Jesum summum miraculum. Ingenua viri professio, esse Jesum procul dubio a Deo ad homines legatum, bilem injustissimis judicibus adeo commovit, ut hominem in jus vocatum, apparitorum, ut arbitror, operâ curiâ ejicerent (cap. IX, 34. *καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω*).

Sunt interpretes (quibus nuper *Kuinoelius* et *Olshausen*. [in libro: *Biblischer Commentar über sämmtliche Schriften des N. Testam.* Tom. 2. p. 221.] adstipulati sunt, qui dicant, synedrii assessores illum hominem sacris prohibuisse*). Nititur haec sententia capitis noni versu vigesimo secundo, ubi legimus, edixisse senatum, ut, si quis Jesum *Messiam* professus esset, conventu sacro prohiberetur. Verumtamen hoc verbis *καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω* nude positis neque inest, neque inesse potest. Addendum fuerat *ἀπὸ* (*ἐκ*) *τῆς συναγωγῆς*, cfr. Act. VII, 57. cap. XIII, 50. Declarare verba *καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω et* c o n c l a v i *eum ejecerunt*, nempe apparitorum operâ, hoc loco non minus perspicuum est, quam Joh. VI, 37. Quippe quem Pharisaei arcessiverant cap. IX, 24., eum postmodo irâ perciti contumeliose *conclavi ejici* jusserunt.

Deinde illi interpretes e versu vigesimo secundo male argumentati sunt, quandoquidem homo sanatus Jesum non *Messiam*, sed *virum a Deo missum*, h. e. *prophetam* apud judices defenderat. Cfr. cap. IX, 33 et 17.

Denique mire *Olshausenius***) cap. IX, 35. contrarium doceri opinatur. Etenim hoc ipsum magni momenti erat, quod patres con-

---

*) *Vitringa* in Archisynagogo p. 336. unum hunc esse Novi Testamenti locum, quo homo coetu sacro exclusus esse dicatur, annotavit.

**) Is l. c. p. 221. haec scripsit: *Das ἐκβάλλειν ist keinesweges, wie* T h o l u c k *meint, das Entfernen des Menschen aus dem Sitzungssaale, es involvirt die Excommunication; nur in diesem Sinne erscheint das Factum als so bedeutend, wie es nach V.* 35. *genommen wird.“* *Tholuckius* (edit. IV. p. 183.) amico obsequutus est *(„Allein* O l s h a u s e n *bemerkt mit Recht, dass dann das Factum nicht so bedeutend erschiene, als es nach V.* 35. *dargestellt wird. Man nehme daher ἐκβάλλειν in dem Sinne, den es im Sprachgebrauche der christlichen Kirche erhalten hat, = aus der Kirchengemeinschaft ausstossen“)* citato *Suiceri* Thes. eccl. T. I. p. 1044. At e *Suicero* nihil discimus, nisi hoc, *ἐκβάλλειν* (*ἐκκόπτειν*, *ἀποβάλλειν*) *τ ῆ ς ἐ κ κ λ η σ ί α ς*, *ῥίπτειν ἐκ τ ῆ ς ἐ κ κ λ η σ ί α ς* apud patres eccles. valere *e coetu sacro* ejicere, quod non mirum est, nec solum *ἐκβάλλεσθαι a coetu sacro* excludi notare, nisi ubi *contexta oratio* clare ostendat, de exsilio ecclesiastico agi.

scripti graviter offensi hominem e loco, ubi jus dicebatur, *contumeliose* ejici jusserunt. Quae contumelia Hierosolymis multorum sermonibus celebrata ad Servatorem perferri poterat.

Quare postquam Jesus, quâ contumeliâ homo affectus esset, audivit, ex eo forte sibi obviam facto quaerit, habeatne fidem filio Dei? Cui vicissim quaerenti: quis ille est, Domine, ut fidem ei habeam? Jesus: et vidisti eum, inquit, et is est, qui tecum loquitur (cap. IX, 35 — 37.). Jam homo sanatus: ego vero, inquit, fidem habeo, Domine, et Jesum supplex veneratur. Tum Servator haec addit v. 39.: *εἰς κρίμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον, ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέπωσι, καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται.*

De his verbis haec habeto. Vocabula *εἰς κρίμα* de *consilio* dici (i. q. *ἵνα κρίνω*) eaque verbis *ἵνα — γένωνται* accuratius explicari, apparet, *ἵνα* (scilicet *ἐμοῦ κρίνοντος*) *οἱ μὴ βλέποντες βλέπωσι κ. τ. ἑ.* *Κρίμα* autem h. l. minime *sententiam condemnatoriam*, *poenam* indicat, ut tum aliis, tum nuper *Olshausenio* visum est. Nam deinceps etiam de ejusmodi hominibus sermo est, qui videndi facultatem accepturi sint (*ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέπωσι*), h. e. summum *beneficium*, non poenam habituri. Neque *discretionem*, *discrimen*, *die Scheidung* *κρίμα* significat, ut post *Lückium* putavit *Wahlius* in Clav. maj. et min. Hoc enim ab usu loquendi abhorret. Nam ut *κρίνειν discernere* Graecis declaret, tamen *discretionem* non dixerunt *κρίμα*, sed *κρίσιν* et saepius etiam *διάκρισιν*; ut hîc quoque rata sit vox: *usus est tyrannus.* Praeterea ne sententia quidem *Lückii* interpretationem recipit. Neque enim hoc consilio Christus ad genus humanum venit, *ut caeci ab oculatis discernerentur*, sed ut, hominum ratione commutatâ, caeci viderent, oculati caecutirent. Tum nec satis recte *Bretschneiderus* in Lexic. *κρίμα decretum divinum* (Rom. XI, 33.) explicuit; „veni, ut ratum faciam Dei decretum hoc etc.“ Nam *„divinum“* Vir doctiss. pro arbitrio addidit, et si Johannes *εἰς κρίμα θεοῦ* scripsisset, ne tum quidem hanc sententiam: veni, ut *ratum faciam* Dei *decretum* satis perspicue enuntiasset. Quin *κρίμα* h. l. *judicium*, *judicis sententiam* denotat, quâ iis fortuna assignatur, de quibus judicium exerceatur. Quare Jesus: ut judex sententiam feram, inquit, ad homines veni, nempe ut, quum judex sedeam, oculati caeci et caeci oculati sint (cap. III, 19. cap. XII, 31.). Idque factum est. Christus enim divinâ legatione religiose functus rem eo perduxit, ut homines imperiti, sed modesti et dociles res divinas mente perviderent, contra qui sibi, ut Pharisaei, Jesu re-

pudiato sapere viderentur, eos caecutire et in summo errore versari appareret.

Sententiam v. 39. non sine dolore Jesus protulit, quippe in Pharisaeorum arrogantiam et malevolentiam, quam expertus fuerat cap. IX, 24., intuitus. Jam amphiboliam captans *τοὺς μὴ βλέποντας generatim* eos dicit, qui videre nequeant, h. e. quum propter oculorum caecitatem, cujusmodi olim vir fuerat, in quem modo inciderat (haud dubie enim Jesus rationem habet miraculi paullo ante facti cap. IX, 6 seqq.), tum propter caecitatem mentis. Hoc pacto *οἱ μὴ βλέποντες* homines vocantur, qui caecutire, h. e. ingenio et eruditione parum florere existimantur et a viris doctis vulgo contemnuntur, sed qui idcirco, quod sentiunt, quam sint rudes, dociles sunt et affabiles, *οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι* Matth. V, 3. Talis quum homo sanatus paullo ante fuisset, mox evasit oculatus. Nam ab Jesu compellatus mentis acie tanquam in coelum penetravit et facile agnovit filium Dei debitumque ei honorem tribuit, cap. IX, 35 — 38. Tum *οἱ βλέποντες* homines sunt qui sibi videntur oculati esse, h. e. prudentes et perspicaces*).

---

*) Parum placet *Lückii* disputatio T. II. p. 270.: „*Auch ist es falsch, wenn man das οἱ μὴ βλέποντες und οἱ βλέποντες im geistigen Sinne nimmt, und jenes von der Armuth im Geiste, der Demuth, und dieses von dem eingebildeten Hochmuthe verstehen will.* (Sane neque v. οἱ μὴ βλέποντες homines *modestos* notant, neque vocc. οἱ βλέποντες homines *arrogantes* significant. Illa enim homines, *qui imperiti vulgo putantur*, haec homines, qui docti *quum aliis, tum sibi* videntur, declarant. Sed fuerunt illi tum temporis plerumque *modesti et dociles*, hi superbi et indociles, ut Pharisaei, cfr. Matth. V, 3. 1 Cor. 1, 27.). *Die Anspielung auf den Gegensatz des Blindgebornen und der Pharisäer mit gesunden Augen ist unverkennbar. Wird diese weggenommen und die entferntere Beziehung mit dem ursprünglichen bildlichen Sinne verwechselt, so verliert das ὀξύμωρον an Kraft und Feinheit.*“ Satis esse acutam et nervosam sententiam, si interpretationem a me initam probaveris, e meâ enarratione, quam supra posui, patere arbitror. Sed *Lückii* explicatio: — „*veni ad homines, ut oculis capti lucem adspicerent, et qui sanis essent oculis mente caecutirent*“ — vel propterea displicet, quod non quidem facti miraculi memoria cap. IX, 6 seqq., sed viri indocti et contemti *fides, quâ mentis caligo discussa fuerat* (v. 38.), Jesum, ut versum trigesimum nonum adjiceret, maxime movit. Accedit, quod haec explicatio sententiam nimis etiam acutam eoque subabsurdam in hunc locum inducit. Fuerunt sane *Pharisaei* sanis oculis, quibus mentis caecitatem Jesus ominatur; sed non omnibus oculatis caliginem et tenebras Jesus denuntiare

Pharisaeos perstringi, in promtu est, neque illud obscurum, vocem τυφλοί ad mentis caecitatem referendam esse. Itaque Jesus et virum contuitus, cui natalibus caeco lucem dederat miraculo, et qui a superbis Pharisaeis valde nuper contemtus (cap. IX, 28.) fide sibi habitâ vere sapere quam maxime coeperat (cap. IX, 38.), et Pharisaeorum arrogantiam, quâ ducti se Messiam non solum repudiaverant, sed etiam calumniati fuerant (cap. IX, 24.) recordatus, cum ingenti animi dolore hanc memorabilem vocem edidit: *Judicii ferendi causâ ad genus humanum accessi, nempe ut me judicium exercente caecis lux daretur* (et corpore quidem caecis lux oculorum, ut huic viro, iis contra, qui mente caecutire vulgo putantur, mentis perspicacitas, quâ res divinas intelligant, sicut eidem homini), *oculatis lux adimeretur*, h. e. ut homines sapientiae opinione temere inflatos (petuntur Pharisaei) in maximarum rerum ignoratione versari appareret.

Quae quum nonnulli Pharisaeorum, qui tum cum Jesu erant, audivissent, eum satis malitiose interrogarunt: num nos quoque caeci sumus (μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν;)? In his verbis valde titubatum est ab explicatoribus. Nam *Theodorus Mopsvestenus*, *Chrysostomus*, *Euthymius*, alii Pharisaeos, homines nimirum obtusos, Christi verba secus intellecta ad *oculorum* caecitatem retulisse autumant: „num nos quoque *oculis* capti sumus?" Ven. *Tholuckius* autem Pharisaeos Jesu sententiam bene perceptam de industriâ male de oculorum caecitate interpretatos esse, ut Servatorem deriderent, opinatur. Illi Pharisaeos nimis stultos finxerunt, *Tholuckii* autem admissâ sententiâ („*num nos quoque* [ut alii, si qui forte caeci sunt] oculis capti sumus?"), Pharisaeorum verbis lepor ejusmodi inest, ut non quidem Jesu vocem v. 39. in risum vertere potuerit, sed absurdam scurrilitatem Pharisaeorum etiam debuerit. Recte *Olshausenius* hanc opinionem rejecit, ceterum confuse de hoc loco disputavit *).

---

potuit, quorum multi et sequerentur se magistrum et sequuturi essent. Quare jejunam sententiam *Lückius* in hunc locum invexit, nisi forte hoc unum optimo Servatori tum propositum fuisse putavit, ut Pharisaeos viro natalibus caeco e regione positos vellicaret.

*) Vir doct. haec scripsit: „*Nur scheint es hierbei auffallend, dass sie fragen, ob sie τυφλοὶ sind, da Jesus sie doch βλέποντες genannt hatte, und auch V. 41. als solche beschreibt.* (Hoc minime mirum est. Nempe quum Pharisaei Jesu verba v. 39. sic recte explicuissent: veni ad

Responsum Summi Viri personâ dignissimum legimus v. 41.: *εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν· νῦν δὲ λέγετε· Ὅτι βλέπομεν· ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει.*

Si quis totum locum nondum diligenter excusserit, *Kuinoelii, Meyeri* aliorumque explicatio*) satis placere potest: „*si caeci essetis, quo v.* 39. *dixi sensu* (i. e. si homines essetis pro imperitis vulgo spreti, sed modesti ac dociles), *vos peccatum non urgeret* (fidem enim mihi habuissetis, ut vir natalibus caecus fidem mihi habuit v. 38.): *nunc vero vos in summis tenebris oculatos esse gloriamini; ergo peccatum vobis objectum in vobis recumbit.*" Non recte *Lückius* huic interpretationi usum loquendi refragari contendit, quum *εἶναι* valere *sich selbst für etwas halten*, fortasse ne tum quidem ostendi posse diceret, si quis falsa *Haabii* (in libro *Hebr.-griech. Grammatik des N. Testam.* p. 20 seqq.) de usu verbi

---

homines, ut qui se oculatos esse opinentur, cujusmodi vos estis, Pharisaei, caecutire, h. e. ineptos esse, emergeret, vocabulis *μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν*; hoc sibi volunt: num nos quoque tales sumus, quorum tu mentibus caliginem obduxeris, quosque feceris ex sapientibus insipientes? Rationem Pharisaei habent *totius* sententiae *ἦλθον, ἵνα οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται*, quâ se carpi probe intellexerant, non tantummodo verborum *οἱ βλέποντες*). *Wollte man den Ausdruck in der Bedeutung „Blindgewordene" nehmen, so würden wieder die folgenden Worte Christi nicht passen, in denen er sie noch als Sehende behandelt. Wir müssen daher wohl sagen, die eitlen, auf ihre Einsichten stolzen Pharisäer verstanden die Worte Christi nicht recht; nur den allgemeinen Eindruck hielten sie fest, „er spricht wider uns", und entnehmen sich dann nach ihrem Missverständnisse aus seiner Rede, er nenne sie blind, was sie hart verletzte.* (Enimvero stultos *Olshausenius* narrat Pharisaeos, genus hominum sane quam perspicax et astutum). *Dann erscheint die Antwort Christi als berichtigend, aber zugleich ihren scheinbaren Vorzug als einen zum Verderben gereichenden schildernd.*"

*) *Theodori Mopsvest., Theophylacti, Euthymii Zigab., Elsneri* (in observatt. sacrr. T. I. p. 326.) aliorum interpretatio (*si oculorum vitio* laboraretis, peccati essetis expertes, neque enim huncce hominem miraculo sanatum videre possetis: nunc vero vos oculatos esse ipsi fatemini, manet igitur vestrum peccatum; vidistis enim quae patravi miracula) vix mentione digna est. Nititur ea hoc errore, quod v. 40. verba *μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν;* de *oculorum* caecitate male exposita sunt (v. supra). Praeterea Jesus illam sententiam parum perspicue enuntiasset, quae ut ab auditoribus deprehenderetur, opus erat vocabulis magis planis, v. g. his: — *νῦν δὲ λέγετε· ὅτι βλέπομεν· ἑωράκατε οὖν τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίησα ἐνώπιον ὑμῶν.*

εἶναι in Novo Testamento praecepta probavisset. Neque enim h. l. de verbo *εἶναι* agitur, sed de *loquutione τυφλὸν εἶναι*. Constat autem, et verba et formulas, quibus conditio, seu status indicetur, non solum *in aliquo statu esse*, sed etiam in aliquâ conditione *esse videri* tum aliis, *tum sibi* denotare. Sic *βασιλεύειν* non solum *re verâ regnare*, sed etiam regem videri vel aliis vel *sibi* significat. Vide omnino 1 Cor. IV, 8 seqq. Quare formula *τυφλός εἰμι* haec tria declarare potest: *sum* oculis captus: *caecus esse ab aliis existimor: caecus esse mihi videor*. Imo his argumentis *Kuinoelii* sententia evertitur.

Primum Jesus v. 41. Pharisaeis respondet, qui v. 40. interrogaverant: *μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν* (refertur enim *λέγετε· ὅτι βλέπομεν* ad sapientiae jactationem, quae malitiosâ illâ Pharisaeorum interrogatione continetur). Verisimile est igitur, Servatorem v. 41. Pharisaeos eo ipso sensu caecos esse negasse, quo eum *num essent caeci?* percontati fuerant. Deinde magistrum v. 41. ad v. 39. non rediisse, si quis accurate totum locum pervestigaverit, confiteatur necesse est. Patet hoc et e verbis (dixisset enim *εἰ ἦτε μὴ βλέποντες*, si verborum v. 39. *ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέπωσι* rationem habuisset), et e re cognoscitur. Certe in sententiâ v. 41. verba *ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει* valde offendunt, pro quibus haec vocabula aliquis jure exspectaverit: *ἔχετε οὖν [τὴν] ἁμαρτίαν*: si caeci essetis, quo supra dixi sensu, ut hicce vir, non vos peccatum premeret (i. e. me non repudiaretis); nunc vero oculatos vos esse contenditis, *quare urget vos peccatum* (i. e. quare me repudiatis). Adjice, quod tota sententia friget. Huc enim redit: *si hujusce viri similes essetis, non me male repudiaretis; at estis ejus dissimiles, unde me temere rejicitis.* Neque Servator v. 41. ad verba v. 39. *ἦλθον, ἵνα — — οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται* respexit. Alioquin enim sibi ipse repugnasset. Nempe v. 39. eo se consilio prodiisse affirmavit, ut homines, qui sibi oculati viderentur (Pharisaeos perstrinxit) caecutire *intelligeretur*. Qui tandem nunc v. 41. verbis *εἰ τυφλοὶ ἦτε* hoc declarare potuit, non esse Pharisaeos homines, qui caecutire, h. e. desipere *recte existimentur?*

His ductus rationibus, Jesum vocabulis *εἰ τυφλοὶ ἦτε* ad ambitiosam sapientiae professionem, quae Pharisaeorum verbis *μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν;* inest, respexisse iisque *malum animum*, quo *nollent* Messiam venerari, quem Messiam esse vel bene intellexissent, vel pro suâ perspicacitate intelligere saltem potuissent, non sine acrimoniâ exprobrasse cum *Lückio, Vatero*, aliis existimo. Pha-

risaeis, qui arroganter *num nos quoque caeci sumus, quibus tu lucem ademeris?* interrogaverant, magister: *si caeci essetis,* inquit, qui, me Messiam esse, perspicere non possetis, *non vos peccatum urgeret* me repudiato (satis est enim, suum quemque judicium sequi, Rom. XIV, 5.) *nunc vero* eo, quod superbe interrogatis: *μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; vos oculatos esse perhibetis, quocirca peccatum vobis objectum suo loco manet vosque urget.* (Sequitur enim ex iis, quae ipsi dicitis, vos, quum *possitis* meam Messiae auctoritatem perspicere, eam videre nolle*).

In ultimis cap. IX, 41. verbis ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει minime ἡ ἁμαρτία *statum, conditionem peccatorum (den sündhaften Zustand)* indicat, quae est *Olshausenii* opinio. Quippe ἁμαρτίας vocabulum non magis *conditionem peccatoris,* aut *proclivitatem ad peccandum,* ex quâ peccatum nascatur (v. *Tittmanni* lib. I. de synonymis in N. T. p. 45.) significare potest, quam Romanorum *peccatio* et *peccatum.* Notat tantummodo ἡ ἁμαρτία *actionem peccantis* et *peccatoris factum.* Hoc loco posteriorem potestatem habet. Nam orationis series satis docet, de ἀπιστίας peccato sermonem institui. Etenim a Pharisaeis eo peccatum fuerat, quod Jesu Messiae fidem denegarant, quem quum Messiam esse pro eâ, quam sibi ipsi tribuissent, sapientiâ intelligere potuissent, Messiam fateri improbe noluissent.

Male *Euthymius Zigab.,* cui *Lückius* et *Tholuckius* nuper ac-

---

*) Parum recte huic explicationi *Meyerus,* vir doctus et ingeniosus, haec objecit: „*aber wider diese Auffassung des τυφλοί streitet das Oppositum: λέγετε· ὅτι βλέπομεν, welches für τυφλοί den Sinn fordert:* qui agnoscunt animi caecitatem. *Denn auch die λέγοντες· ὅτι βλέπομεν sind vielleicht blind am Geiste, aber sie erkennen es nicht an, wie es die τυφλοί thun.* Verba λέγετε· ὅτι βλέπομεν nostrae explicationi obstare, male V. D. perhibuit. Nam quum Jesus verbis εἰ τυφλοὶ ἦτε Pharisaeos caecos esse negaret, id ipsum negavit, quod Pharisaei infititati fuerant vocabulis: μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; ut eorum improbitatem evinceret. Verbis autem: νῦν δὲ λέγετε· ὅτι βλέπομεν sententiae in verbis μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; rationem Servator habuit, ut ex iis, *quae ipsi dixissent,* malum eorum in se animum ita efficeret, ut homines improbi suo se gladio jugulatos esse sentirent. Sane Pharisaei et ipsi τυφλοί fuerunt eo quidem sensu, quo insani vocantur, qui gravi morbo implicati medicinam respuunt (v. 39.), neque id Christus negavit. Sed h. l. hoc unum sequutus est, ut e superbâ, quam Pharisaei misissent, voce v. 40. *(e re concessâ)* malum eorum in se animum consequi ostenderet.

cesserunt, v. *ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει* sic exposuit: *μένει ἀ σ ύ γ-γ ν ω σ τ ο ς*, manet peccatum vestrum *inexcusabile et sine veniâ.* Temere enim *ἀσύγγνωστος* mente additur. Quin verbis hoc inest: *unde peccatum vobis exprobratum* (haec enim vis est articuli: cf. locum similem Joh. XV, 22.) *manet*, h. e. locum, quem occupavit, tuetur, a vobis, in quibus recumbit, non devolvitur. Satis autem perspicue Servator, Pharisaeos peccatum suscepisse, verbis *εἰ τυ-φλοὶ ἦ τ ε, ο ὐ κ ἂ ν εἴ χ ε τ ε ἁμαρτίαν* significaverat.

Cum hoc cum Pharisaeis serto colloquio Jesu oratio cap. X, 1 — 18. arctissime cohaeret, in quâ duo spectantur, unum, ut Pharisaeorum, qui eo usque protervitatis progressi fuerant, ut Servatorem *ἁμαρτωλόν*, *impostorem* dicerent (cap. IX, 24.), refutans calumniam, suam Messiae vim et auctoritatem defendat et exponat, alterum, ut crimen in se temere collatum in *Pharisaeos* vertat, convitiatores suos, impostores illos, non Dei legatos pestesque hominum, non sospitatores. Utrumque planum facit tum elegantissimâ allegoriâ v. 1 — 5., tum allegoriae ab auditoribus parum intellectae expositione v. 7 — 18. Alia, inquit, ratio est pastoris, qui suum officium faciat, gregi consulat et oves obedientes habeat, alia furis et latronis, qui nefarie in septum irrumpat v. 1 — 5. Alia, inquit, ut idem aliâ similitudine persequar, est vis januae, quae coactum gregem tutum ab insidiis praestet ovibusque viam ad cibum in pascuis capiendum, quo vita sustentetur, ferentem pandat, alia furis, qui surreptam ovem per septum ad lanienam trahat v. 7 — 10. Postremo alius mos viri est, in quem boni pastoris nomen unice conveniat, alius hominis, qui mercede tantum oves pascat: ille pro ovium salute propugnans necatur, hic ferâ eminus conspectâ fugam capessit lupoque oves objicit v. 11 seqq. Attendite, quaeso, Pharisaei. De vobis enim fabula narratur. Ego sum piorum hominum pastor (i. e. custos et nutritor) a Deo constitutus, vos in stabulum improbe irrupistis furum modo ac latronum, et pestem ac perniciem hominibus machinamini v. 1 — 5. Ego sum januae comparandus (sum enim ovibus [hominibus in fidem meam receptis] munimento facioque, ut pascantur); vos latronibus, qui oves per septum ad supplicium trahatis v. 7 — 10. Denique ego is sum, in quem boni pastoris nomen unice competat, i. e. Messias. Nam ne oves nunc quidem in duobus stabulis conclusae, olim plane consociandae, ut unus ex iis grex coalescat, pessumdentur, Deo morem gerens vitam pro iis ponam. Vos eum animum in homines geritis, qualis est mercenarii in oves v. 11 seqq. —

Sed ut nostra sententia muniatur, totus locus diligenter pertractandus est.

V. 1 — 5. Ἡ αὐλὴ τῶν προβάτων v. 1. non ovile est in villâ exstructum tectoque munitum, sed locus sub dio muro (hebr. גְּדֵרָה)·septus, in quem Judaei greges, quos quamdiu coeli temperies pateretur, in agris pernoctare juberent, noctu compellerent. Talis ovium caula Num. XXXII, 36. גִּדְרֹת צֹאן *ovium maceriae* a muris vocatur, quibus circumscriberetur. Intus noctu excubias egit prope januam servus pastoritius armatus (ὁ θυρωρός v. 3.), ut gregem custodiret, fures arceret et feras fugaret, cf. *Bocharti* Hieroz. T. I. p. 482. edit. *Rosenm.*

Aliunde scandere (ἀναβαίνειν ἀλλαχόθεν) in septum dicitur, qui neglectâ januâ per maceriam eo evadat. Rectius dici ἄλλοθεν, quam ἀλλαχόθεν *Moeris* et *Thomas Mag.* observant. Contra πλειστα χόθεν probum est vocabulum. Mire quippe usus dominatur. *Κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής*] Fur est, quod clam ingressus alienas opes aufert, latro s. spoliator, quod oves praedatur damnumque gregi infert. *Euthymius Zig.* — κλέπτης μὲν (scil. ἐστίν) ὡς βουλόμενος τὰ μὴ προσήκοντα εἰς ἑαυτὸν ἐπισπάσασθαι, λῃστὴς δὲ ὡς λυμεών*).

V. 3. *Καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει*] Male nonnulli explicant: et pastoris voci oves obediunt, nam de ovium obsequio v. 4. sermo est. Recte *Stolzius*, *Schottus* al. *pastoris vocem audiunt*, pastorem appropinquare sentiunt. Quippe balatu oves adventantem postorem excipere solent. *Τὰ ἴδια πρόβατα*] oves *pastori peculiares.* Fingit enim Jesus nonnullorum pastorum oves in unum septum noctu coactas, quas unusquisque eorum mane a ceteris rite secretas pastum educat. Hinc etiam v. 2. ποιμήν (*ein Hirte*) dixit, non ὁ ποιμήν (*der Hirte*). *Καλεῖ*] φωνεῖ A. B. D. L. 1. 157. Mt. 5. Cyr., quod *Griesbachio* probatum *Lachmannus* recepit, pro glossemate repudiavit *Meyerus.* At non erat, quod glossemate illustraretur vocabulum notissimum et cujus vis h. l. non obscura sit. Quin librarii, quum festinantibus praecedentium verborum sono aures

---

*) *Λῃστής* non est *homicida*, quare assentiri non possum Ven. *Tholuckio*, qui ingeniose ad h. l. (edit. 4. p. 186.) annotavit: „*die nicht auf die rechte Weise Hirten der Gemeinde geworden, heissen — Mörder, weil sie die Seelen durch Entziehung der wahren göttlichen Lehre, des wahren Lebensquelles, tödten.*“

personarent (*καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει*), facili errore pro *καλεῖ* posuerunt verbum idem pollens *φωνεῖ*.

V. 4. *Τὰ ἴδια πρόβατα*] *αὐτά* Syr. Hieros. Chrys. Sat. 7. *ϑ*. *μ*. 4. *φ*. — Goth. *τὰ ἴδια* — Cyr. *πάντα τὰ ἴδια* — B. D. L. 1. 33. Copt. Sahid. Lucif. *τὰ ἴδια πάντα* (Cant. *sua omnia:* Verc. Lucif. *suas omnes*), quod dedit *Lachmannus:* — Ver. Colb. Corb. *oves suas omnes*. Quominus Johannem *αὐτά* exarasse putemus, impedimento est verborum ordo, qui talis esse debuerat: *καὶ ὅταν ἐκβάλῃ αὐτά* et, *ὅταν δέ* ex K. 33. aliisque, quibus nimium tribuit *Griesbachius*, suscepto: *ὅταν δὲ ἐκβάλῃ αὐτά*. Vocem *πρόβατα* delendam esse, a librariis, quum e v. 3. *mente addenda* fuisset, textis temere obstrusam e variantibus lectionibus perspicuum est (cf. Ver. *oves suas omnes* cum Cant. *sua omnia*, Verc. *suas* omnes, nempe oves, et B. *τὰ ἴδια* [scil. *πρόβατα*] *πάντα*). Quamobrem Johannem dedisse arbitror non quidem *πάντα τὰ ἴδια* scil. *πρόβατα*, sed *τὰ ἴδια* (nempe *πρόβατα*) *πάντα*, lectionem a libris impensius commendatam. *Et ubi* (oves) *sui gregis omnes* (a ceteris sedulo segregatas) *e septo expulerit, antecedit eas, iisque se ducem praebet notum hominem lubenter sequentibus.*

V. 5. *Οὐ μὴ ἀκολουϑήσωσιν*] *Lachmannus* ex A. B. D. E. al. *οὐ μὴ ἀκολουϑήσουσιν* scripsit. Talia saepissime a scribis confunduntur, neque eos, qui *ἀκολουϑήσουσιν* h. l. tenent, futurum *φεύξονται* in errorem induxit, ut *Meyerus* putat. In N. Test. post *οὐ μή* aut semper, aut saltem plerumque conjunctivi aoristorum e libris redintegrandi sunt, cf. quae filius meus cariss. Car. Frid. Aug. ad Marc. p. 624. annotavit. Permirum est *Lückii* (II. p. 275.) judicium: „*Dieses* (*ἀκολουϑήσουσιν*) *ist scheinbar regelmässiger, jenes* (*ἀκολουϑήσωσιν*) *ist unstreitig richtiger und feiner*“ vid. *Fritzsche* l. l. et *Wineri* Grammat. p. 422 sq. *Τῶν ἀλλοτρίων*] *τοῦ ἀλλοτρίου*, quod Syrus, Ar. p. Erp. Aeth. ap. Mich. et nonnulli libri latini offerunt, correctio est eorum, qui argumentationem claudicare sibi persuaserunt, nisi *τοῦ ἀλλοτρίου*, quod ad *ἀλλοτρίῳ* bene responderet, scripsissent. At verbis *ὅτι οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν generalis* sententia inclusa est. *Peregrinum quempiam hominem*, inquit, oves non sequentur, sed eum fugient, quoniam *peregrinorum hominum* vocem cognitam non habent, neque nisi eos sequi solent, quorum vocem noverint.

Plana est hujus loci sententia, quatenus rationem, quae ovibus cum pastore et cum fure intercedere soleat, describit et lectorum tanquam oculis subjicit. Nam huc redit: *Haec valet regula, ut*

qui per maceriam in ovium caulam scandat, pro fure et spoliatore habendus sit (quidni enim per januam, quam arduo ascensu per murum in ovile intrare mallet?), *qui per januam septum ingrediatur, pastor sit existimandus* v. 1. 2. *Is nemine intercedente facit, quod officii rationes postulant. Scilicet fores pulsanti ostiarius januam aperit, convocatasque oves, quum pastor pastum educit, habet obsequiosas. Facile enim noto duci parent.*

Minus est perspicuum, quidnam Servator his de ovium pastore et praedatore dictis sibi voluerit. *Παροιμίαν* Johannes v. 6. Jesu expositionem v. 1—5. vocat. At hinc nihil intelligas, nisi hoc Christum consilio illa protulisse, ut ea auditores alio transferrent, neque eum, *quâ notâ ovium pastor ab ovium latrone dignosci posset,* tantummodo dicere. h. l. arbitrarentur. Etenim *παροιμία* a N. T. scriptoribus *quodvis* sententiose dictum appellatur, *quaevis* scita vox, quae ab usitatâ loquendi ratione et tanquam viâ (*οἶμος*) recedens (sive proverbium est, sive vox faceta, sive *γνώμη*, sive parabola, sive allegoria) rem potius significet, quam clare exprimat, ut *παραβολή* et hebr. מָשָׁל (cf. LXX. Prov. 1, 1. XXV, 1. Joh. XVI, 25, 29.). Jam si ex artis rhetoricae regulis hanc Jesu orationem judicaveris, non quidem *parabolam*, ut multi putarunt v. g. *Wahlius* in Clav. maj. et min., sed *allegoriam* continet, quam continuatam et elaboratam metaphoram recte definiri constat. Scilicet Jesus crimen in se temere conjectum cap. IX, 24. 29. in Pharisaeos conferens, tales esse hominibus (Judaeis) Pharisaeos dicit, qualis sit ovibus, qui aliunde quam per januam in ovile irrepat, i. e. fur et latro: contra eo se vinculo cum hominibus copulatum esse declarat, quo pastor cum ovibus nexus sit. Quare Pharisaei v. 1. *τῷ μὴ εἰςερχομένῳ διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, ἀλλὰ ἀναβαίνοντι ἀλλαχόθεν*, qui *κλέπτης* sit et *λῃστής*, assimilantur. Quemadmodum enim fur improbe superatâ maceriâ ad oves venit nihil ad se pertinentes iisque nocet, ita Pharisaei non quidem a Deo legati, sed suâ sponte et nefarie homines adierunt iisque calamitatem importarunt. Contra Christus se *τῷ εἰςερχομένῳ διὰ τῆς θύρας* (non *τῇ θύρᾳ* vid. infra), qui *ποιμὴν* sit *τ. προβάτων*, aequiparat Sicut enim qui recte et viâ ad oves perveniat, jure ovium pastor esse creditur, ita Jesus a Deo ad homines legatus hominum dux et patronus recte existimatur. Quae quum ita sint, non quidnam *ἡ θύρα* significet, cum *Chrysostomo, Euthymio Zig.* al., qui *libros V. T.* dici sibi persuaserunt, quaerendum est, sed quisnam dicatur tum *ὁ μὴ εἰςερχόμενος διὰ τ. θύρας εἰς τ. αὐλὴν τ.*

προβάτων, tum *ὁ εἰςερχόμενος διὰ τ. θύρας*. Ille est, qui *suo arbitratu* ad homines se confert viamque *sibi ipse* ad eos munit: hic est, qui viâ sibi datâ (h. e. a Deo missus) ad homines accedit. Item v. 3. quisnam dicatur *ὁ θυρωρός* absurde interpretes inquisiverunt. Alii Mosen (v. *Euthymius*), alii angelum ecclesiarum praesidem (cf. *Cyrillus*), alii plaudente Ven. *Tholuckio**) spiritum sanctum significari sibi persuaserunt. Verum enim vero iis, quae de janitore januam aperiente et de ovium obsequio v. 3. et 4. leguntur, hoc unum declaratur, venire, qui per januam in ovile intret (h. e. qui a Deo legatus ad homines accedat), exoptatum suis omniaque ei in provinciâ datâ, non sumtâ, prospere evenire, ut recte vidit *Meyerus*. Itaque Jesus sic cum Pharisaeis disputat: quemadmodum qui praeteritâ januâ in ovium caulam scandat, fur et latro, qui per januam in ovile ingrediatur nonnullarum septo conclusarum ovium pastor (*ποιμήν* non *ὁ ποιμήν* v. 2. vide supra) existimandus est, ita vos, Pharisaei, qui tanquam muro superato insinuaveritis vosque hominum duces et moderatores ipsi feceritis, praestigiatores improbi et perniciosi estis putandi, ego, qui viâ venerim a Deo munitâ, dux hominum et patronus a Deo constitutus (non impostor aut praestigiator cap. IX, 24. 29.) habendus sum v. 1. 2. Talis quum sim, in provinciâ demandatâ res ad voluntatem meam fluunt moremque mihi gerunt homines imperio meo subditi, h. e. homines eo ingenio praediti, ut eos in fidem meam recipere, regere et alere mihi liceat v. 3—5. cl. IX, 38.

Veteres interpretes magno consensu totum hunc locum de *doctoribus christianis* veris illis et falsis, aut de muneribus ecclesiasticis recte petendis et administrandis explicant. Disputare enim Jesum contra Pharisaeos, observant, quos doctorum nomine prorsus indignos cum furibus et latronibus comparandos judicet, quippe qui se doctorem falsum et impostorem per convicium vocaverint, populumque judaicum pessimis artibus ab se avertere tentaverint. Quare doctorum nomine nonnisi eos dignos esse, qui tanquam *per se januam* v. 7. in ovile intraverint, h. e. qui ab se constituti aut edocti

---

*) Nititur haec opinio hoc errore, quod Vir Doctiss. p. 185. edit. 4. Jesum h. l. *simul* contra Pharisaeos disputare, *simul* de magistris christianis, veris illis et falsis, disserere perhibuit. Ceterum locis Act. XX, 28. 1 Cor. XII, 4., ad quae provocatum est, satis expensis spiritum sanctum citius gregis dominum, qui pastores constituat et armet, quam caulae ostiarium mente informes.

coelestem doctrinam tradant, Jesum declarare contendunt. Ita nuper *Langius**), *Kuinoelius*, *Meyerus***) aliique statuerunt. *Olshausenio* Servator h. l. de se et *doctore* et vero etiam *expiatore* hominum loqui videtur***).

De singulis verbis illi interpretes sic existimant. *Ovium pasto-*

---

*) In libro c. p. 294. scripsit: „*Die Absicht der Rede Jesu war, den Pharisäern ihr schändliches Verfahren in Absicht auf die Führung des Volks zur Erkenntniss der Wahrheit und Glückseligkeit zu Gemüthe zu führen, und sich als den von Gott gesandten Lehrer und Führer zur Glückseligkeit aufzustellen.*“

**) *Meyerus* l. l. p. 139. vers. 1 — 5. demtâ similitudine hanc sententiam esse dicit: „*Wer nicht durch mich zum Lehrer der neuen Theokratie verordnet ist, sondern auf andere Weise zum Lehrer sich aufwirft, der wirkt nur zu seinem eigenen unrechtmässigen Vortheile und zum Verderben der Gemüther (v. 1.). Wer aber durch mich verordnet ist, der ist ein rechtmässiger Lehrer des idealen Gottesvolkes (v. 2.). Dieser tritt ungehindert und willkommen in seinen Wirkungskreis, und die Mitglieder dieses Gottesvolkes erkennen ihn als ihren Lehrer an; um alle Einzelnen, welche seiner Pflege angehören, bekümmert er sich mit liebreicher Sorgfalt und leitet sie zu geistiger Nahrung (v. 3.), bleibt dann fortwährend ihr geistlicher Führer und findet Folgsamkeit bei ihnen, weil er ihnen als ihr rechter Lehrer bekannt ist (v. 4.).*“

***) *Olshausenius* l. c. p. 226 seq. sic disputat: „*Das Auffallende dieser doppelten Beziehung (indem der Herr sich einmal als die Thüre und dann wieder als den durch die Thüre eingehenden Hirten auffasst) verliert sich sofort, wenn man nur die doppelte Beziehung, die in der Person Jesu lag, klar festhält. Zuvörderst nämlich konnte ja Christus sich als einen Lehrer neben Andern nach seiner menschlichen Natur auffassen; dann aber auch die unvergleichbare Seite seines Wesens hervorheben, nach der er der Mittler zwischen Gott und den Menschen ist und der allgemeine Weg des Heils auch für die Lehrer.*“ Multa sane Theologi de duabus Christi naturis earumque mutuâ ratione disputarunt. Sed in N. T. nunquam divina Christi natura et humana ita discernuntur, ut quidnam Servator aut fecerit ut Deus, aut egerit et passus fuerit ut homo, constituatur. Ab hujusmodi distinctionibus simplex antiquitas prorsus abhorruit, invexit eas Theologorum acumen et cupiditas, cf. *Fritzsche* ad Marc. p. 584. Tum 1. Tim. II, 5. Christus μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων appellatur, non quod naturam habuerit ex humanâ et divinâ temperatam, sed quia *homo* mortem adiit, quâ hominum peccatis expiatis Dei Pacem generi humano impetraret. Postremo Jesus se minime *ut hominum expiatorem* v. 7. τὴν θύραν τ. προβάτων vocat (vide infra), neque hunc se futurum esse, nisi v. 11. 15. 17. et 18. h. l. ominatur.

rem (v. 2 seqq.) doctorem sincerum dici putant, *caulam* populum judaicum, *caulae januam* Servatorem ipsum, qui aditum in ovile aperiat; de *janitore* quid statuant, paullo ante exposuimus. *Furum* autem ac *latronum* nomine Pharisaeos notari credunt. Denique inde a. v. 11., esse se praestantissimum doctorem κατ' ἐξοχήν, Servatorem et Dominum (ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός), quippe qui omnia doceat, faciat, praestet, quae ad promovendam salutem discipulorum suorum necessaria sint, Jesum docere affirmant. Hoc pacto notio Christi servatoris, expiatoris et Domini non excluditur quidem, sed praecipue tamen de *doctoris* munere agitur, quo alio plane modo fungatur, quam Pharisaei *).

Verum enim vero de Jesu hominum *doctore* h. l. omnino non sermo est. Neque enim, quod homines publice *instituisset*, Judaeorum proceres Jesum infestaverant, sed quod ingens miraculum edidisse diceretur cap. IX, 15 seqq., unde eum Dei legatum esse consequeretur (cf. Act. II, 22.). Quare illi id sedulo egerunt, ne Judaeorum plebs crederet, Jesum virum esse a Deo ad homines missum (cap. IX, 19 sq.). Impostorem autem synedrii assessores Jesum non ideo per maledictum vocarunt, quod falsa magister tradidisset, sed quod divinam patrato miraculo auctoritatem sibi arrogasset. Quocirca Jesus praeter ullam rationem suam *magistri* dignitatem h. l. defenderet, a nemine tum impugnatam. Quin ut maculam elueret, quâ Pharisaeorum malevolentia eum adsperserat, hoc docere hîc debebat, in se, qui per januam in ovile intraverit, pastoris munus delatum esse, h. e. hominum se ducem esse a Deo rite constitutum.

Deinde Christus quo tempore christiana disciplina nondum condita esset, sed etiamnum Mosis schola valeret, hanc legem ferre non potuit, ut ii tantummodo doctores vulgo existimarentur, quos ipse vel edocuisset, vel constituisset. Neque legem, quâ auctoritatem essent habituri magistri christiani, eo tempore scribere potuit, quo, esse novam aliquam in Mosaicae scholae locum disciplinam successuram, homines vix suspicarentur, nisi forte obscura oracula per verborum ambages fundere voluit. Quamquam vaticinari quid tandem eo loco attinuit, quo Pharisaeorum maledicto confutato cap.

*) Ita etiam *Lückius*, qui T. 2. p. 273., quid intersit inter Jesum sincerum hominum ducem et Pharisaeos pessimos populi duces, h. l. ostendi affirmat.

IX, 24. suum officium fidemque suam Jesus defendere debebat? Postremo illi interpretes in suam opinionem eo delapsi sunt, quod versum septimum, ut v. 1. *januam* Jesum dici crederemus, *flagitare* male putassent. At primum quidem valde errarunt, si qui*) Jesum septi januae assimilatum Pharisaeis opponi, *qui ut furentur in ovile insinuaverint*, perhibuerunt. Apertum est enim, v. 1. 2. τὸν μὴ εἰςερχόμενον διὰ τῆς θύρας εἰς τ. αὐλὴν τῶν προβάτων et τὸν εἰςερχόμενον διὰ τ. θύρας invicem opponi. Sed fac, Jesum januae nomine v. 1. indicari. Ita nimirum *loca voce* ἀλλαχόθεν *significata* atque januae ex adverso posita *Pharisaeos* indicare debere, sana ratio doceret, quod putare absurdum est. Nam *januam* quidem *ei, qui aliunde quam per portam aliquo ingrediatur,* male opponi facile intelligitur. Deinde, recte Jesum se tum τῷ εἰςερχομένῳ διὰ τῆς θύρας εἰς τ. αὐλὴν τῶν προβάτων v. 2., ut se hominum patronum, qui *in suam divinitus sibi datam provinciam* venisset, non in aliam temere invasisset, esse declararet, aequiparasse, tum allegoriâ ab auditoribus parum intellectâ *cum januâ, per quam oves in septum intrent,* ut, suae provinciae homines tueri se et alere, significaret, contendisse, non reputatum est. Quippe variare similitudines Jesu licuerat, quum praesertim *diversae res* diversâ allegoriâ enuntiandae essent.

Accedit, quod nova, quae v. 7 — 10. proponitur, similitudo non admodum audax est (certe porta et clausa tutas praestat oves ab insidiis, et aperta alimenta iis praebet, quum viam monstret in pascua ducentem); quae si audacissima esset, aliter homines orientales, aliter nos tum sentire tum loqui solere, meminisse nos oporteret**). Omnia autem turbant, qui Jesum h. l. *simul* se genui-

---

*) Placuit hoc *Lückio* T. 2. p. 272. „*Sinn und Absicht der Parabel* (potius *Allegorie*) *ist im Allgemeinen klar. Jesus vergleicht sich, die Thüre des Schafstalles, den wahren guten Hirten, mit den Pharisäern, den Dieben und Miethlingen.*

**) Orientales homines naturam tales finxisse, tralatitium est, ut et crebro tralatâ oratione utantur, et sumtâ audaciâ, quam occidentalium hominum sobrietas respuat, orationem distinguant et unam eandemque sententiam pluribus similitudinibus persequantur (Jes. VII, 18 — 20. XXXVIII, 12.) et subito positam similitudinem destituant (Jes. X, 17, 18. Ezech. XXIII, 24.) atque in aliam transiliant (Jes. VIII, 8. XIV, 29. ubi v. *Gesenium* et *Hitzig*.). Verumtamen h. l. eâ Jesus lege collationem mutavit, quae ne nos quidem offendere debeat. Quippe v. 1 — 5. in id incubuit, ut Deum

num ecclesiae pastorem Pharisaeis opponere, perversis pastoribus, *simul* de futuris christianorum coetus pastoribus loqui contendunt. Ita primariâ hermeneutices lege violatâ duplex verbis sententia, quarum alteram Pharisaei tum ne conjecturâ quidem consequi potuissent, subjicitur resque confingitur incredibilis*).

V. 6. Ἐκεῖνοι δὲ οὐκ ἔγνωσαν, τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς] Non assequuti sunt Pharisaei allegoriae v. 1 — 5. vim, non quod judicio parum valerent (v. *Meyerum*), quamquam in Joh. Evangel.

---

se hominum patronum constituisse ostenderet; nunc v. 7 — 10. operam dat, ut se talis patroni officio satisfacere exponat. Item Christus supra alio consilio *pani vitali* cap. VI, 33. 35 seq. se assimilavit, alio *vitalis panis praebitori* cap. VI, 51 seq. Nam *panem vitalem* se vocavit, quod doctrinâ mentes aleret vitam aeternam largiente; contra *vitalis panis praebitorem* se nuncupavit, quod corpus suum supplicio oblaturus esset velut cibum, quo usus sempiternam esset vitam habiturus.

*) Ven. *Tholuckius* l. l. p. 185. haec dixit: „*Der Zweck des Gleichnisses ist das Verhältniss des wahren Hirten der Gemeinde Gottes zu dem falschen zu schildern, mit der nächsten Beziehung auf die pharisäischen Volksleiter, zugleich aber auch in Hinblick auf die dereinstigen Hirten der Gemeinde Christi. — Schon hier (V. 1 — 5.) denkt Christus bei dem wahren Hirten* (at v. 2. ποιμήν legitur, *non* ὁ ποιμήν et multo minus ὁ ποιμὴν ὁ καλός) *vorzugsweise an sich selbst.*" et p. 186. „*die Ausleger streiten, ob schon hier (V. 1. 2.) Christus sich selbst meine, oder ob* θύρα *eine allgemeinere Beziehung habe. — Allein beide Meinungen stehen sich nicht contradictorisch gegenüber, im Allgemeinen ist das Besondere mit enthalten. Semler:* legitimus ordo, qui observari debebat. *Dieser* legitimus ordo *war nun, wenn man die nähere Beziehung auf die jüdischen Leiter festhält, der innere göttliche Beruf, die wahre Gottesfurcht, die Liebe zur Gemeinde; wenn man die weitere Beziehung in's Auge fasst, gehörte dann auch dazu, dass Christus den Leitern der Gemeinde den Beruf ertheilt haben musste, dass die Liebe zu ihm, dass sein Geist das Band zwischen ihnen und der Gemeinde sein muss, und alles, was sonst in dem Bilde* ἐγώ εἰμι ἡ θύρα *liegt. Man begnüge sich also damit,* ἡ θύρα legitimus ordo *zu erklären, dann mag man ferner wieder dieses nach seinen näheren und ferneren Beziehungen ausdeuten.*" Haec et similia, quae Vir Doctiss. disputavit, laude essent dignissima, si docere voluisset, quomodo orator sacer Christi verba in usus suos convertere possit: illi enim licet, quae Jesus h. l. de se et de Pharisaeis disputavit, in *magistros christianos*, tum genuinos, tum subdititios *transferre*, idque saepissime factum est. At aliae sunt partes interpretum, aliae oratorum sacrorum, neque ullo modo duplex sensus admitti potest, nisi legitimam librorum sacrorum interpretationem funditus eversam volueris.

homines cum Jesu congressos admodum tardos et qui divinam Christi sapientiam intelligere non possent, saepe videmus (cf. cap. III, 4. VI, 34. VIII, 27. al.), neque quod bene perceptam Servatoris sententiam se non perspexisse improbe simularent, quae *Kuinoelii* opinio est, sed *quod superbe mirarentur.* Neque enim homines temere inflati verebantur, ne Mosis discipuli divinae sapientiae laude florentissimi (cf. cap. IX, 28. 40.), quum populi duces ac magistros se esse voluissent, in alienas possessiones irruisse dicerentur.

Quod quum Servator animadvertisset, non quidem v. 7 — 10. ante dicta repetiit, sed, ut apud Johannem in hujusmodi re facere solet, continuavit, sperans fore ut, si nonnulla superioribus adjecisset, auditores suam sententiam caperent. Itaque quum se v. 1 — 5. cum *τῷ εἰςερχομένῳ διὰ τ. θύρας εἰς τ. αὐλὴν τ. προβάτων* contendisset, ut se aliquem divinitus constitutum hominum patronum (*ποιμένα*) esse declararet, nunc allegoriâ ab ovibus repetitâ in aliam partem versâ *τὴν θύραν τ. προβάτων* se nuncupat, ut *se facere patroni officium, quum clientes suos tueatur et sustentet,* doceat. *Ἡ θύρα τ. προβάτων*] *Kuinoelius, Lückius, Meyerus* alii explicant: *porta ad oves ducens, Lutherum* secuti. Qui quamquam usum loquendi non violarunt (nam genitivus *motum* saepe indicat, vid. *C. F. A. Fritzchii* notam ad Matth. p. 21.*), tamen contextae orationi parum consuluerunt. Nempe eo illi in suam opinionem deducti sunt, quod toto loco de magistris christianis, quos oporteret per Christum velut januam in sacrum coetum intrare, versum primum male antestati, perperam agi putarunt: *ego sum janua, per quam a pastoribus* (magistris) *ad oves* (homines meae disciplinae addictos) *perveniatur* (v. supra). Quam sententiam obtinere non potuerunt, nisi v. 9. male sic explicuissent: *per me si quis in coe-*

*) Jam pridem apte in hanc rem *Wetstenius* citavit *Ignatii* epist. V. ad Philadelph. c. 9. *καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς, κρείσσων δὲ ὁ ἀρχιερεὺς — ὃς μόνος πεπίστευται τὰ κρυπτὰ τοῦ θεοῦ, αὐτὸς ὢν θύρα τοῦ πατρὸς, δι᾽ ἧς εἰςέρχεται Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι καὶ ἡ ἐκκλησία* (ergo hoc *Ignatii* loco neutiquam eorum interpretatio muniri potest, qui *ἡ θύρα τῶν προβάτων portam, qua oves utuntur,* vertunt, neque *θύρα τοῦ πατρός est porta, per quam intrat pater*) et *Hermae* Past. 3, 9. 12. „sicut — in illam urbem non potest intrari, quam per portam ejus, ita nec in regnum Dei potest aliter intrari, nisi per nomen filii ejus, qui est ei carissimus. — Porta vero filius Dei est, qui solus est accessus ad patrem, aliter ergo nemo intrabit ad Deum, nisi per filium ejus" coll. Eph. II, 18.

tum intraverit m a g i s t e r, *felix erit ipse* (erit enim Messianae felicitatis particeps) *et gregem praecedens ingredietur et egredietur et pascuum inveniet* scil. o v i b u s h. e. et nemine prohibente discipulis proderit eorum animos pascens (vide *Kuinoelium*, *Lückium* et maxime *Meyerum*). Nam vocabula τοῖς προβάτοις post εὑρήσει mente perperam addiderunt, quae Johannes, si verba καὶ εἰςελεύσεται καὶ νομὴν εὑρήσει ad *pastorem cibum ovibus parantem* referre voluerat, necessario scribere debuerat, ne secus intelligeretur. Adde, quod illâ explanatione probatâ verba καὶ εἰςελεύσεται ratione destituuntur, praesertim post σωθήσεται collocata. Ferri posset haec oratio: δι᾽ ἐμοῦ ἐάν τις εἰςέλθῃ σωθήσεται καὶ ἐξελεύσεται καὶ ν ο μ ὴ ν ε ὑ ρ ὼ ν εἰςελεύσεται, *pastor per me tanquam januam in ovile ingressus beatus erit et egredietur ex ovili* (ducens oves) *et invento pascuo in ovile ingredietur.*

Quin ἡ θύρα τ. προβάτων porta dicitur, *per quam oves in ovile intrant*, ut recte *Chrysost.*, *Euthym. Zig.*, *Wolfius*, alii*). Jam quum Servator *ovium ostium* se vocat, institutae comparatio-

*) Ven. *Tholuckius* τὴν θύραν τῶν προβάτων tum januam, qua utantur oves, tum portam, quae ad oves ferat, significare dicit. Rationem addit hanc: „*die Thüre zu den Schafen ist ja auch die Thüre für die Schafe.*“ Profecto. Sed facile intelligitur, qui se *ovium portam* appellet, eum aut *portam* a d o v e s d u c e n t e m existimari velle, ut talis animo concipi possit, *qui in ovium gregem aliquem recipiat*, aut *portam* putari; *quâ oves in ovile introeant*, ut ovibus *praesidio esse* credatur. Utrumque illi uno eodemque loco complecti non licet, et quia *una* esse debet in unoquoque loco Genitivi ratio, non multiplex, et quia lectores *collationis causam* nescirent, si plura comprehendere illi concessum esset. Idem Vir doctiss. p. 190. ad v. 9. haec annotavit: „*Wenn mehrere Ausleger diese Worte allein* a u f d e n H i r t e n *bezogen wissen wollen, — andere* b l o s s a u f d i e G l i e d e r d e r G e m e i n d e, *so ist wohl beides zu beschränkend. —— In der That* i s t j a d e r r e c h t e L e h r e r u n d L e i t e r d e r G e m e i n d e a u c h z u g l e i c h w i e d e r e i n S c h a f a u f d e r W e i d e C h r i s t i.“ Credo. Sed si Christus voce τὶς oves indicatas voluit, sicut voluit, in promtu est, eum *omnes*, quicumque sui futuri essent alumni, dixisse, *genera* eorum nulla distinxisse. Ex quo efficitur, Jesum se *alumnorum suorum* praesidium nuncupasse, eorum, qui aliorum magistri futuri essent, rationem nullam habuisse. Reputandum est etiam, qui hoc v. de *doctoribus* christianis agi putassent, τὴν θύραν scil. τῶν προβάτων *portam* a d o v e s *ferentem* vel enarrasse, vel enarrare debuisse, contra qui eum de *gregariis* christianis explicuissent, τὴν θύραν, nempe τῶν προβάτων, *januam, quâ* o v e s *in septum introeant*, interpretatos esse.

quam illi *πάντες ὅσοι ἦλθον κλέπται εἰσὶ καὶ λησταί* legerunt, nisi forte *Theophylactus* suam textus conformationem iis subjecit*). Deinde veteres interpretes non sine curâ et sollicitudine hoc observare solent, non agi h. l. de V. T. prophetis, vid. *Isidor. Pelus.* ep. 3, 119. Denique haud pauci explicatores hunc versum semper mire contorserunt, ne servator a Prophetis V. T. divinam auctoritatem hic abjudicasse videretur (vid. infra). Quamquam eos, qui malâ religione, ut *πάντες* et *πρὸ ἐμοῦ* oblitterarent, induci se passi sunt, nihil effecisse apparet. Manet enim illis verbis deletis sententia (*quotquot prodierunt*, fures sunt etc.), quae non nisi gravius enunciata sit, quum illa vocabula retinueris: *omnes quotquot prodierunt fures sunt* etc. cf. Hom. Od. I, 11. Act. V, 37. Praeterea, ut *πάντες ὅσοι ἦλθον* intelligi posse fatear (omnes quotquot in publicum prodierunt vid. v. 10.), tamen h. l. nimis nuda haec oratio videtur. Jure enim aliquis requirat: *quando? quo tempore?* Quod ideo moneo, ut *πρὸ ἐμοῦ* aptum esse et lectoris exspectationi satisfacere doceam. Jam quum verba *πρὸ ἐμοῦ* sincera sint, ut *post ἦλθον non ante* hoc verbum collocentur, codices postulant (cf. supra).

Sequitur, ut de hujus versus sententiâ disputem. Hîc duo maxime tenenda sunt: unum, Jesum *Mosen et Prophetas* h. l. cum furibus et latronibus neque comparasse, neque comparare potuisse (nam illos viros numine afflatos futura portendisse divinitus, ipse est apud Joh. V, 39. 45. professus): alterum, in quoscunque homines Jesu oratio directa fuerit, nihil esse in verbis *κλέπται* et *λησταί* quaerendum, nisi *hominum commodi sui studiosorum et nocentium* notionem. Scilicet quos *avaros* et *perniciosos* alioquin Jesus dicturus fuisset, h. l. non aliam ob rem *furibus* et *latronibus* aequiparavit, quam quod ad praecedentem allegoriam v. 2. alludere voluisset, quod toto hoc loco facere solet (vid. v. 14. cl. v. 4.). Quo considerato asperum convitium, quod tantummodo in homines *omnibus sceleribus coopertos* dici potuerit, h. l. non deprehendes (cf. *Elsner* ad h. l.).

Chrysostomus, *Grotius*, *Hammondus*, *Morus*, *Tittmannus* in

---

*) Theoph.: *τὸ δὲ πάντες ὅσοι ἦλθον οὐ περὶ τῶν προφητῶν λέγει, ὡς οἱ Μανιχαῖοι παρανοοῦσιν. Ἐκεῖνοι γὰρ δεῖξαι βουλόμενοι τὴν παλαιὰν διαθήκην ἀλλοτρίαν οὖσαν τοῦ θεοῦ καὶ τοὺς προφήτας μὴ ἐκ θεοῦ ἀπεστάλθαι χρῶνται τῷ ῥητῷ τούτῳ. Ἰδοὺ γάρ, φησιν, ὁ κύριος εἶπεν, ὅτι πάντες ὅσοι ἦλθον κλέπται εἰσὶ καὶ λησταί.*

meletemm. sacrr.*), *Schleusnerus* in Lexic. s. v. πρό aliique *falsos Messias* h. l. carpi sibi persuaserunt. Quorum alii πρὸ ἐμοῦ ad tempus retulerunt: „omnes quotquot *ante me* in publicum prodierunt.“ Qui impostorum Messias se venditantium notionem eo adepti sunt, quod Jesum h. l. *Messiam* loqui observarunt. Hinc, qui ante Jesum *Messiam* in medium progressi fures et latrones esse dicantur, homines ejusmodi fingi, qui Messiae dignitatem temere sibi arrogaverint, apparere putant. Sed alii, ut *Schleusnerus* l. c., πρὸ ἐμοῦ *loco mei* valere dictitarunt: „omnes quotquot *mei loco* venerunt, h. e. Messiae nomen sibi temere vindicarunt.“ Hi valde erraruut. Nam quemadmodum recte et usitate dicitur θνήσκω πρό τινος, *morior alicujus loco*, i. e. morior, ne quis alius mortem adire cogatur (vid. Eurip. Alcest. v. 644. et 649. cf. c. 690.), ita hanc cogitationem *jacto me regem* his verbis eloqui: ἔρχομαι πρὸ βασιλέως nemini unquam in mentem venit. Non magis ἔρχομαι πρὸ τοῦ Χριστοῦ *jacto me Messiam* valere potest.

Sed Servatorem in *falsos Messias* hic invectum esse vix credibile est has ob causas. Falsi enim Messiae ante Christi tempora non exstiterunt. Scilicet Theudas, quem illi dici crediderunt, non Messiam, sed *prophetam* se venditavit populumque judaicum *imperante Claudio* decipere conatus est, cf. *Joseph.* Antiqq. jud. 20, 5. 1. et Act. V, 36. Judas autem Gaulonita, quem iidem illi appellant, seditionem regnante Augusto conflaverat, non Messiam se fecerat, cf. Act. V, 37. et *Joseph.* Antiqq. jud. 18, 1. 1. At, dicat aliquis, quum permultarum satis gravium rerum nulla ad nostram aetatem memoria propagata sit, fieri potest, ut Herode Magno mortuo, quo tempore multi motus in Palaestina fierent (cf. *Joseph.* Antiqq. jud. 17, 9, 1 seqq.), unus alterve Messiam se professus fuerit, cujus et facinus et nomen aut scriptorum silentium obruerit, aut tempus monumentorum interitu in oblivionem adduxerit. Nempe huic conjecturae Jesu verba officiunt πάντες ὅσοι (*omnes, quot-*

---

*) Confunduntur a *Tittmanno* l. l. οἱ ψευδόχριστοι Matth. XXIV, 24., homines, qui se ipsos Messias esse venditarent, cum τοῖς ἀντιχρίστοις, quos Johannes I. epist. I, 2. 18. 22. et II, 7. memoravit. Hi *falsi doctores* fuerunt, qui, quoniam ab Jesu, vero Messiâ, Messiae dignitatem abjudicarunt, ab Johanne, quum ad τὸν ἀντίχριστον, nobilem istum Messiae adversarium alluderet (vid. *Eisenmengeri Neuentdecktes Judenthum* II. p. 704. cl. 1 Joh. II, 18.) *Messiae adversarii* (1 Joh. II, 18.), tales homines vocati sunt, qui Antichristi munere fungerentur.

quot) ἦλθον πρὸ ἐμοῦ, quae ad falsos Messias revocata, *admodum multos* homines ante Christi aetatem se Messias et dici et haberi voluisse, ostenderent. At *permultorum* hujusmodi impostorum et incepta et nomina temporum injuriam delevisse, nemo facile sibi persuaserit. Praeterea ne falsos Messias carpi existimemus, contexta oratio impedit. Quippe ut falsos Messias Servator h. l. incusaret, nulla fuit ratio; quin Pharisaei, qui factae fraudis eum postulaverant (cap. IX, 24.), hîc quoque confutandi fuerunt, sicut toto hoc loco perstringuntur. Hoc tamen concedendum est, non obstare *Chrysostomi* explicationi εἰσί praesens. Id enim hanc vim habere posset: omnes falsi Messiae ante meam aetatem in medium progressi fures *sunt* et latrones, h. e. fures et latrones eos fuisse, historia loquitur *(sie sind es in der Geschichte.)*

Multo minus ferri potest *Elsneri* interpretatio, qui h. l. ita vertit: *omnes, quotquot ante, aut coram me abierunt, fures sunt et latrones.* Ita ἔρχεσθαι est *abire* ut alibi explicatur, e. g. Matth. XVI, 28. pluribusque locis apud *Polybium,* quos *Raphelius* ad Matthaei locum attulit; atque hanc explicationem *Elsnero* evidens ratio videtur efflagitare. „Consideratur, inquit, hîc Christus tanquam verum et unicum ostium, per quod pateat aditus ad ovile hoc capite descriptum. Jam vero qui πρὸ τῆς θύρας, *ante* januam abit, *praeterit eandem* [itane? nonne qui, priusquam ad januam venerit, abeat, potius *viam repetit,* portâ minime praeteritâ?], atque ideo h. l. vocatur κλέπτης et λῃστής, cujus rei rationem reddit ipse Christus v. 1. ὅτι μὴ εἰςέρχεται διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τ. προβάτων, ἀλλὰ ἀναβαίνει ἀλλαχόθεν."

Verum enimvero in Matthaei loco v. ἔρχεσθαι non est *abire,* sed interpretes rationibus dogmaticis ducti ibi hanc significationem finxerunt, ne in verbis: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰσί τινες τ. ὧδε ἑστώτων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τ. υἱὸν τ. ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τ. βασιλείᾳ αὐτοῦ· sermo esset de reditu Christi visibili, quem nemo eorum vidit, qui tum magistrum dicentem audissent; quare illud effatum ad *abitum* Christi in coelum referre maluerunt hoc sensu: versantur inter eos, qui hîc adstant, non morituri, donec Messiam in regnum suum *abiturum* viderint. Atvero de solemni Servatoris reditu agit ille locus, quem filius carissimus (in Commentar. ad Matthaeum) recte, ni fallor, sic expedivit, ut τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ vertamus: *venientem in regno suo,* i. e. *in medio quasi regni splendore.* Ἔρχεσθαι, quod proprie significat *venire,* de abitu tum de

mum, si modo unquam, dici potest, ubi omnis nexus orationis, de abeunte loqui scriptorem, clarissime doceat. Sed mittamus verba, de sententiâ disputemus. *Elsnerus* inter se opponi censet loquutiones πρὸ τῆς θύρας ἔρχεσθαι (sic enim explicat v. 8.) et εἰςέρχεσθαι διὰ τῆς θύρας v. 1., atque eos, qui non per januam introierint, sed ante januam revertantur, fures appellari dicit ac latrones. Num igitur fures ante januam, h. e. pro foribus stantes re infectâ abeunt? Immo vero latrones irrumpere solent foribus effractis. Furem nimis modestum profecto nobis narrat *Elsnerus*. Apparet, inepte a V. D. illum *Ciceronis* locum afferri: „non januâ receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus,“ nam omnino non intrat ovile mirus iste fur *Elsneri*.

Cardo autem rei in eo vertitur, quod, ut jam *Wolfius* in curis ad h. l. annotavit, doceri prorsus nequit, formulam πρὸ τῆς θύρας ἔρχεσθαι unquam sic usurpatam esse, aut usurpari potuisse, ut significaret: *ante januam abire.* Minime vero: nam praetereundi sensu ἔρχεσθαι πρὸ — nec usquam dicitur, nec dici potest, quum πρό *praeter, vorbey* nusquam significet. Nuper tamen haec interpretatio perdoctum patronum nacta est *Magenium* in Comment. de doctoribus Christum praetereuntibus (Leucopetrae 1802.)

Neque assentiri possum illis interpretibus, qui dicunt, verbum ἔρχεσθαι h. l. cum emphasi capiendum esse, „*venerunt*, non autem *missi sunt a Deo*,“ h. e. non a Deo jussi, sed suo arbitratu publice prodierunt. Hanc explicationem dubitanter proposuit *Zegerus* his verbis „quamquam et aliter posset huic occurri dubitationi; siquidem in eo, quod ait *venerunt*, non autem *missi sunt*, palam indicat, seditiosos quosdam designari, qui nec vocati, nec missi, sed a se ipsis ac proprio arbitrio incitati advenissent.“ Recte contendas, hanc ipsam explicationem omnium esse antiquissimam et jam olim Patribus eccless. magnopere probatam. Habet eam *Clemens Alexandr.* Strom. I. p. 311. πάντες οἱ πρὸ κυρίου κλέπται καὶ λῃσταί· οὐχ ἁπλῶς πάντες ἄνθρωποι, πάντες δὲ οἱ ψευδοπροφῆται, καὶ πάντες οἱ μὴ κυρίως ὑπ' αὐτοῦ ἀποσταλέντες. Habet *Isidorus Pelus.* epist. CXIX. lib. III. p. 304. — Οὐκ ἀπέστελλον αὐτοὺς καὶ αὐτοὶ ἔτρεχον. Οὐ γὰρ εἶπε πάντες ὅσοι ἀπεστάλησαν, ἀλλ' ὅσοι ἦλθον. Οἱ μὲν γὰρ προφῆται ἀπεστάλησαν. Minus luculenta sunt *Theophylacti* verba, sed videntur eodem tendere. Contra nihil evidentius est *Euthymii Zig.* sermone p. 369. edit. Matth. οἱ προφῆται γὰρ οὐκ ἦλθον ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' ἀπεστάλησαν ἐκ τοῦ θεοῦ. Neque omitto *Augusti-*

num contra Advers. leg. t. 8. 589. „venisse quippe hoc loco intelligi voluit eos, qui missi non fuissent." Sed haud magni laboris est, hanc opinionem refutare. Primum enim verbum ἔρχεσθαι per se solum hanc vim habere nullo modo potest, nisi certius quiddam, unde pateat illa emphasis, addatur. Johannes quidem tum sine controversiâ ita dixisset: πάντες, ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἀφ' ἑαυτῶν (ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ cap. V, 43.) ἦλθον, quemadmodum scripsit idem cap. V, 30. Deinde si ii tantummodo ἐλθεῖν dici possunt, qui non publice legati sunt, quid ita tandem Jesus v. 10. de semetipso professus est ἐγὼ ἦλθον? neque enim ulla causa subest, quare *veniendi*, sive *in publicum prodeundi* verbum aliâ ratione de istis impostoribus, aliâ de Christo dictum esse statuamus; certe utrique, quantumvis inter se diversi longeque discrepantes, in lucem erant progressi. Quae quum ita sint, interpretatio illa non solum artificiosa, ut *Lückio* visa est, sed omnino falsa judicari debet. Conjectura autem, quam *Müllerus* in Commentat. ad h. l. (vid. *Kuinoel.*) proposuit, legendum esse χωρὶς ἐμοῦ (sine me), nodum, qui expediendus erat, secat, neque Viro Doct. in mentem venisset, locum, qui insanabilis videretur, hâc medicinâ curare, si veram Servatoris mentem assequutus esset.

Converto me ad *Olshausenii* explicationem, nuper illam quidem hominibus quibusdam doctis probatam, verum et toto genere vanam et obscuram, adeo ut singula interpretis verba ex illius Commentario hîc transscribere cogar.

„*Für meine Person*, ait, *neige ich mich der früher schon vorgetragenen Ansicht zu, welche hier falsche Propheten, d. h. Irrlehrer überhaupt bezeichnet fand. Freilich hat es seine volle Richtigkeit, dass* πρό *niemals gleichbedeutend ist mit* χωρίς (hoc profecto tam certum est, quam quod maxime), *allein wohl kann nach einer natürlichen Aposiopesis der Satz, zu dem* πρό *gehört, den Begriff* χωρίς *in sich schliessen. In unserer Stelle nun befasst das* ἦλθον πρὸ ἐμοῦ *den Begriff des Wirkens ohne mich, und nehmen wir nun noch das Kommen Christi weder von seinem Amtsantritte, noch von seinem Geborenwerden, sondern von seinem geistigen Kommen und Wirken, so lässt sich der Begriff „falsche, von Gott nicht beseelte Lehrer, die ohne Zusammenhang mit dem Logos sind," den Worten füglich vindiciren, und diese Bedeutung genügt allein der ganzen Rede.*"

Non dubito fore, haud equidem plerosque, sed, ut nunc sunt tempora, fore tamen, qui hoc genus explicandi profundi interpretis

personâ dignissimum judicent. Mihi id tamen mirabile videtur, idemque statuent omnes, qui attendunt, quid loquendi consuetudo postulet, aut certe ferat, quid orationis series, quid scribentis loquentisve consilium, neque vanâ pietatis specie sibi imponi patiuntur. Ficta sunt enim tantum non omnia in hâc tam argutâ disputatione. Etenim plane nihil video, unde appareat, sententiae, in quâ inest *πρό* (*der Satz, zu dem πρό gehört*), per aposiopesin naturali modo, nescias quo, notionem, quam fundit *χωρίς*, inhaerere. Nam illi praestigiatores, Pharisaei non sic a Jesu defecerant, ut *sine eo* essent, sed Jesum Nazarenum, verum Dei filium, aut plane ignorabant, aut nullo modo curabant. Deinde *Olshausenii* explicatio non minus absurda est, quam ejus ratio videretur, qui hanc sententiam: „*Titius jejunus est Evangeliorum interpres, non profundus*" his verbis enuntiaret: *Titius ante Sempronium* (qui scilicet primus Evangelia profunde explicuerit) *Evangelia explanavit.* Qui haec recte dici defenderet, quum, qui *ante Sempronium* interpretem egisset, eum *sine Sempronio* fuisse ideoque *τῷ βάθει Sempronii* utique carere debuisse, idque per *aposiopesin* (ante *Sempronium* — —) indicatum esse observaret, eum, nisi fallor, rectissime rideres diceresque, difficile esse satyram non scribere. Postremo adventus Christi mystici, quem sentiri ajunt in animis eorum, qui plurimum credunt, hoc quidem loco nec vola est, nec vestigium. Quin unice de eo adventu cogitari voluit Servator, quo in publicum prodierat hominum custos, nutritor et pastor, h. e. Messias.

Vera est *Kuinoelii*, *Lückii*, *Tholuckii* et *Meyeri* interpretatio, qui Servatorem h. l. de doctoribus (ducibus) falsis *sui temporis* disserere, idque more suo populariter, censent h. s.: „a me instituuntur et constituuntur doctores hoc nomine digni, *omnes fere* (plerique Matth. XXI, 26.), qui his temporibus, antequam ego janua apparui, Messias et doctor summus prodii, a quo doctores instituuntur et constituuntur *doctores populi fuerunt*, ad ovile accesserunt, erant homines *pessimi*, doctores hoc nomine indigni, lucri commodorumque cupiditate ducebantur, auctoritate suâ abutebantur, eorumque conatus perniciem populi spectabant. Tales autem erant Pharisaei, cf. Matth. XXIII, 13 sq. 23 sq."*). Quamquam ego Pharisaeos pervelli, tum qui ante Jesu tempora, tum qui post Servatorem natum populi judaici duces se venditarunt, magis credo h. s.,

*) Usus sum *Kuinoelii* verbis.

ego sum hominum custos et nutritor; omnes, *quotquot ante me* e vestro Pharisaeorum coetu *venerunt* (in publicum prodierunt v. *Bretschneideri* Lexic. I, 492. *Wahlii* Clav. I, 628.), homines avari sunt et nocentes.

At, inquis, *Pharisaeos* peti ante Jesum in medium progressos, nullâ voce indicatum est. Nempe hoc ex eo apparet, quod totam hanc orationem Jesus in Pharisaeos ita convertit, ut his se opponat. Quare quorum ingenium Jesu indoli repugnare dicatur, ii neque V. T. prophetae, neque falsi Messiae esse possunt, sed debent *Pharisaei* judicari. Neque illâ interpretatione (qui ante me *inter vos* in publicum prodierunt) verba *inter vos* Johanni temere obtruduntur (cf. Ven. *Tholuck* p. 189.). Nam quum Jesus et verba faciat Hierosolymis et loquatur ad Judaeos, formula ὅσοι ἦλθον πρὸ ἐμοῦ hanc sententiam contineat necesse est, omnes quotquot *in hâc civitate* ante me publice prodierunt.

Gravior est haec dubitatio. Etenim quo tandem jure, dixerit quispiam, Servator affirmare potuit, sui temporis doctores, qui ante se publice prodiissent, ad unum omnes fures potius esse ac latrones, quam ovium pastores et custodes? Summâ injuriâ affecisset cordatos illos et veritatis amantissimos magistros, qui, uti nunquam non reperiuntur, ita ne illâ quidem aetate, quamvis perversissimâ, plane deesse potuerunt. Quae difficultas non ita tollitur, ut dicas, voc. πάντες non esse urgendum, sed indicare potius *multos, plerosque*. Nihil profecto minus; nam Matth. XXI, 26. aliisque locis plurimis, ubi notio vocc. πάντες, πάντα sic restringenda est, ut non *omnes* et *omnia*, sed *multos* et *multa* intelligamus, fit hoc ut in vitâ communi, atque, quid scriptores sibi velint, facile perspicitur, quemadmodum nemo de nostrorum verborum sensu dubius haerere potest, qui nos ita loquentes audiat: *jedermann sagt, das weiss alle Welt.* At ubi quis *sibi soli* aliquid vindicat, *omnes*que alios exclusos vult, ibi res ipsa loquitur, voc. *omnes* maxime esse urgendum. Num vero hanc assertionem: „*mihi soli* hoc competit, *omnes alii* temere sibi idem arrogant“ tu ita interpretaberis: quod unice meum est, id *multi, plerique* per nefas sibi sumunt?

Responderi tamen potest, de Pharisaeis *in universum* Servatorem hoc verissime dicere potuisse. Omnes enim plus minusve avari exstiterunt ac populo perniciosi, quum commodo suo quodamtenus ducerentur Matth. XXIII, 14., et homines aut perversâ disciplinâ (quî enim Pharisaeus Pharisaeum exuerit? Matth. XXIII, 16 sq.), aut malâ vitâ Matth. XXIII, 3. 28. corrumperent. Et ut

fuerint nonnulli Pharisaei ejusmodi, ut malam disciplinam animi honestate vincerent, ita tamen vel in officio claudicabant, vel in institutione, ut *cum Servatore nostro collati* homines commodorum suorum nimis memores et hominum societati perniciosi videri possint et prope debeant.

Postremo ultima versus verba *ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα* nostrae interpretationi videri possunt obstare. Illa enim verba, dicat aliquis, quid aliud sibi volunt, nisi hoc: *sed illorum vocibus Judaei non obsequuti sunt?* At Pharisaei, quos hoc sermone peti creditis, sane habuerunt disciplinae suae alumnos magistris aures sitientes praebentes; quare Servator neutiquam dicere poterat, *oves hos pastores non audivisse:* neque fas est, illorum verborum sensum cum *Kuinoelio* constituere hunc: „*sed oves*, populus, Judaei veri amantes pietatisque studiosi, ita animati, ut ille caecus erat, *eos non audiverunt*, iis non obtemperarunt, eos repudiarunt et contemserunt." Nam ubi, quaeso, latet causa, quâ ducti statuamus, ovium notionem ita restringendam esse, ut non nisi Judaeos veri amantes pietatisque studiosos intelligamus? Quin *τὰ πρόβατα* sunt *die Schafe*, oves, quas illi pastores quaerebant, ergo *asseclae, discipuli.* Tales autem quum Pharisaei permultos eosque obedientissimos haberent, illo quidem sensu Servator de istis minime dicere potuit: *ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα.*

Pauca accipe contra. Recte *τὰ πρόβατα* ad *pios* Judaeos referri, ex eo emergit, quod Jesus Pharisaeos ad praecedentem allegoriam respiciens v. 1 — 5. *fures et latrones* vocat, qui quum in *alienum* gregem invadant v. 1., manifestum est, *τὰ πρόβατα* non quidem homines *Pharisaeis peculiares* (discipulos magistrorum similes), sed homines *alii peculiares*, i. e. probos et Pharisaeis dissimiles Judaeos, quorum se Pharisaei dominos temere jactaverint, dici. Adjunge, quod Jesus verbis *ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα* ad hominem caecigenum, qui Pharisaeis obedientiam denegaverat, sibi praestiterat (cap. IX.), aperte allusit.

Sententia v. 10. prolata: *ego in publicum prodii, ut vitam oves haberent eamque beatam*, Jesum eo perduxit, ut se v. 11 seqq. *bono pastori*, qui vitam pro ovibus profundere sciat, aequipararet. Scilicet morte Christi expiatoriâ ad sempiternam vitam aditus nobis patefactus est.

V. 11. *Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός*] Perperam *Lutherus* transfert: *ich bin ein guter Hirte*, cujus versionis patrocinium *Kuinoelius* infelicissime suscepit. Non negat quidem Vir Doctiss.,

articulum *aliis in locis saepius vim aliquam habere*, sed. h. l. articuli repetitio non magis ei urgenda videtur, quam cap. XV, 1. in verbis ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. At non *saepe*, sed *ubique* articulus, tum alias, tum in N. T., vim habet non *aliquam*, sed *certam* et satis *definitam*, neque ὁ ποιμὴν ὁ καλός per constantissimum loquendi usum esse potest *ein (irgend ein) guter Hirte*, quin est *der gute Hirte* sensu praecipuo. Eadem plane ratio est loci cap. XV, 1., ubi aeque vitiosa est *Lutheri* versio: *ich bin ein rechter Weinstock*. Minime vero; immo de eximiâ et unicâ vite sermo est: talem autem se dicit Jesus, quatenus iis, qui sibi fidem habuerint, id sensu nobilissimo praestet, quod vitis palmitibus omnem suum succum suamque fertilitatem ex vite trahentibus largiri soleat. Et hîc quoque se verae ac sempiternae felicitatis auctorem describit eodem plane sensu, quo cap. 1, 9. τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν dicitur et cap. VI, 32. ὁ ἄρτος ὁ ἀληθινός. Non hoc tamen mihi volo, verba ὁ ποιμὴν ὁ καλός vi suâ Messiam denotare, quin idcirco Jesus nunc *lumen*, nunc *panis coelestis*, nunc *vitis* recte vocatur, quod fuit Messias, h. e. is, qui lumen hoc nomine dignissimum nobis afferret, qui aeternâ vitâ suos alumnos nutriret, qui, ne nobis pereundum esset, mortem adiret, denique qui homines secum arcte nexos certo bearet.

Per se non liquet, quo sensu divinus magister se bonum pastorem h. l. dixerit, nam quum boni pastoris munus plurimis officiis contineatur, hoc non unâ de causâ fieri poterat; at patet ex adjectis. Nimirum *moriar*, inquit, *pro salute hominum* (καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τ. προβάτων.). Scilicet bonus pastor oves a ferarum impetu strenue defendit ipsumque se iis dilaniandum praebet potius, quam oves rapi patiatur. Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων] Male pauca quaedam subsidia pro τίθησιν substituunt δίδωσιν, haud dubium glossema. Mira et uni fortasse Johanni propria loquutio est τὴν ψυχὴν τιθέναι. Vide infra v. 17. 18. cap. XIII, 37. 38. XV, 13. 1 epist. III, 16. Sensus hujus formulae ubique est hic: *animam profundere*, sed illud quaerimus, quam vim habeant singula verba et e quonam fonte omnis dictio profluxerit. Et eos quidem locos atticorum scriptorum, qui a *Kypkio* in observatt. sacrr. p. 388. comparati sunt, alienos esse, vel certe minus quadrare, *Meyero* assentior, nec facile credam, loquutionem ψυχὴν τιθέναι ex ullo scriptore graeco proferri posse. Erunt fortasse, qui apud Johannem latinismum odorentur, propterea quod scriptores latini crebro dixerunt *spiritum deponere*, *vitam ponere*,

aut simili modo (exempla quaedam l. l. *Kypkius* congessit): at equidem ad latinismos, nisi extremâ necessitate coactus, nolo confugere. Certum puto, loquutionem *ψυχὴν τίθημι* proprie id valere *animam discrimini committo, ich setze mein Leben auf's Spiel.* Neque male plerique compararunt Hebraicum illud שׂוּם נֶפֶשׁ בְּכַף Jud. XII, 3. 1 Sam. XIX, 5, XXVIII, 21. Job. XIII, 14. (de quâ formulâ accuratissime disputavit *Gesenius* in Lexic. lat. p. 497.), tametsi in hujusmodi locis בְּכַף nunquam omittitur, dummodo non praefracte affirmassent, Hebraismo usum esse Johannem. Nam Graeci quoque, veluti ipse Homerus, *similiter* dixerunt *ψυχὴν παρατίθεσθαι*, cf. Odyss. II, 327. et IX, 255 *).

Quare de morte suâ hominibus salutari Jesus hîc loquitur estque hic locus persimilis effato Jesu apud Matthaeum XX, 28., ubi filius hominis ideo in mundum venisse dicitur, ut vitam suam profunderet *loco multorum* (*ἀντὶ πολλῶν*) h. e. ne multis moriendum (pereundum) esset. Igitur utroque loco de instante supplicio Servator disserit, atque manifesto eam mortis suae vim indicat, quâ sacrificio confertur piaculari, cfr. quae ad Matth. locum *C. F. A. Fritzsche* p. 623. annotavit. Quatenus autem Christus, ut patris coelestis voluntatem exsequeretur, sponte suâ mortem subiit, quam recte vicariam dicunt, non erat *doctor* hominum (vide infra), sed eorum *expiator* ac *redemtor*, neque in hoc negotio quemquam habuit sibi similem, sed unus erat hominum pastor, non *καλὸς ποιμήν*, sed *ὁ ποιμὴν ὁ καλός*, qui, ut Paulus Act. XX, 28. loquitur, gregem morte suâ sibi acquisivit.

V. 12. De hoc vs. *Meyerus* sic disputat: *ὁ μισθωτός*] *Es ist falsch, mit Kühnöl u. a. hierin eine Bezeichnung der Pharisäischen Lehre zu finden. Denn da Christus sich selbst den Hirten, den Eigenthümer nennt, so müsste ja der Miethling von ihm gemiethet sein, was auf die Pharisäer durchaus nicht passt.* „(Haec argutius quam verius Vir Doct. dixisse mihi videtur. Nam

---

*) Non placent quae Ven. *Tholuckius*, ut loquutionem τ. *ψυχὴν ἑαυτοῦ τιθέναι ὑπέρ τινος* illustraret, attulit. Nam formula שׂוּם נֶפֶשׁ בְּעַד, quam verbis nostri loci graecis respondere Vir Doctiss. affirmat, nullibi legitur. Tum Jes. LIII, 10. שׂוּם אָשָׁם נַפְשׁוֹ notat vitam suam ponere (i. e. facere) delicti sacrificium, h. e. delictum sua vitâ luere, vid. *Gesenium* ad h. l. Denique rabb. מְסַר est tradere, ut in formulâ אִתְמְסַר לְמִיתוּתָא morti tradi, cf. *Buxtorfii* Lexic. talmud. p. 1233.

pastor et *mercenarius* hoc fine invicem opponuntur, ut tum viri, qui homines sibi subjectos ad se pertinere arbitratus fideliter tueatur, notio exprimatur, tum hominis cogitatio enuntietur, qui homines sibi commissos commodi studio adductus perfide deserat. Male igitur et argute quaeras, a quonam ὁ μισθωτός mercede conductus fuerit. Habuit sane Jesus, quum esset ὁ ποιμὴν ὁ καλός (v. 11. ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός) oves sibi peculiares, sicut quivis habet, quem recte voces ποιμένα. Sed v. 11 verbis ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τ. ψυχὴν ἑαυτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τ. προβάτων *de bono pastore* et v. 12. 13. *de mercenario* exponit generatim, ut et, quae ille recte facere soleat, ostendat et hujus malam indolem describat). „*Die Schilderung des Miethlings ist vielmehr zur stärkern und lebendigern Hervorhebung der Schilderung des guten Hirten hinzugefügt, so dass damit nicht eine Beziehung auf bestimmte historische Personen beabsichtigt ist, sondern überhaupt die Versinnlichung der Idee eines schlechten, ohne höheres Interesse nur um des Lohns willen wirkenden Lehrers (?). Der Schatten des Contrastes sollte die lichten Züge des guten Hirten noch verherrlichen.*“ Verum est, Jesum h. l. tum boni pastoris, tum mercenarii formam et effigiem *in universum* exprimere. Nihilominus Servatorem in Pharisaeos, qui mercenariorum animos gererent, hâc oratione digitum intendisse arbitror, quum totâ oratione hoc agat, ut, quantum a Pharisaeis ipse distet, doceat. Ac se esse τὸν ποιμένα τὸν καλόν diserte affirmavit; quosnam τοῦ μισθωτοῦ nomine dixisset, Pharisaeos e toto sermone suspicari posse putavit eoque contentus fuit. Item supra v. 1. Jesus *generatim* loquutus tamen se et Pharisaeos intellectos voluit. Ridicule *Euthymius Zig.* et *Olshausenius* lupum dici putant diabolum. Nimirum non lupus, sed tota mercenarii descriptio *e vitâ communi petita* ita ad rem revocanda est, ut mercenarium ducem indicari existimemus, qui homines in fidem suam receptos ingruente periculo, suae memor salutis, perfide deserat exitioque exponat. — *Καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτά*] Subintellige e verbis antecedentibus (καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα) πρόβατα, *et lupus rapit oves quasdam et totum ovium gregem* (τὰ πρόβατα) *dissipat*. Quodsi τὰ πρόβατα cogitando addideris, absurda est sententia. (Neque enim lupus totum gregem abripit). Quod quum nonnulli, vulgatâ lectione retentâ, utique faciendum esse putassent, ne absona sententia esset, alii αὐτά deleverunt (sic D. Vulg. h. sensu: *lupus rapinam facit* [absolute] *et gregem disjicit*), alii τὰ πρόβατα expunxerunt, v. g. B. L. 1. 33. al.; καὶ ὁ λύκος

ἁρπάζει αὐτά (i. e *τὰ πρόβατα*) *καὶ σκορπίζει*, et lupus *ovium gregem* (ut res docet, *partim*) abripit et *(partim)* dispergit. Non recte *Meyerus αὐτά* ad sequens Nomen (*καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα*) refert, laudato *Bornemanno* ad Xenoph. Conviv. p. 210., qui Pronomen *αὐτός* passim in priori, Nomen vero ipsum in posteriori loco inferri docuerit. At non tam locus considerandus erat, quam membrorum vis logica spectanda. Nempe membrum primarium Nomen habet, secundarium Pronomen, ut in quibus *Bornemannus* citavit locis: Xenoph. de Venat. 12. 19. *ἴσως μὲν οὖν, εἰ ἦν τὸ σῶμα αὐτῆς* [*τῆς ἀρετῆς*] *δῆλον, ἧττον ἂν ἠμέλουν οἱ ἄνθρωποι ἀρετῆς*, ubi structuram hanc esse quivis intelligit: *ἴσως μὲν οὖν οἱ ἄνθρωποι ἧττον ἂν ἠμέλουν ἀρετῆς, εἰ ἦν τὸ σῶμα αὐτῆς δῆλον.* Cyrop. I, 4. 2. *καὶ γὰρ ἀσθενήσαντος αὐτοῦ οὐδέποτε ἀπέλιπε τὸν πάππον.* — h. e. *καὶ γὰρ οὐδέποτε ἀπέλιπε τὸν πάππον ἀσθενήσαντος αὐτοῦ*, vide etiam *C. F. A. Fritzsche* ad Matth. p. 559.

V. 13. Dubitari potest, utrum verba *ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει* cum criticis monumentis haud ita paucis, in quibus etiam Codices B. D. L. reponendi sunt, deleri debeant, nec ne. Quodsi cui ad delendum animus inclinet, is ita disputet, grassatum hîc esse jam antiquitus correctorem, qui has voces majoris perspicuitatis causâ insereret, quum non vidisset, parenthesi includenda esse vocabula v. 12. *καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει — τὰ πρόβατα*, atque adeo conjunctionem *ὅτι* a verbo *καὶ φεύγει* pendere. At enimvero huic rationi, ut permagnam auctoritatem vulgatae lectionis praeteream, duplici modo occurri potest. Principio ista parenthesis, verbis minime otiosis jam nimium delitescentibus, lumen orationis exstinguit, nec facilitate interpretationis commendatur. Deinde vero nihil aptius, nihil etiam elegantius cogitari potest hâc ejusdem verbi repetitione: *ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι.* Tam concinnum dicendi genus nunquam in mentem venisset librario correctori, qui suam ipse inscitiam facile prodidisset ac simpliciter ita loquutus esset *ἐκεῖνος δὲ φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι.* Immo vero illa vocabula *ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει* sedulo ab iis exstincta sunt, qui orationem hoc modo cohaerere existimabant: *σκορπίζει τὰ πρόβατα, ὅτι μισθωτός ἐστι* — i. e. *lupus singulas oves rapit totumque dissipat gregem, quia ille est mercede conductus, neque curam gerit ovium.* Ac nemo negaverit, hanc sententiam per se bonam esse, nec solam reprehendi posse, sed aliud, longe aliud consilium fuit Johanni. Is enim ingenium mercenarii uberius describit atque

vetat nos mirari, cur talis homo aufugere soleat (cf. v. 12.); esse enim plane mercenarium, neque vero praecipuâ quâdam curâ ovium tangi.

V. 14. 15. Ut in verbo *γινώσκειν*, quemadmodum in hebraico יָדַע Amos. III, 2., passim *curae* et *amoris* notio inhaereat (vid. *Gesenii* Lexic. lat. p. 405.), quamquam haec vis certis quibusdam iisque arctioribus, quam vulgo putant, limitibus circumscribenda est, hoc tamen loco *cognoscendi* notio unice tenenda est, manifestum est enim, h. l. ad superiorem allegoriam v. 3. 4. respici: Ego sum bonus pastor et cognosco mihi peculiaria et a meis cognoscor, sicut cognoscit me pater et ego patrem cognosco. Itaque se Jesus bonum pastorem hîc vocat propterea, quod mutuus usus inter se et suos sibi intercedat, quum contra mercenarium leviter et perfunctorie oves curare constet, ut neque oves eum satis noverint, neque ipse oves. *Amoris*, quo Jesus suos complectatur, notio nonnisi ultimis versus quinti decimi verbis *καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων* denuo enuntiatur.

Καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν] Nimium mihi videntur tribuisse lectioni *καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά Millius* (Prolegg. p 430.), *Bengelius, Griesbachius,* quam ne mediocriter quidem commendare debebant, ut mihi quidem videtur. Taceo illud, quod pauciores libri eam defendunt iique ipsi pluribus modis inter se discrepant, non solum eo, quod alii Codd. *γινώσκουσί μ ε* (pronomen encliticum), alii *γινώσκουσιν ἐ μ έ* exhibent, sed etiam interpunctione, de quâ re admonuit *Wetstenius:* postremo D a primâ manu legit *γ ι ν ῶ σ ι ν ἐμὲ τὰ ἐμά* (sic) et ex emendatione demum *γ ι ν ώ σ κ ο υ σ ι ν ἐμὲ τα ἐμά*. Concinne loqui Johannem, non sum nescius: verumtamen tam putida concinnitas *καὶ γινώσκω τ ὰ ἐ μ ὰ, καὶ γινώσκουσί με τ ὰ ἐ μ ά* ab eximii Apostoli ingenio procul abhorret (Johannes enim certe posterius illud *τὰ ἐμά* omisisset, ne duo membra nimium similia fastidiique plena evaderent). Contra est sermonis quaedam aequabilitas, quam scriptores divini fugiant, librarii autem et jam antiqui interpretes, quibus tot interpolationes N. T. debemus, cupide venentur. Sic etiam h. l. fuerunt, qui praeclare cum Johanne actum iri sperarent, si suo ipsi arbitrio ita interpolassent: *καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά,* quam temeritatem sequens versus haud dubie peperit. Namque hoc pacto non solum illa amice conspirabant *καὶ γινώσκω τὰ ἐμά* — atque *κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα*, verum etiam alterum membrum *καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά* atque *καθὼς γινώσκει με ὁ πατήρ* utrobique pulchre videbantur convenire. At enim ob hanc ipsam causam dedit

Johannes *καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν*, ut molestam iterationem accusativi et nominativi *τὰ ἐμά* nihil ad sonum differentis evitaret. Viderat enim, et sententiam manere prorsus eandem, neque veram concinnitatem, quae rem spectat, non lusum quaerit, ullo modo imminui: egregie enim ad sensum haec quoque inter se conveniunt: *καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν·* atque *καθὼς γινώσκει με ὁ πατήρ.*

Jam Servator mente futura praecipiens v. 16., esse sibi alias oves ad hanc quidem caulam non pertinentes profitetur, has se pariter gregi suo adjuncturum esse, dicit easque et ipsas voci suae obsequuturas esse, ut unus evadat grex unius pastoris (*καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν· καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν*). Quibus verbis clarissime indicavit, gentes etiam ad Christianorum societatem adductum iri easque participes futuras esse salutis a se partae sempiternae. Aliter, si quid video, haec Servatoris assertio ne potest quidem explicari. Etenim *τὴν αὐλὴν ταύτην* procul dubio populum judaicum dixit, in quo constitutus hactenus docuerat, et ex quo sibi gregem elegerat: quare *ἄλλα πρόβατα, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης* homines sint a civitate judaicâ alieni, h. e. exteri in universum, necesse est. Fuerunt interpretes, qui Samaritanos a divino magistro innui dicerent, sed sine justâ causâ, quum enunciatio sit universalis, neque quidquam additum videamus, unde appareat, formulam ad Samaritanos restringendam esse. Non magis Ven. *Pauli* valere potest sententiá, qui per *alias oves ad hanc quidem caulam non pertinentes* Judaeos extra Palaestinam degentes intellectos vult. Quodsi verum esset, divinus magister parum accurate loquutus esset, certe perobscure. Nam exteri quoque Judaei ad Israelitarum gregem pertinebant, atque ex hoc ovili, ex hâc Israelitarum gente prodierant. Cur igitur eas appellasset *ἄλλα πρόβατα, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης*? nisi forte obscurum dicendi genus de industriâ consectatus est: at si Servator *de exteris in universum* cogitavit, aptissima ejus est oratio*).

---

*) *Wolfius* in curis non favet *Pauli* opinioni, uti *Kuinoelio* visum est. Monet potius, de *gentibus* sermonem esse, idque quum per se pateat (postulantibus quippe hoc legibus oppositionis), etiam interpretes tantum non omnes agnovisse. Neque tamen *Wolfius* Judaeos extra Canaanem versantes, de quibus Petrus 1 epist. II, 25. dicit: ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα· ἀλλ᾽ ἐπεστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν

Vana sunt argumenta, quibus Ven. *Paulus* in suam se sententiam duci passus est. Nimirum observat, Jesum nihil unquam aut dixisse aut fecisse, unde intelligatur, voluisse se etiam gentiles ad Judaeorum sacra conversos in regnum Messianum recipere. Nunquam Jesum ad gentiles iter fecisse, nec a more prophetarum, gentilibus bona quaevis hâc demum lege, ut ad Judaeorum sacra transirent, ominatorum deflexisse; Petrum autem tum demum, quum ad Cornelium arcessitus esset Act. X, 34 sq., certo cognovisse, ad regnum divinum etiam gentilibus aditum patere.

Atvero in Evangeliis non desunt loci, qui contrarium doceant. Quae enim Jesus Joh. IV, 20 sqq. mulieri Samaritanae dixit: *mihi crede, venturum esse tempus, quo neque in hoc Garizino monte, neque Hierosolymis Deum adoretis*, quid tandem indicent, nisi, hoc, brevi futurum, ut religio multo major et augustior, quam qualis esset Judaeorum et Samaritanorum, obtineat, et ea quidem religio, quae animum nutriat, neque caerimoniis absolvatur, sed quae in verâ Dei cognitione vitâque huic sententiae consentaneâ cernatur? Nonne his verbis planissime Jesus docuit, veteres Judaeorum caerimonias antiquatum iri? Cfr. quae ad h. l. recte nuper a *Lückio (Commentar über das Evangel. Johannis* edit. 2. 1833.) disputata sunt.

Non minus clara sunt Servatoris verba, qui, quum sacram coenam institueret, sanguinem suum τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης vocavit, Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 29. Luc. XXII, 20., novo autem foedere novam religionis formam veteri illi Mosaicae oppositam indicavit. Tum piis gentilibus sempiternam beatitatem Jesus ominatus est pulcherrimâ parabolâ Matth. XXII, 1—13. Postremo apostolos *omnium gentium homines* instituere et ad sacra sua adducere jussit Matth. XXVIII, 20. Marc. XVI, 16.

Sed non est, quod diutius immoremur opinioni satis jam refutatae a *Rauio* in Comment. *de Jesu gentilium pastore ad Joh. X. 16.* (Erlang. 1807.), cujus argumentum *Kuinoelius* in Commentar. ad h. l. in compendium redegit et merito probavit; add. *Tittmanni*

ψυχῶν ὑμῶν· excludendas censet. Quae sententia procul dubio verissima est: nam si Servator h. l. de salute ad omnes omnino homines sine populorum ac regionum discrimine spectante loquutus est, non excludi potuerunt Judaei παρεπίδημοι διασπορᾶς; quaeritur tantummodo, num exteri Judaei satis commode *oves non ex hâc caulâ profectae* dici potuerint?

(Lips.) Comment. *de Jesu rerum e consilio patris peragendarum vere sibi conscio* (Lips. 1816.), recusa in ejus Opusc. ab *Hahnio* editis, et quae docte disseruit *Heubnerus* in excursu secundo ad aureum summi *Reinhardi* librum *Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf* quintum a se editum (Vitebergae 1830.) p. 394 sqq.

Ubi vero Jesus affirmavit, velle se homines sine gentis discrimine gregi suo adjungere atque ita efficere, ut totum genus humanum, se duce ac Domino, in unum coetum coiret, ibi se Messiam certissime professus est: talia quippe non nisi a Messiâ exspectari poterant, eratque Servatoris auditoribus ex prophetarum vaticiniis satis notum, aureo illo Messiae seculo omnes omnino populos ad verum Dei cultum perennemque felicitatem adductum iri, cf. Jes. II. et ad h. l. *Gesenii* elegantissimas observatt.: atque vel sic intelligitur, Jesum se non professum esse pastorem *unum e multis*, quamquam eximium et praestantissimum, sed *τὸν ποιμένα τὸν καλόν*, h. e. eum, qui prae ceteris recte sic appelletur, h. e. *Messiam.*

De quo si vel minima restaret dubitatio, rem omnem conficerent, quae v. 24. sqq. legimus, ubi Judaei postulant, ut tandem aperte dicat, sitne Messias, an non sit, neque suos animos diutius suspensos teneat (*ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις; εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ*). Nihil ad nostram rem pertinet, quo animo hoc dixerint. Mihi quidem id minime videtur dubium, nam quae de illorum hominum indole et mente in Jesum aliunde scimus et quae v. 31. narrantur (*ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν*), indicio sunt, hanc quaestionem ex animo subdolo profectam esse, ut ansam eum cavillandi et novarum rerum, quas moliretur, accusandi nanciscerentur. Non suspicabantur ex verbis Jesu minus ipsis perspicuis, illum Messiam esse, neque ab eo edoceri volebant, sed hoc malitiosis hominibus stomachum fecit, quod Jesus tecte potius et per ambages, quàm diserte et perspicue se Messiam esse indicaverat. Nunc igitur ab Judaeis provocatus, quis esset, exposuit apertissime. *Dixi vobis,* inquit v. 25. (illud ipsum, de quo quaeritis), *at non creditis* verbis meis et, quod majus est, ne *factis* quidem meis fidem habetis, nam de grege meo non estis (*εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε· τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ. Ἀλλ' ὑμεῖς οὐ πιστεύετε· οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν*). Facta autem (*τὰ ἔργα*) non sunt, ut sat multis inter-

pretibus visum est, facta Jesu quaevis, vita ejus sanctissima, neque totum Servatoris opus, nominatim doctrina salutaris. Neutiquam enim assentiri possum *Bretschneidero* in Lexic. I. p. 483. edit. 2. affirmanti, τ ὸ ἔ ρ γ ο ν Servatoris et τ ὰ ἔ ρ γ α ejusdem apud Johannem sensu plane eodem de toto opere Christi usurpari. Quin hoc quidem significat τὸ ἔργον, ut cap. XVII, 4. (ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ ἔ ρ γ ο ν ἐτελείωσα κ τ λ) at τὰ ἔργα apud Johannem ubique sunt miracula a Servatore patrata, atque ut Jesus nostro loco *verba* sua (εἶπον ὑμῖν) a *factis* suis (τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ κ. τ. λ.) discernit, ita etiam cap. XIV, 10. 11. τὰ ῥήματα a τοῖς ἔργοις distinguuntur, cfr. quae accuratissime hâc de re disseruit *Schottus* in Opusc. T. I. p. 162. sqq. Add. b. *Weberi* opuscc. academm. eaque apologett. (Lips. 1828.) p. 212 sq. Haec igitur insignia opera (miracula) ita erant comparata, ut cuivis sine irâ et studio judicanti facile persuadere possent, Jesum esse Christum, filium Dei, cf. cap. XX, 30, 31.

Jam vero Jesus eâdem utitur similitudine, quam supra habuimus, nam homines fide sibi addictos *suas oves* dicit, se *pastorem*, et si genuina sunt verba καθὼς εἶπον ὑμῖν, ut sunt*), divinus magister

---

) Verba καθὼς εἶπον ὑμῖν, quae a B. K. L. M 24* 33. 42. 89* 91. ap. Mill. Mt. g. Pers. w. Copt. Sahid. Arm. Vulg. Foss. Germ. For. Colb. Nonn. Chrys. absunt, post *Isaacum Casaubonum* et *Millium* Prol. §. 909. adulterina judicarunt *Kuinoelius*, *Lückius* et, qui ea cancellis circumscripsit, *Lachmannus*, futilibus ducti argumentis. Praetermiserunt enim illa verba, qui ea ad praecedentia vocabula οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν relata absurda judicavissent. Neque enim Jesum, *Judaeos de suo grege esse* v. 1 — 16., infitias ivisse. Veram esse nostram sententiam, ex eo emergit, quod, qui v. καθὼς εἶπον ὑμῖν cum iis, quae v. 27. 28. sequuntur, conjungenda putassent (4. 5. 36. 37. Cant. Corb. Euthymius), ea retinuerunt. Hos qui sequuti sunt, *Knappius*, *Schottus*, *Tittmannus*, *Meyerus* aliique nihil sunt lucrati. Nam ut cetera, quae v. 27. 28. perscripta sunt, Jesus antea dixerit (cf. v. 4. 10. 14.), non illud tamen in superioribus enuntiavit, quod v. 28. his verbis conceptum legimus: κ α ὶ ο ὐ χ ἁ ρ π ά σ ε ι τ ὶ ς τ ὰ π ρ ό β α τ α τ ὰ ἐ μ ὰ ἐ κ τ ῆ ς χ ε ι ρ ό ς μ ο υ. Accedit, quod ii quoque καθὼς εἶπον ὑμῖν propagarunt, qui, ut loci recte ab se percepti intellectum adjuvarent, v. 26. ὅτι οὐκ pro οὐ γάρ exararunt (verbi gratiâ D. 1. 13. 28. 57. 69. 118. 124.). Nempe formula καθὼς εἶπον ὑμῖν non ad totam sententiam οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν pertinet, sed ad sola v. ἐκ τῶν π ρ ο β ά τ ω ν τῶν ἐμῶν spectat hoc sensu: at vos fidem non habetis, non enim (quia non) estis de *ovium mearum grege*, sicut vobis dixi, h. e. at vos fidem non habetis propterea, quod, ut similitudine utar, quam supra posui, ab ovibus petitâ, non estis *de ovium*

ad ea alludit, quae v. 4. 14 et 16. legimus. Sed etiamsi illa vocabula deleveris, hîc tamen v. 27. 28. Christus ipse rationem reddit, cur pastoris nomen in se transtulerit. Dicit enim: *oves meae voci meae obtemperant, ego novi eas meque sequuntur ducem; ego autem vitam aeternam iis largior, ita ut nunquam periturae sint, neque quisquam eas manibus meis eripere possit:* τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γινώσκω αὐτά· καὶ ἀκολουθοῦσί μοι, κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς, καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ οὐχ ἁρπάσει τὶς αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου.

Sunt haec verba luce clariora, nec negari potest, Jesum h. l. Messiae provinciam sibi assignare, quae in eo erat, ut, quicunque ei fidem habuissent, miseriae aeternae erepti sempiternae felicitatis redderentur participes. Est autem haec Messiae dignitas sensu praecipuo *divina*. Quare Jesus, esse se patri conjunctissimum, v. 30. his verbis adjecit: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Quorum verborum sensum non assequuti sunt, qui ea de Jesu cum patre *consensu* explicuerunt. Etenim summus cum patre coelesti voluntatis consensus neutiquam efficere poterat, quod Servator h. l. sibi tribuit, nempe posse se suos aeternae miseriae eripere, iisque felicitatem nunquam cessaturam in regno divino praebere. En opus plane divinum, quod is demum exsequi potest, qui virtute divinâ non destituatur. Talem vero vim Servator nunc sibi vindicat, non illam quidem suâ virtute partam, sed a patre acceptam, quem tum omnibus majorem, tum *se ipso superiorem* profitetur cap. XIV, 28. (ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί). Hinc non mirum est, quae pater habeat, filium quoque possidere (πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατήρ, ἐμά ἐστι Cap. XVI, 15.): tum filium suo arbitrio nihil facere posse, nisi patrem aliquid facere viderit (οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα· ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ,

---

mearum grege, quem mihi morem gerere, iterum iterumque significavi (v. 4. 14. 16.). *Paulus* et *Kuinoelius*, qui ab Apostolo profectum ὅτι οὐκ in οὐ γάρ ambiguitatis evitandae causâ, ne ὅτι a πιστεύετε suspenderetur (at vos non *creditis*, non esse vos de meo grege) mutatum esse putarunt, nimis stultos finxerunt librarios. Idem *Meyero* objecerim, qui l. l. p. 138. sic disputavit: *„für jenes* (οὐ γάρ) *entscheidet die äussere Beglaubigung* (recte); *dieses* (ὅτι οὐκ) *erscheint als eigenmächtige Aenderung, welche geschah, um dem* πιστεύετε *ein Object zu verschaffen."* Hoc facere non poterat, nisi qui aliud ageret locumque, quum somniaret, temere corrigeret.

ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ cap. V, 19.): postremo patrem ac filium arctissimâ necessitudine conjunctos esse (— *ἵνα γνῶτε καὶ πιστεύσητε, ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ* cap. X, 38.). Quae quum ita sint, non solum voluntas filii cum patris voluntate amicissime conspirat, sed gaudet etiam filius divinâ vi ac potestate *a patre sibi concessâ*, quod his verbis enunciat: *ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν*, cf. *Lückius* et *Tholuckius* ad h. l. Quid sibi vellet Servator, Judaei optime perspexerunt, etenim lapides sustulerunt, quibus eum obruerent, idque se ideo facturos dixerunt, quod, qui *homo* esset, *Deum* se venditaret (— *περὶ βλασφημίας* [*λιθάζομέν σε*], *καὶ ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν ποιεῖς σεαυτὸν θεόν* v. 33.).

Ita effecisse nobis videmur, Jesum *pastorem* neutiquam esse Jesum *doctorem*, sed potius generis humani *Servatorem*, qui morte suâ vicariâ, ut in scholis dogmaticis recte loquuntur*), genus humanum ab aeternâ miseriâ liberavit, eique perennem salutem paravit, quâ frui poterunt homines ad unum omnes, si modo fidem habuerint, quae a Theologis recte dicitur *salvifica***), et quae etiam in scriptis Paulinis a fide generali, quam dicunt, distinguitur, ut bene *Bretschneiderus* in Lexic. II. p. 285. affirmavit, male nuper negavit in libro: ***Die Grundlage des evangelischen Pietismus**, oder die Lehren von Adams Falle, der Erbsünde und dem Opfer Christi* (Lips. 1833.) p. 283. sqq., cfr. etiam *Wegscheideri* Institutt. theol. christ. dogm. (edit. 7. Halis 1833.) p. 536. et censuram libri *Bretschneid.* in ephemeridd. literarr. Halenss. *Allgem. lit. Zeitung* 1833. No. 192 et 193.

Praeterea nostrae interpretationis veritatem et res ipsa confirmat et constantissimus usus loquendi in N. T., a quo dicendi consuetudo, quae in Ve. Testam. et in exteris scriptoribus obtinet, minime recedit. Etenim in N. T. *pastoris* nomen ne semel quidem de *doctoribus* legitur, et qui ministrorum sacrorum provinciam ob

---

*) Cf. *Schotti* Commentar. in epistoll. ad Thessalonn. et Galatas (Lips. 1834.) p. 150.

**) Eodem, quo apud Johannem, sensu Christus *pastor* dicitur in *Actis S. Thomae Apostoli*, quae ex codd. Pariss. primum edidit et annotatt. illustravit *Thilo* (Lips. 1823.), ubi in precibus ad Servatorem fusis §. 25. p. 41. haec leguntur: *δέονται γάρ σου καὶ ἱκετεύουσι, καὶ βούλονται ὑπηρέται καὶ διάκονοί σου γενέσθαι, καὶ ἕνεκεν τούτου εὐδοκοῦσι καὶ διωχθῆναι ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν σου, καὶ διά σε ὑπ᾽ αὐτῶν μισηθῆναι καὶ ὑβρισθῆναι καὶ ἀποθανεῖν, ὡς καὶ σὺ ὑπὲρ ἡμῶν ταῦτα πάντα ἔπαθες, ἵνα ἡμᾶς περιποιήσῃ κύριος ὢν καὶ ἀληθῶς ποιμὴν ἀγαθός.*

auctoritatem sacrorum librorum *munus pastoritium (Hirtenamt)* dicendum existimant, religionis vero doctores *pastorum* nomine ornant, nostro, quem tractavimus, loco aliisque N. T. effatis perperam explicatis abutuntur. Scilicet *pastorem* esse *rectorem* iis *providentem* et *consulentem*, quibus praepositus sit, vel ratio docet. Potest sane prouidentiae, quâ suos pastor complectatur, *pars* in eo cerni, ut tenebras ab eorum mentibus dispellat, sed ex hoc, *pastoris* potionem *magistri* cogitatione absolvi, minime consequitur.

Eph. IV, 11. *ποιμένες* ab Apostolis, Evangelistis aliisque doctoribus diserte distinguuntur; sunt igitur ecclesiarum curatores, qui aliis locis *ἐπίσκοποι* appellantur. Apud Matth. XXVI, 31. coll. Marc. XIV, 27. Jesus discipulis futurum esse praedicit, ut proximâ nocte in se offendantur omnes (*πάντες ὑμεῖς σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοί*), h. e. ut exutâ fiduciâ ab se deficiant; quippe eventum habiturum esse oraculum: *percutiam pastorem, tum oves gregis dissipabuntur*. Divinat igitur Jesus discipulorum fugam, atque hoc sibi vult: *me antesignanum vestrum, ducem ac Dominum deseretis*, minime vero hoc: *a me doctore vestro deficietis*. Nam discipulis erat persuasum, magistrum suum esse Dei filium, Messiae regnum propediem summâ cum pompâ instauraturum, atque illae Jesu pastoris oves non erant grex ab ore *doctoris* pendens, neque ideo tantummodo ejus erant alumni, ut reconditam sapientiam ab eo discerent, sed potius *familiares Messiae* fuerunt.

Non alio sensu Servator 1 Pet. II, 25. *pastor et curator animorum* dicitur (— *ἐπεστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν*), ubi alterum (*ἐπίσκοπος*) alteri (*ποιμήν*) explicando inservit, atque idem plane *ἀρχιποιμένος* nomen indicat, quod cap. V, 4. de Christo legitur, nisi quod, vulgarium Christoque subjectorum ecclesiae christ. moderatorum s. pastorum ratione habitâ, Jesus ibi *summus pastor, moderator* vocatur. Hortatur autem Apostolus seniores christianorum (*τ. πρεσβυτέρους*), h. e. singulorum coetuum praefectos, ut gregem Deo consecratum *pascant* (rite gubernent) eique prospiciant. At quum presbyterorum esset, coetum regere, doctrinae integritatem tueri, morum disciplinae prospicere omnemque coetus salutem curare, Christus *ὁ ἀρχιποιμήν* in hâc orationis serie necessario est *summus ecclesiae gubernator et fautor*.

Postremo Hebr. XIII, 20 Christus *magnus ille pastor ovium* (— *ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν τ. ποιμένα τ. προβάτων τὸν μέγαν*) procul dubio est *magnus ille* (et unicus) *dux gregis*. Nam scriptor,

ne haereamus, statim subjicit τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν, docetque, quâ re Christus talis evaserit, nimirum ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου, h. e. eo, quod profuso suo sanguine sempiternum foedus sanciverit. Ergo de morte Christi pastoris loquitur, plane ut Servator ipse in loco Johanneo, docetque, Dominum sanguine profuso, s. cruentâ morte suâ foedus nunquam non valiturum sanxisse, cf. Matth. XXVI, 28. Act. XX, 28. (ecclesiam suo sanguine sibi acquisivit).

Quemadmodum autem pastoris nomen in N. T. semper de praeside, gubernatore, domino dicitur, ita etiam ποιμαίνειν semper est *regere*, nunquam *docere*, cf. Matth. II, 6. Apoc. II, 27. cap. XII, 5. cap. XIX, 15., idque verbum de ecclesiarum praefectis ponitur tum locis laudatis Act. XX, 28. 1 Pet. V, 2., tum Joh. XXI, 16., ubi Dominus Petro munus Apostoli reddit eique curam ecclesiae committit, quam jam olim ei reliquisque Apostolis commiserat Matth. XVIII, 18. Neque aliter interpretari licet verbum βόσκειν v. 18. (βόσκε τὰ ἀρνία μου), inepteque in explicandis his verbis (βόσκειν et ποιμαίνειν) quae, si sensum spectaveris, eodem redeunt, sic arguteris, ut βόσκειν ad docendi negotium, ποιμαίνειν vero ad regimen ecclesiae referas. Est enim in utroque loco v. 15 et 16. de eâdem re sermo, eademque sententia verbis parum mutatis exprimitur. Ceterum τὰ ἀρνία v. 15. et τὰ πρόβατα v. 16. 17. hâc unâ re differunt, quod Christus, quum suos alumnos *suos agnos* s. *oviculas suas* vocaret, tum impensum suum in eos amorem aperuit, tum hoc subindicavit, esse suos alumnos ejusmodi, qui pastorum gubernatione et providâ curâ valde indigeant. Neutrum verbis τὰ πρόβατά μου continetur, quae tantummodo *homines mihi pastori subjectos, a me pastore regendos et adjuvandos* significent. D. Ev. 36. Slav. 2. Verc. Ver. Colb. Chrys. pro τὰ ἀρνία v. 15. praebent τὰ πρόβατα, quod e v. 16. 17. male duxerunt. Alii, qui et ipsi vocc. idem fere valentium varietate offensi sunt, v. 16 et 17. τὰ ἀρνία e v. 15. repetitum exararunt pro τὰ πρόβατα, vid. *Griesbach.* ad h. l.

In Vetere autem Testam. pascendi negotium haud uno in loco in reges, aut principes confertur, unde pastores vocantur, cf. 2 Sam. V, 2., ubi formulae *pascere populum* (אַתָּה תִרְעֶה אֶת־עַמִּי) et *principem populi esse* (אַתָּה תִּהְיֶה לְנָגִיד עַל־יִשְׂרָאֵל) permutantur; adde Jer. XXIII, 1 sqq., quo loco de malis pastoribus populum vexantibus, prementibus, diripientibus Deus queritur, h. e. de pessimis populi regibus et principibus*); in horum locum Deus alios se suf-

---

*) Pastorum nomine h. l. falsi prophetae non comprehenduntur, nam

fecturum esse promittit, in primis regem illum sapientissimum et justissimum ex familiâ Davidis oriundum, h. e. Messiam: tum Mich. V, 3. verbum רָעָה de Messiâ usurpatur, et Deus ipse *pastor* dicitur, quatenus res humanas curat, moderatur, gubernat, Ps. XXIII, 1. XXVIII, 9. LXXX, 2. Sed non est, quod de re notissimâ plures locos afferamus.

Nolim tamen cum *Tittmanno* in meletemm. sacrr. p. 379. affirmare, pascendi verbum nunquam, *nec in linguâ Hebraicâ,* ad doctorem referri. Etenim contrarium patet ex loco Prov. X, 21.: *labia justi multos pascunt* (שִׂפְתֵי צַדִּיק יִרְעוּ רַבִּים), h. e., ut *Gesenius* in Lexic. manual. lat. p. 942. recte interpretatur, *ad virtutem ducunt.* Ergo de *virtutis doctore* verbum רָעָה adhibetur, sed ita tamen, et ei insit notio *nutriendi, gubernandi* ac *conservandi* (*nähren, leiten, durch Leitung und Unterricht erhalten); elucet hoc ex altero hemistichio: *sed stulti ob mentis penuriam moriuntur* (וֶאֱוִילִים בַּחֲסַר־לֵב יָמוּתוּ), cf. *Umbreitus* in libro: *Commentar über die Sprüche Salomonis* ad h. l. Ergo magister sapientiae h. l. non simpliciter ideo, quod doceat, alios *pascere* dicitur, sed propterea quod docendo alios *nutriat, dirigat,* et *in viâ eos retineat, ne pereant.* De virtutis magistro exstat hoc verbum etiam Eccles. XII, 11. et Jer. XVII, 16. de prophetâ mandata Jovae exsequente, cf. *Rosenmüllerus* ad h. l.

De profanis scriptoribus non est, quod longam disputationem ingrediar. Satis enim noti sunt *Homeri* ποιμένες λαῶν Jl. I, 263. II, 243.: aliique similes loci, ut *Xenoph.* Cyrop. 8, 2. 14., qui ad nostrum locum ab interpretibus excitati sunt. In promtu autem est, populorum *pastores* populorum *rectores* et *moderatores* vocari, qui providam illorum curam gerant. Populorum *doctores* et *magistri* ποιμένες neque dicti sunt, neque simpliciter dici potuerunt.

V. 17. *Διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τ. ψυχήν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν*] *Propterea pater me amat, quod vitam meam depono, ut eam recuperem.* Omnis offensio hujus loci in potestate conjunctionis ἵνα posita est. Nam qui vitam suam eo consilio positurus est, ut eandem recipiat, is leviter rem intuenti nec laude ullâ, neque Dei amore dignus videtur, nam suo eum vel lucro, vel gloriae prospicere existimamus, non aliorum utilitati. Verum enim vero ante omnia hoc teneamus, necesse

---

hi deinceps in peculiari oratione seorsim v. 9 sqq. petuntur, cf. *Rosenmüllerus* in scholiis ad h. l.

fuisse non solum, ut mortem obiret Messias, sed etiam ut in vitam restitueretur (Act. XIII, 33 seqq. II, 24. coll. Joh. II, 22.). Sic hujus loci sententia haec est: propterea me pater amat, quod mortem oppetam *Messias*, quem mortuum reviviscere oportet. Jam in omnibus, credo, linguis ea, quae certissime futura sunt, interdum minus accurate menti et consilio ejus, de quo sermo sit, tribui videmus. Hoc igitur modo verbi causâ „*moritur eo, ut reviviscat*“ nihil aliud significat, nisi „*moritur et sine dubio reviviscet.*“ Recte hoc in h. l. transferre licet: idcirco amat me pater, quod vitam depono *cum certa illud quidem spe in vitam redeundi.* Atque haec una est offensionis removendae ratio. Sed possumus etiam ultimum membrum *ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν* non Jesu animo, sed Dei ipsius assignare. „Propterea amat me pater, quod animam meam profundo, ut eam *e sententiâ patris* recuperem.“ Tum ita fere pater sentiet: amo te, quod vitam tuam deperdis, ideo ut — *sic volo, sic jubeo* — eandem recuperes. Ac nescio, an huic explicationi, quam tamen minus simplicem priore videri concedo, proxima verba mire patrocinentur: *ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν· ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τ. πατρός μου.*

His ita disputatis de virorum doctorum sententiis nonnihil adjiciam. Plerique interpretes antiquiores *ἵνα* hîc, ut alibi, vim habere *ἐκβατικήν* contenderunt, ita nuper etiam *Kuinoelius**). At hodie in confesso est, *ἵνα* nusquam, ne in N. quidem Testamento, *ἐκβατικῶς* dictum esse, quamquam viri docti rem non uno modo expediunt. *Lückius* l. l. p. 283. post alios quosdam *ἵνα* a verbo *ἀγαπᾷ* pendere arbitratus, hunc usum ita intelligit: „*Weil ich mein Leben dahin gebe, meint Jesus, eben darum liebt mich mein Vater so sehr, dass ich auch die Macht habe, es wieder zu nehmen.*“ Huic opinioni multa obstant. Primum diu laborabit *Lückius*, dum doceat, *ἵνα usque eo ut, so sehr dass* unquam denotare. Deinde facilitas, magna interpretandi regula, etiam in Johanne *ἵνα* cum proximo verbo *τίθημι* connecti jubet, non cum remotiore *ἀγαπᾷ*. Denique hîc ne possunt quidem vocabula *ἀγαπᾷ* — *ἵνα* arctius consociari propter diversa subjecta *patris*, qui amat, et *Jesu*, qui vi-

*) *Euthymius Zigaben.* ad h. l. sic disputat: *κἀνταῦθα τὸ ἵνα οὐκ ἔστιν αἰτιολογικὸν, ἀλλὰ δηλωτικὸν τοῦ πάντως ἐσομένου· οὐ γὰρ διὰ τοῦτο τίθησιν, ἵνα πάλιν λάβῃ αὐτὴν, ἀλλὰ τίθησι μὲν ὑπὲρ τοῦ κόσμου, λαμβάνει δὲ αὐτὴν ὑπὲρ τοῦ φανῆναι, ὅτι θεός ἐστιν.*

tam recipit. Scilicet isto modo dixisset Johannes: *Διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ — ἵνα πάλιν ἀποδῷ αὐτήν* (scil. ὁ πατήρ), aut certe sic: — *ἵνα πάλιν ἀπ' αὐτοῦ* (sive *ἀπὸ τοῦ πατρός*) *λάβω αὐτήν.*

Postremo nuper *Meyerus* aliarum explicationum vitia quaedam optime perspexit, sed ipse argutatus est. *„Die richtige Fassung* ist, inquit,: *der Vater liebt mich desshalb, weil ich mein Leben (in der Absicht) aufopfere, damit ich es wieder empfange. Gerade seine bestimmt gedachte Absicht, nach Aufopferung seines Lebens dasselbe wieder zu nehmen, und also sein Hirtenamt mit dem Tode nicht aufzugeben, sondern nach dem Tode auf's Neue fortzusetzen, stellt hier Jesus dar als ein Motiv der Liebe Gottes gegen ihn."*

At enim vero graeca verba huic rationi valde adversantur: manifesto enim Jesus a Deo amatur, quod vitam suam deponit, non quod postea reviviscet. *Διὰ τοῦτο*, inquit Jesus, *ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου* —. Deinde autem quae *Meyerus* de munere pastoritio *ab Jesu, postquam revixerit, retinendo et continuando* disputat, ea ne apice quidem ab Johanne enuntiata Evangelistae obtruduntur.

Christiani Friderici Fritzsche

Theologi Halensis

DE

'ΑΝΑΜΑΡΤΗΣΙΑ JESU CHRISTI

COMMENTATIO I.

Inter omnes qui unquam vixerunt, generis humani Servatorem animi integritate, vitae innocentiâ, summâ virtute, pietate non fucatâ facile principem locum tenere, neque quemquam vel sapientissimum et optimum virum cum eo comparari posse, tam certum est, quam quod certissimum. Etenim Jesu Christi historiam perlustranti ubique in oculos incurrit hujus viri pietas erga Deum maxima, non in se intenta, sed in honorem patris coelestis magis magisque illustrandum, deinde indefessum studium omnibus officii partibus nunquam non eâ religione satisfaciendi, ut nihil supra fieri posset, denique sincerissimus amor Dei, quocum Jesus propter hunc ipsum sensum totiusque vitae splendorem tam arcte se sensit conjunctum, ut inde quasi e limpidissimo fonte et summa morum perfectio manaret et hominum amor cum illo Dei amore haud dubie copulatus. Nihil in ejus vitâ deprehendimus, quod vel minimâ peccati labe adspersum sit, imo vero integra omnia sunt, plena pietatis atque virtutis. Quo diligentius in Jesu vitam inquirimus, eamque ad normam divinarum legum examinamus, quo longius denique etiam nos Dei divinique spiritus ope in virtute fuerimus progressi, eo clarius splendet Jesu sanctitas, quam, ut quis maxime ad virtutis studium semet ipse applicaverit, ita certissime nunquam satis laudari posse intelliget.

Quae quum ita sint, quis tandem miretur, vel alienos a fide christianâ homines, adeoque graves hujus fidei adversarios virtutem tamen Jesu plane singularem suspiciendam magnisque laudibus extollendam putasse? Namque virtus et sanctitas Christi tantopere lucet, ut ejus splendorem quemvis videre necesse sit, nisi qui forte coecutiat, in eoque omnes consentire debeant, qui non mentem habuerint a veritate sensuque virtutis plane alienatam. Inter Christianos vero dubitat nemo, quin Servator eximiae virtutis summaeque sanctitatis exemplum fuerit omnibus numeris absolutum. Quod autem in ecclesiâ christianâ semper creditus est Dominus noster omni peccato caruisse, id dici non potest, quanti faciendum sit, tanti scilicet, ut ex eo rem paulo accuratius consideranti omnis vis operis Christi salutaris pendeat.

Nimirum provincia Servatori a Deo tradita in eo cernebatur, ut homines impii a Deo aversi cum eo in gratiam redirent eique in posterum probarentur. Enimvero id doctrinâ unice tradendâ, quantumvis verâ, effici nullo modo potuit. Quoniam enim non solum verbis, sed etiam rebus ipsis edocendi eramus, necessario requirebatur exemplum, quo omnia Dei praecepta et tanquam mandata nostrâ causâ comprehenderentur. Nam quum omnes plus credant oculis quam auribus, atque eorum major vis esse soleat, quae viderint, quam quae audiverint, ita nobis quoque proponendus erat Servator, qui virtutem omnibus in rebus vitâque totâ sic exprimeret, ut ne minima quidem laus ab eo abesset. Atque id nobis contigit, ut jam omnium officiorum summa hoc uno praecepto absolvatur: *τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* Phil. II, 5.*) Nostrum

---

*) *Vulgatam* hujus loci lectionem, quam genuinam esse arbitror, sequutus sum: *τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χρ. Ἰησ.* scilicet *ἐφρονεῖτο*, *nam hic vobis sensus insit, qui etiam Christo Jesu inerat.* Hic quoque *Lachmannus*, quum scriberet: *τοῦτο φρονεῖτε ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κ. τ. λ.* mechanicam *κρίσιν* exercuit, quae nulla est *κρίσις*, vid. *Allgem. Lit. Zeit.* 1833. N. 52 — 54. et Ven. *Roehrii Predigerbibl.* T. XIV. Fasc. 3. p. 445 seqq. Lectionem enim dedit e duabus scripturis temere conflatam. Scilicet ita in h. l. antiquitus variabatur, ut pauci vulgatam nostram scripturam exprimerent, plerique hunc versum sic scriberent: *τοῦτο γὰρ φρονεῖτε ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ Χριστὸς Ἰησοῦς* scil. *ἐφρόνει*, *nam hoc apud animos vestros statuite, quod etiam Christus Jesus statuebat*, qui etc. (cf. Syr. Clar. Germ. Vulg.). Alterutram lectionem, quâ sententia non mutatur, *integram* suscipere debet cordatus Criticus, non utriusque pannos male consuere. Ceterum prior

est igitur, Jesu in omni vitâ sanctitatem ante oculos nobis ponere, ita ut Christus ipse, qualis re verâ fuit, in animis nostris habitet, vitaque nostra tanquam Christi speciem effingat. Sic demum magna vis esse potest doctrinae christianae. Quae si sola et quasi nuda, expers historiae et tanti exempli mansisset, non plus inde lucri caperetur, quam vulgo e praeceptis aliis, quibus proponendis et iterum iterumque inculcandis saepe operam perdi, historia docet et vita, nisi quidem alia accesserint, maxime vero disciplina exempli. Huc accedit, quod etiam mortis Christi vis illa salutaris, quae in libris sacris jure maxima esse dicitur, sine controversiâ repeti debet ab incomparabili Christi virtute. Unica enim Christi mors minime tantum valere posset ad animum consolandum, corrigendum, immutandum, cum Deo reconciliandum, quantum eá constantissime in N. T. valuisse traditur, nisi is, qui pro salute hominum mortem oppetiit, fuisset ὅσιος, ἀμίαντος Hebr. VII, 26.

Summa autem Servatoris virtus ἀναμαρτησία appellari solet, quo vocab. tum graeci patres usi sunt saepenumero, sensu tamen non semper eodem*), tum exteri etiam scriptores, hi quidem perraro**). *Hieronymus impeccantiae* barbaram vocem protulit; aliis vero potius placuit aeque barbarum vocabulum *impeccabilitatis* e sententiarum explicationumque diversitate natum. Nam tametsi omnes fere Christiani in eo semper consenserunt, Jesum perfectae virtutis unicum fuisse exemplum, tamen hâc in re uberius explicandâ haud mediocriter inter se dissident. Alii enim certe olim existimabant, Servatorem ne *potuisse* quidem omnino peccare; ii, qui Jesu *impeccabilitatem* tribuebant: alii ita potius statuunt, Christum et potuisse *non peccare*, et reapse *non peccasse*, quam Jesu virtutem *im-*

---

posterioris scripturae pars optimis sane codicibus, ut A. C. D. E. inest, nisi quod nonnihil depravata. Qui quod τοῦτο φρονεῖτε ἐν ὑμῖν praebent, omisso γάρ, id eo factum esse, quod in fine v. 4. pro ἕκαστος haberent ἕκαστοι, eâque voce sententiam v. 5. ordirentur (— ἑτέρων. Ἕκαστοι τοῦτο φρονεῖτε ἐν ὑμῖν —) bene vidit *Griesbachius* ad h. l.

*) Usurpatur vocab. inprimis de Christo ab omnibus peccatis libero, interdum vero etiam de integritate vitae, qualis hominum esse proborum solet. Iidem quum docent, inter homines solum Christum fuisse ἀναμάρτητον, ita tamen praeterea Adamum quoque ἀναμάρτητον natum esse volunt, quippe qui, si modo vellet, peccatum vitare potuisset, cfr. *Suiceri* thes. eccl. sub utroque vocabulo.

**) Plura loca congessit Ven. *Ullmannus* in l. *Ueber die Sündlosigkeit Jesu*, edit. 3. p. 75.

peccantiam (vernacule *Sündlosigkeit*) nominant. Porro autem summam Jesu innocentiam aut sic defendere solent, ut eam vel dignitate Christi divinâ, vel testimoniis ipsius Dei stabiliant, aut sic, ut divinam Servatoris dignitatem demonstrandi causâ ab illâ *impeccantiâ* (barbarum enim vocabulum loquendi sanxit consuetudo) proficiscantur, hanc primum summo studio confirment, hâc quasi viâ eo denique perveniant, ut planissimum fiat, Jesum pro vero Dei filio et unico salutis nostrae restitutore certo habendum esse.

Quam quidem sententiarum discrepantiam si nostro nunc examini subjicimus, non, opinor, facimus, quod àut a personâ nostrâ, aut ab hoc tempore alienum esse videatur. Sunt enim nobis Solemnia Pentecostalia academico libello indicenda. Quae sacra quum eo fine constituta sint, ut Spiritum Sanctum Christi interventu ecclesiae christianae divinitus datum esse pie recordemur, ultro nos eo perducunt, ut, qualis quantusque Christus fuerit, qui Paracletum a Patre nobis impetraverit, expendamus Joh. XIV, 16. Illud quoque mihi eam, quam dixi, disputationem instituenti pergratum est, quod *Halenses* potissimum Theologos eam cum fructu inisse reperio. Unaquaeque enim earum, quas supra memoravi, sententiarum ab Halensi Theologo tam docte et accurate defensa est, ut quae illi scripserunt maxime afferri dilaudarique soleant. Sed ad rem veniamus.

Quum igitur ἀναμαρτησία sit peccati absentia, peccatum autem originale et actuale a Theologis distingui soleat, neque satis sit, a malefactis abstinere, nisi etiam cum divinis legibus voluntate et moribus consentias, in promtu est, τὴν ἀναμαρτησίαν sensu angustiore Christo tributam *plenam esse absentiam omnis et originalis et actualis aberrationis, actionum liberarum a lege Dei et omnimodae e contrario cum eâ convenientiae praesentiam.* Usus sum verbis, quae in nobilissimâ *de ἀναμαρτησίᾳ Christi ejusque necessitate* commentatione leguntur. Vulgo *Baumgartenio* tribuitur, sed praeside hoc viro defensa est, scripta autem ab *Hoevelio*, adjutore, ut videtur, *Baumgarten.*, Halis 1740. (non 1753., ut in multis libris proditum est). Regulam, quae noto proverbio continetur, bene distinguendum esse, ut bene doceas, *Baumgarten.* ejusque sectatores religiose observasse, nemo ignorat. Sic igitur *Hoevel.* disputat: Distinguenda est ἀναμαρτησία *necessaria* a *contingente:* illa vel *absolute* necessaria est, vel *hypothetice.* Absolute necessaria impeccanita tum in naturas finitas rationeque destitutas, tum in summum numen cadit: hypothetice necessaria impeccantia in Christum convenit, quatenus humanam habet naturam cum divinâ naturâ arctissimo vin-

culo copulatam. Nam quum generis humani Servator verus sit et essentialis Deus, ideoque in eum omnia quadrent, quaecunque Deo recte tribuantur, dubitari non potest, quin ἀναμαρτησία absolute necessaria ei vindicanda sit. Sed idem *verus, integer* et essentialis homo est. Quare ei ἀναμαρτησία contingens tribuenda est, quae, quoniam ex ejus naturâ explicari potest, recte *naturalis* dicitur.

Antiquiores igitur Theologi Christum eum animis suis conceperunt, *in cujus* (audiamus enim *Augustinum* de peccatt. meritis et remissione lib. II. c. 13.) *non tantum divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuerit esse peccatum.* Iidem Christum non solum *non peccasse,* verum etiam ne *potuisse* quidem peccare, gravissimis argumentis evinci firme crediderunt. Nempe ad librorum sacror. auctoritatem provocarunt, quibus hoc contineri arbitrati sunt, nullâ Servatorem peccati originalis maculâ adspersum fuisse. Sic *Prosper Aquitan.* (de vitâ contemplat. lib. III. c. 35.): *qui sine peccato conceptus est*, inquit, *et natus, non solum non peccavit, sed etiam peccare non potuit.* Actualibus autem peccatis Christum contaminatum non fuisse, e V. T. oraculis, quae Messiam prorsus innocentem portenderent (Jes. LIII, 9. 11. Zach. IX, 9. Jes. XI, 1 — 5. Dan. IX, 24. Psalm. XLV, 8.), liquido apparere putarunt. De *Jesu* Messiâ haec et Deum (Matth. III, 17.) et Jesum ipsum (Joh. VIII, 46.) et angelos tum bonos (Luc. I, 35.) tum malos (Marc. I, 24. Luc. IV, 41.) et Johannem baptistam, Messiae anteambulonem (Matth. III, 14.) et Apostolos (2 Cor. V, 21. 1 Pet. I, 19. II, 22. 1 Joh. III, 5.) et homines a Christianorum fide alienos, Pilatum, uxorem Pilati et centurionem romanum (Matth. XXVII, 19. 24.) testatos esse docuerunt. Esse autem suam opinionem ipsi rei consentaneam, tum ex *unione personali*, h. e. ex arctissimo vinculo, quo divina Christi natura cum humanâ consociata esset, tum ex munere Christi mediatoris demonstrare conati sunt. Nam Servator quum esset θεάνθρωπος, neque *posset* peccare, ἀναμαρτησία hypothetice necessariâ destitui non poterat. Idem quum hominum redemtor a Deo constitutus esset, Deo pro nobis satisfacere non potuisset, nisi fuisset ἀναμάρτητος. Haec est patrum disputatio, cfr. *Suiceri* thesaur. eccl. II. citatis et s. v. ἁμαρτία, praeterea etiam quae collegit *Hoevel.* l. c. p. 14 seq.

Verum enim vero haec argumentatio tam infirma est, ut, etiamsi quae temere sumta sunt, benigne concesseris, ne tum quidem illud ex eâ efficiatur, quod efficiendum erat. Nam ut quae de immuni-

tate Servatoris ab originalis peccati labe dicta sunt; largiamur et hanc immunitatem, quam etiam qui nuper de hoc argumento scripserunt, *Hasius* et *Ullmannus* *), quamquam aliis formulis usi, defendunt, diserte in libris sacris, quum alias, tum Hebr. IV, 15., cui tamen loco ne mediocrem quidem probandi vim, quam *Bretschneiderus* (*Handb. der Dogmatik* Vol. II. §. 138.) ei tribuit, inesse existimo **), exponi concedam: certe non hoc recte inde concluditur, Jesum peccati originalis labe non infectum ne *potuisse* quidem peccare. Contrariam sententiam veram esse, e primorum hominum exemplo cognoscitur, qui, quamquam sine illâ peste nati sunt, quam primum Adami facinus importâsse Theologi volunt, tamen peccarunt***).

---

*) *Hasius* (*Leben Jesu* edit. 2. p. 67.) haec habet: „*Eine solche Reinheit ist dadurch bedingt, dass Jesus schon mit der Geburt* (?) (nonne potius *mit der Zeugung?*) *aus dem Zusammenhange des sündigen Menschenlebens heraustrat, was nur durch Gott möglich war.*“ *Ullmannus* l. c. ita disputat: „*Es bleibt bei der Annahme eines allgemeinen Hanges zum Bösen keine andere Auskunft, um sich das Reinsein Jesu von aller Befleckung zu erklären, als eine besondere göttliche Einwirkung auf den Ursprung seiner Persönlichkeit. Es trat, weil Gott es so wollte und ordnete, durch eine neue Schöpfung in den Zusammenhang des sündhaften Lebens ein mit reinen, frischen und ungetrübten sittlichen Kräften ausgestattetes Wesen ein, damit ein heiliges gottgefälliges Leben sich zuerst in diesem Einzelnen und von diesem aus durch die Kraft des vollendeten Urbildes in der ganzen Menschheit entwickeln könnte.*“ Haec cum veterum Theologorum sententiâ, Jesum, quod portentoso modo in Mariae utero ortus esset, a peccato originis liberum fuisse, sensu congruunt, verbis discrepant. Nimirum vetus opinio ejusmodi verbis expressa est, quae nostrorum hominum animos minus offenderent.

**) Disputationis nervos scriptor ipse elideret, si verbis χωρὶς ἁμαρτίας hoc diceret: ne irritatus quidem Jesus est ad peccandum, ut homines cupiditatum illecebris incendi et inflammari solent. Ita enim laudes summae Magistri virtutis, in quibus celebrandis scriptor occupatus est, non dico minuerentur, sed plane sublatae essent. Vide *Kuinoel.* ad h. l. Adde, quod ἡ ἁμαρτία non incitamentum ad peccata, sed peccatum declarat. Quare de actualibus peccatis h. l. sermo est, atque ullum peccatum Servatorem commisisse scriptor negat.

***) Praeclare, ut multa, b. *Knappius* (in l. *Vorlesungen über die christl. Glaubenslehre* a *Thilone* nostro edito T. II. p. 152.): „*Die Schrift sagt nirgends, dass die Möglichkeit zum Sündigen bei Adam und seinen Nachkommen weggefallen sein würde, wenn Adam nicht gefallen wäre. Die Möglichkeit zu irren und zu fehlen, bleibt dennoch bei dem Menschen, wenn er auch ohne natürliches Verderben*

Deinde ut in V. T. oraculis supra citatis non solum de Messiâ sermo instituatur, verum etiam, quia prophetae eum Servatorem prodituram esse ominati fuerint, qualem Jesum Christum exstitisse jure laetamur, *Jesum* Messiam vaticinati sint, quae recte addubitari nemo neget, nisi qui praejudicatâ ductus opinione ad librorum sacrorum interpretationem accesserit*), hoc tantummodo ex his locis consequitur, prophetas Messiam virum bonum et innocentem portendisse, non eum, in quo ne minima quidem animi perturbationum significatio futura esset**), aut qui *ne posset quidem peccare*. Nam si illis locis prophetae de futuro Messiâ exponerent, praeclaram virtutem in ejus laude ponerent, quod male facerent, si eum *naturâ* ἀναμάρτητον exstiturum esse existimassent. Praeterea quod Ven. *Hasius* l. c. p. 68. Apostolos subtilem, quam christiani Theologi de Messiae ἀναμαρτησίᾳ animis informarunt, notionem habuisse negavit, id recte de V. T. prophetis affirmari mihi videtur. Tum hoc quoque concedere placet, summam Servatoris sanctitatem in N. T. ab Apostolis celebrari. Neque enim in Doctiss. *Hasii* sententiam dis cedere possum, qui laudes, quibus Apostoli Magistrum ornant, non ita multum ab eâ laude differre censet, quam Xenophon Memorabb. I, 1, 11. in Socratem contulit: οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς οὐδὲν ἀνόσιον οὔτε πράττοντος εἶδεν, οὔτε λέγοντος ἤκουσεν. Videntur enim locis omnibus, quibus Christi innocentiam collaudant, virtutem omnibus partibus expletam Servatori vindicare, cf. 2 Cor. V, 21. τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν. 1 Pet. II, 22. ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· Hebr. VII, 26., ubi

---

wäre. Auch Adam hätte ja sonst nicht fallen können, denn er war ohne Erbsünde vor dem Falle. Und eben so muss es bei dem Menschen Jesus gewesen sein, wenn er gleich ohne sündliches Verderben war.“

*) Vide egregiam b. *Schotti* commentationem in libro: *Briefe über Religion und christl. Offenbarungsglauben.* (Jenae 1826.) p. 377 sqq.

**) Ven. *Ullmannus* quoque l. c. p. 79. nobilissimo loco Jes. LII. LIII. Messiam portendi putavit. Scripsit enim: „*Das Judenthum enthält auch wenigstens in prophetischer Andeutung* (Jes. LIII, 9.) *die Hoffnung, dass der Messias ein reiner und sündloser Diener Jehovahs sein werde.*“ Utinam vir Doctissim. rem accurate exposuisset, refutatis *Gesenii* nostri, qui hanc opinionem in Commentario ad h. l. doctissime impugnavit, argumentis gravissimis. Confer etiam eruditum *Hitzigii* commentarium ad h. l.

Christus ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*) dicitur, ne plura loca afferam. Quamvis enim nonnulla hujusmodi loca in *Hasii* sententiam explicari posse fatear, v. c. 1 Pet. II, 22., alia tamen loca, veluti 1 Joh. III, 5. 2 Cor. V, 21. summam Christi innocentiam perspicue enuntiant indicioque sunt interpreti, quae illis in locis N. T. scriptorum mens fuerit. Et ut Apostoli philosophorum subtilitate destituti fuerint, explicatam tamen habuerunt verae virtutis notionem, quam quum saepe Magister, tum in oratione montanâ praeclare exposuit, ubi Matth. V, 8. τοὺς καθαροὺς τῇ καρδίᾳ fortunatos praedicavit.

Atvero quânam arte ex omnibus N. T. locis hujusmodi, de quibus partim infra plura erit dicendi locus, efficietur, ne *potuisse* quidem Jesum peccare? Tantum abest enim, ut hoc N. T. libri doceant, ut ibi plura inveniamus, ex quibus contrarium sequatur. Primum enim quum malis, quibus a virtute avocari potuisset, tentatus esse Magister Hebr. IV, 15. dicatur, nullus certe tentationi locus esse potuit in homine, qui nullas omnino nosset peccandi illecebras. Deinde nemo nescit illustrem illam de Christi tentatione memoriam Matth. IV, 1 seqq., saepe illam quum olim tum nuper ineptis interpretum artificiis, profundis etiam profundorum, ut sibimet ipsi videntur, hominum nugis mire deformatam, de quâ *Knappius*, doctissimus interpres l. c. p. 153. recte: „*Die Versuchung Jesu*, inquit, *geschah kurz vor dem Antritte seines Lehramts und diente ihm als Vorbereitung dazu. Sie sollte ihn üben und befestigen in der Tugend und im Gehorsam gegen Gott. Was hätte sie aber bei Jesu für einen Zweck gehabt, wenn es an sich* u n m ö g l i c h *gewesen wäre, ihr zu unterliegen, was für ein Verdienst, dass er sie besiegte? Wenn aber jemand die Erzählung nicht für ein wirkliches Factum, sondern — für Vision oder Parabel halten wollte, so*

---

*) In hoc tamen loco verba κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν ipsa quidem per se Jesu Christi ἀναμαρτησίαν non plane testari videntur. Neque enim assentiri possum *Kuinoelio*, *Schotto*, aliis, quorum ille: „*a peccatoribus sejunctus*, inquit, a ceteris hominibus peccatoribus diversissimus, non ex eorum numero.“ Imo longe alius explicationis necessitatem nobis imponit epexegesis verborum, quae proxime sequuntur: καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. Itaque summus pontifex sejunctus esse dicitur a peccatoribus, *qui in terrâ sunt*, et ultra coelum elatus. Quare eo tantum hic impeccantia Jesu innui videtur, quod traditus est tanquam summus pontifex munere suo fungi *in coelis*, quod quidem non cadebat nisi in summam innocentiam, cf. v. 27.

würde dadurch doch in der Sache und deren Folgen nichts geändert."

Praeterea adhortatio, quâ cogitationes nostras omnemque vitam ad Christi exemplum componere jubemur, sensu careret concessâ hâc Jesu *impeccabilitate.* Tum enim praecepti illis in locis traditi sententia denique huc rediret: vos, qui ad peccandum estis proclives, quos nimium saepe mala cupiditas abripit, proponite vobis et aemulamini exemplum ejus, qui peccare omnino non potuit!

Postremo manifestum est, isto modo eximiam Christi virtutem tantopere laudari non potuisse, quantopere in N. T. est laudata. Atque jam Viri docti dudum recte monuerunt, egregium Christi exemplum omni vi omnique, qui ex eo redundet, usu cariturum esse detractâ de Magistro peccandi facultate. Sed iidem, quum ex homine Jesu humanae naturae imbecillitatem propensae ad cupiditates, rationem vero saepe aversantis (peccatum originale) tollerent, viderint, ne vel sic et vis ipsa exempli illius et usus, qui a nobis debet percipi, magnopere imminuatur. Quo quidem concesso in summâ re Jesu plane aliam rationem fuisse, quam est nostra, apparet. Ille enim naturalem ad peccata propensionem habuit nullam, nos hoc impetu saepissime vexamur et de statu mentis dejicimur: ille Dei potentiâ homo natus est naturâ insons, nos ad unum omnes originali peccato inquinati primum duximus spiritum. Perspicuum est igitur, nos non solum excusatius peccare, verum etiam de vi et efficaciâ exempli Christi multum ita detrahi, quae profecto longe major futura esset, si Servator etiam hâc in re, in omnibus denique, quae sensus titillant nostros peccandique libidinem in nobis excitant, κατὰ πάντα, uti est Hebr. IV, 15., reliquis hominibus par fuisse videretur. Quaeri autem licet, ubinam locorum in libris sacris doceatur, illâ naturae infirmitate, quam vulgo originalis peccati minus apto nomine declarant, ideo hominem Jesum haud laborasse, quod non communi omnium exemplo *generatus* esset, sed modo quodam plane insolito, per vim potentiamque Dei et per efficaciam Spiritus sancti: nam Jesum miraculo *natum* esse, id vero a libris sacris abhorret.

Fingamus praeterea, *ecclesiasticam* de Servatore θεανθρώπῳ doctrinam probandam esse, quae certissime falsa est longeque a scripturis sacris dissidet (vide b. *Weberi* librum: Doctrina biblica de naturâ Christi, filii Dei. Halis 1825.): at ne sic quidem Theologi dogmatici id, quod volunt, assequuntur. Nusquam enim in libris ss. demonstratur, egregiam Jesu virtutem ex ejus divinitate (malunt

in scholis deitatem) derivandam atque sic explicandam esse, quod quidem si scriptores sacri docuissent, omnem Jesu virtutem funditus tollerent, quippe quae tum non esset *humana virtus*, sed quasi rivus quidam e divinae sanctitatis fonte profluxisset. Cf. ***Bretschneideri** Handb. der Dogmatik* T. II. §. 138.

Postremo facile largimur, Christum Servatoris provinciam administrare, morteque suâ hominum peccata expiare non potuisse, nisi ipse ἀναμάρτητος fuisset, idque totum in N. T. clarissime doceri. Verum enim vero tantum abest, ut inde sequatur, ne licuisse quidem Christum peccare, ut, dummodo tibi veram expiationis notionem e libris sacris ductam informaveris, facile intellecturus sis, operis Christi meritum vimque ejus vere salutarem ex eo pendere, quod non peccaverit, quum posset.

Nunc ad alteram sententiam progrediamur, quâ peccare Jesum potuisse conceditur, vere autem unquam peccasse constantissime negatur. Quod ipsum tamen quomodo enucleari posset, varie disputatum est. Sunt, qui dicant, unâ Apostolorum auctoritate rem liquido ostendi causisque luculentis demonstrari posse. Nimirum illud quidem praeter Deum scire nemo potest, fueritne in homine Jesu integra virtus, h. e. cum legibus divinis omni ex parte consentiens, in quâ, sive materiam spectaveris, sive formam, ne minima quidem res vel reprehendi, vel desiderari posset. Quocirca nisi testimonium hujus rei divinum editum fuerit, ingenue fatendum est, rationem hujus rei planissime a nobis ignorari. Atqui tale habemus testimonium, si Apostolis non solum humana fides tribuenda est, sed etiam divina: porro autem hâc laude sine dubio florent, si Magister, qui Evangelii sui nuntios Spiritu s. instructos in doctrinâ religionis nusquam errare passus est, verus fuit filius Dei. Omnia igitur ex eo suspensa sunt, ut habere non constet historiam Jesu fide dignam, e quâ origo ejus divina atque auctoritas intelligatur. Quae si satis explorata fuerit, credere etiam Apostolis debebimus, qui de Magistro suo ἀναμαρτησίαν praedicantes divinum quoddam testimonium dixerint. Quocirca tum demum virtus Christi integerrima, cui nihil plane defuerit, nobis videri potest certissima, ubi de dignitate Magistri divinâ persuasum habeamus: neque vero contra e Magistri ἀναμαρτησίᾳ nondum demonstratâ auctoritatem ejus divinam repetere licebit.

Ita judicavit b. *Weberus*, secundus is quidem Theologus Halensis, quem in hâc dissertatione honoris causâ nominamus. *Weberi* comment. olim edita est Vitebergae 1796. sub hoc titulo: *Virtutis Jesu integritas neque ex ipsius professionibus, neque ex actionibus doceri potest*, nuper etiam inserta viri beati *Opuscc. academm.* (Lips. 1828.) p. 177 seqq. Quae vir eruditissimus disputavit, ea et optime inter se omnia cohaerent, ita ut unum ex altero sequi appareat, neque argumentationis loco quidquam admixtum habent, quod temere sumtum N. T. auctoritate confirmari nequeat. Quo in genere dignae sunt, quae conferantur plures ejus Commentationes in Opuscc. academm. iteratae. Sic autem V. D. orditur, ut doceat, Jesum atque Apostolos doctrinae christianae attribuere originem divinam eamque supernaturalem (Opuscc. p. 231 seqq.). Hoc statim probare quis dubitabit, qui judicia legerit vel ipsius Servatoris, veluti Joh. XIV, 26. (— *ὁ δὲ παράκλητος, τ. πνεῦμα τ. ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τ. ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα κ. τ. ἑ.*), cap. XVI, 12. 13. (— *ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τ. πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τ. ἀλήθειαν*), vel Apostolorum, v. c. Joh. I, 18. (*θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τ. κόλπον τ. πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο*) 1 Pet. I, 12. (— *ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τ. εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι ἀπ᾽ οὐρανοῦ*) coll. 2 Pet. I, 16 — 18. 1 Cor. II, 9. 10. (— *ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψεν ὁ θεὸς διὰ τ. πνεύματος αὐτοῦ*), aliaque N. T. loca plurima. Uberius hanc rem demonstravi in Comment.: *de revelationis notione biblicâ.* (Lips. 1828.).

Deinde Jesum atque Apostolos, ut originem christianae doctrinae divinam atque *supernaturalem* demonstrarent, non argumento *interno*, quod a doctrinae christianae veritate ductum est, sed argumento *externo*, quod ex oraculis et portentis depromitur, maxime usos esse, *Weberus* (Opuscc. p. 248 seqq.) observavit. Verissime. Plurimis enim nullique dubitationi obnoxiis N. T. locis Viri Doctissimi sententia defenditur. Pertinet hûc nobile responsum, quod Jesus Johannis discipulis, quum Magistri nomine, utrum esset Messias, an non esset, eum interrogavissent, dedit Matth. XI, 2 sqq. Apud Johannem Evang. XV, 24. Jesus Judaeos, qui fidem ipsi denegassent, excusate quodam modo peccasse videri posse affirmat, nisi tanta inter eos miracula edidisset, quanta nemo unquam fecisset. Petrus Act. II, 22. Jesum virum dicit, cui varii generis portenta, quae auctore et adjutore Deo patrasset, auctoritatem con-

ciliaverint, et ne cui dubium videatur, quin Jesus fuerit Messias, Prophetarum oracula, quae Messiam mortuum in vitam restitutum iri, in vitam reversum coelo iri receptum praedixerint, in Jesu rata fuisse monet. Ne multa: plurimis N. T. locis Messianâ dignitate Jesum divinitus ornatum esse, ex eo probatur, quod ejus dicta, facta et fata V. T. Prophetarum oraculis de Messiâ editis prorsus respondeant (Act. X, 38 seqq. cap. XIII, 30 — 40. 2 Pet. I, 19 sq. al.). Apostoli autem idcirco maxime fidem sibi haberi volunt, quod divini spiritus dotibus ornati fuerint, susceptamque legationem divinam miracula confirment divinâ ope ab se patrata. Cf. Rom. XV, 18 sq. 1 Cor. II, 4 — 13. 2 Cor. XII, 12. Hebr II, 3. 4. al.

Bene etiam *Weberus* Opuscc. p. 262 seqq. ab argumento interno, quo e doctrinae christianae honestate, praestantiâ et veritate divina ejus doctrinae origo efficitur, vim et pondus adjudicasse videtur. Nihil enim praeterquam hoc intelligimus, fieri *posse*, ut disciplina, quae verum recludat, homines ad pietatem haud fucatam instituat et honestatis magistra sit, quia Deo auctore dignissima videri debeat, a Deo extraordinario instituto hominibus data fuerit. Quare argumentum internum *possibilitatis* argumentum *Weberus* dicere solebat. Sed quum, quia aliquid *esse possit*, idcirco *reapse esse* temere concludas (*a posse ad esse consequentiam valere*, verius quam latinius negant philosophi), ut doctrinam christianam praeter rerum ordinem generi humano a Deo suppeditatam esse constet, alio argumento opus est, quod *rei veritatem* commonstret. Hoc argumentum *oraculis* et *miraculis* continetur, quibus editis Deus Jesu doctrinae divinam fidem adjecerit, et in eâ tanquam regium sigillum impresserit. Solent enim reges, ne aliquid ab se imperatum esse dubitari possit, codicillis titulos suos apponere, nomina ipsi subscribere et regia sigilla subjicere. Quippe non ignorant, etiamsi aliquod edictum suâ personâ dignissimum sit, non idcirco tamen homines a rege profectum esse credere. Potest enim fraus, quo facilius fallat, veritatem, h. e. ingenium, mores et verba regis imitari. Similiter religioni christianae divinam originem dignitatemque, quam sibi ipsa vindicat, qui sobrie et circumspecte judicaret nemo facile tribueret, nisi Deus ipse miraculis et vaticiniis divinam Servatoris auctoritatem omni dubitationi exemisset.

Denique quorum in libris N. T. historicis ratio affertur, quâ ducti in Christi se disciplinam tradiderint, hi omnes non argumento *interno*, sed *externo* ad fidem Christo habendam adducti sunt,

quippe aut *miraculis* moti, aut V. T. *oraculis*, quae in Jesu eventum habuisse vidissent. Singula, quae rem demonstrent, loca diligenter congessit *Weberus* Opuscc. p. 301 sqq. His rite jactis fundamentis, bene Virum Doctiss. in Opuscc. p. 191. haec scripsisse apparet:

„Uti de nostrâ virtute, ita de Jesu virtute solus Deus recte judicare potest. Si igitur virtus Jesu ipso Deo judice integra est, nobis quoque integra haberi debet: sin autem de judicio Dei certo non constat, nos quoque de virtute Jesu certo judicare non possumus. De judicio Dei certo constare non potest, nisi constet, Apostolos virtutem Jesu integritatis laude ornare, eorumque judicium pro divino habendum esse. De judicii apostolici auctoritate divinâ constare non potest, nisi constet de miraculorum et prophetiarum veritate. De miraculorum et prophetiarum veritate certo constare non potest, nisi constet de fide historicâ. Sublatâ fide historicâ tollitur miraculorum et prophetiarum veritas. Sublatâ miraculorum et prophetiarum veritate tollitur divina judicii apostolici auctoritas. Sublatâ divinâ judicii apostolici auctoritate tollitur vera integritatis virtutis Jesu docendae ratio. Sublatâ verâ integritatis illius docendae ratione, ideoque parte doctrinae christianae primariâ, tollitur divina religionis christianae auctoritas Sublatâ religionis christianae auctoritate divinâ relinquitur sola purioris rationis religio, quae neque a fide historicâ, neque ab argumentis externis pendet, mentisque humanae circumscribitur finibus."

Non igitur b. *Weberus* summam Christi innocentiam addubitavit, sed eam divinis, quae in N. T. prodita sunt, testimoniis firmissime fundatam toto animo complexus est. Quomodo autem Vir Sagacissimus alia argumenta, quae in hâc disputatione vulgo premuntur, refutaverit, paulo infra exponetur.

Pergit nunc oratio nostra ad tertium Theologum Halensem, qui de ἀναμαρτησίᾳ Servatoris doctum librum, ter editum*), scripsit, ad Ven. *Ullmannum*. Hic aliam, quam *Weberus*, viam ingressus disputationem illius impugnavit. Illud quidem concedit Vir

*) Primum in promtuario *Theologische Studien und Kritiken* Vol. I. 1828., deinde seorsim hâc epigraphe: *Ueber die Sündlosigkeit Jesu. Eine apologet. Betrachtung* (Hamburg 1833.). Nova editio ibidem prodiit 1836.

Doctiss., argumentandi rationem a *Webero* initam nonnihil valere, ceterum qui voluerit, facile *Webero* assensurum, invito tamen ipsâ re assensionem non exprimi: hoc enim vitio laborare, quod in eâ certiora incertioribus, tanquam fundamento suo, nitantur. Nam facilius nos eo adduci, ut Jesum verâ virtute excelluisse credamus, quam illud, unde *Weberi* argumentatio exorditur, Jesum patrasse miracula: quod si maxime certum sit, ea tamen a fraude magicâ daemonumve artificio repeti licere, nisi constaret, haec miracula effecta esse ab homine sanctissimo, i. e. tali, cujus miracula necessario a virtute divinâ divinoque spiritu profecta videri debeant.

Haec partim vere dici, minime negamus. Neque enim miracula sola et per sese ullo modo ostendere possunt, Jesum Prophetam adeoque principem Prophetarum fuisse, quem Dei filium rectissime nominares. Imo illud ante omnia quaerere nostrum est, quales ingenii animique dotes, quales denique mores Jesu existimandi sint. Contemplantibus autem Jesum, qualem Evangeliorum scriptores accurate descripserunt, minime dubium videri potest, sapientiam ejus virtutemque tam admirabilem fuisse, ut in toto orbe terrarum parem ei virtute alterum frustra quaeramus. In talem vero tantumque Virum neque fanatici errores, neque artes fraudulentae cadere possunt. Temere autem hominem natum Dei se filium profiteri, aut foedae est stultitiae, ex quâ fanaticorum facile principem agnoscas, — aut turpissimae fraudis ac paene inauditae. Ergo qui de aliis omnibus verissime judicaret, is, quum de semet ipso judicium ferret, certissime falli non potuit. Absit vero, ut virum omnium sanctissimum aliis verba dare voluisse existimemus. Quum igitur plane summus Dei legatus Deique filius esset, ne in miraculis quidem illis quidquam fraudis committi potuit, sed de his mire factis haud dubie id valere debet, quod Jesus ipse affirmavit. Scilicet Deus in Jesu et per Jesum haec portenta eo consilio effecit, ut divinam Servatoris dignitatem haud ambiguo signo testaretur.

Ita nexus, quo miraculorum Jesu veritas cum ejus sapientiâ, sanctitate et virtute contineatur, minime obscurus est, neque aliam rationem exputo, quâ fides, quam Servator in se poni jubet, concipi possit. Verum enim vero in hâc disputatione *de egregiâ Jesu virtute, quam merito admireris*, agitur, non de ἀναμαρτησίᾳ divini Magistri sensu angustiore. Illam nemo, qui recte judicare didicerit, in dubitationem vocabit. Sed facilius, Jesum fuisse ἀναμάρτητον, quam miracula Jesu vera miracula fuisse, vique peracta divinitus

suppeditatâ, doceri posse, nego et pernego, mihique sic persuasi, omnino illud effici non posse, nisi argumento confisus a miraculis repetito, Jesum haud dubie summum Prophetam fuisse, pro certâ et exploratâ re habueris. Prope a vero Ven. *Hasium* abfuisse censeo, qui in libro, quem de vitâ Jesu composuit, p. 67. sic disputavit: „*Der Beweis dieser Behauptung* (fuisse Jesum ἀναμάρτητον) *scheint leichter dogmatisch aus dem Begriffe der religiösen Vollkommenheit, aus dem Wesen des Gründers einer Religion für die ganze Menschheit und aus der Wahrheit unsers religiösen Verhältnisses zu Christo, als historisch zu führen.*" Quamquam mihi hujus rei veritas *tantummodo* e decretis dogmaticis cogi posse videtur, quibus spretis operam quamvis multam et diuturnam in re desperatâ collocabis. Namque alia via inita aut tuae spei omnino non satisfaciet, aut te vanâ specie deceptum et in salebras abductum temere desertam viam repetere coget, quam brevitatis studio *dogmaticam* nuncupare licet.

Sed audiamus Ven. *Ullmannum*, qui (l. c. p. 15.) suam mentem his verbis declaravit: „*Sie* (Commentatio de ἀναμαρτησίᾳ) *hat nicht einen dogmatischen, sondern einen apologetischen Zweck; sie will daher den Glauben an die Heiligkeit Christi nicht von einer Idee, sondern von der geistvoll und lebendig aufgefassten historischen Erscheinung, von einem Factum aus zu begründen suchen: sie will nicht aus der Göttlichkeit Christi seine Unsündlichkeit ableiten, sondern durch die Ueberzeugung von der Sündefreiheit des Erlösers zur Anerkennung seiner Göttlichkeit führen.*" — Itaque *U.*, quum hîc non dogmatici doctoris, sed ingeniosi et acuti historici provinciam in se suscepisset atque, quemadmodum testatur liber ipse, diu et multum de gravissimâ re cogitasset, ita statuit atque decernit, Servatoris ἀναμαρτησίαν ab historico sic doceri posse, ut div. Christi dignitas huic quasi certissimo fundamento superstruatur. Amplector Collegae pietatem, admiror ingenii acumen, delectant me in illo libro plura vere et eleganter exposita: idem tamen ingenue fateor, mihi non quidem de ipsâ eâque summâ virtutis Christi integritate (de quâ ego non magis unquam dubitabo), sed de argumentandi ratione ac modo alia omnia placere.

Ac primum quidem *Ullmannus* (l. c. p. 31 seqq.) diversissimorum hominum de Jesu testimonia commemorat, Evangelistis auctoribus verbo rebusve ipsis edita, quae omnia honorificentissima esse apparere atque sic comparata, ut neque obscurum sit, Jesum magnâ virtute eminuisse, neque negari possit, eum a vitiis purum, peccati

osorem, postremo hominem fuisse sanctissimum. Quin etiam acerrimi Jesu hostes frustra id studebant, ut ejus vitae notam turpitudinis inurerent. Pilatus, homo caeteroqui durus, crudelis, virtutisque parum idoneus judex, certe ab sensu honesti paullo alienior, veritatis tamen viribus eo compulsus est, ut innocentiam Jesu agnosceret et publice declararet. Mitioris animi uxor Pilati, licet doctorem judaicum haud magnopere curasse videatur, hanc tamen sententiam penitus imbiberat, Jesum mente vitâque purum ab omni culpâ vacasse, ut haud exiguo metu perturbaretur, ne *viro illi justo* (μηδὲν σοι καὶ τ. δικαίῳ ἐκείνῳ Matth. XXVII, 19.) indignissima patienda essent. Quapropter maritum monuit, ne quid acerbius in Jesum statueret. Jam tertius testis romanus prodit, centurio, qui, quum Jesus animam efflasset, *hic*, inquit, *profecto erat Dei filius* Matth. XXVII, 54. Proxime sequuntur discipulorum testimonia. Et Judas quidem Magistri integritatem virtutis eo testatus est, quod de salute suâ desperans mortem sibi ipse conscivit. Quo uno clarissime ostendit, gravem se acerbamque injuriam homini fecisse innocenti (αἷμα ἀθῷον Matth. XXVII, 4.), quippe quum pessimus nebulo ab isto facinore sine dubio abstinuisset, si longo illo tempore, quo Jesu familiaritate usus erat, vel minimam rem vidisset audissetve, quam Magistro suo recte vitio daret, ex eâque colligeret, Jesum Messiae provinciam temere sibi arrogasse. Reliqui autem discipuli Apostolique unanimi consensu tradunt, Magistrum suum justissimum sanctissimumque virum fuisse, a levissimi peccati suspicione longe remotum. Quocirca eum venerantur Prophetarum principem, Messiam div. spiritu plenum, conditorem regni div., in quo et legislatoris regisque munere fungatur, et sanctissimum nobis exemplum praeeat, ad quod omnes vitam nostram componere debeamus. Celebrant eundem Apostoli Servatorem nostrum et expiatorem, gratiâ cum Deo reconciliatâ, quo quidem officio fungi non potuisset, nisi esset ab omni peccato immunis Hebr. VII, 26. Neque vero Apostoli dogmaticis causis moti, ut Magistro incredibilem quandam sanctitatem tribuerent, ita videntur argumentati esse, „Messias hominumque Servator nisi homo ἀναμάρτητος esse nemo potest. Atqui certum scimus, Jesum fuisse Messiam. Ergo certum id quoque, virtutem ei convenire omnibus numeris absolutam.“ Imo contra illi, quum ex ipsâ demum Magistri disciplinâ et vitâ verum Messiam effingerent, talem integrae virtutis notionem animo complexi sunt, qualem in Magistri vitâ expressam vidissent. Imago autem Magistri, quam Evangelistae exhibent, ejusmodi est, ut nihil

in eâ fictum sit et omnia potius per sese certam habeant veritatis commendationem. Omninoque quis, obsecro, tale virtutis exemplum temere potuit ementiri!

Pie haec omnia, multa etiam vere disputari video, alia tamen non satis accurate, siquidem non id inde efficitur, quod demonstrandum sibi sumsit Vir Doctiss. Nam si ne infensi quidem Jesu adversarii in ejus vitâ quidquam invenire potuerunt, quod jure reprehenderent, illud haud dubie sequitur, Jesum vitae innocentiâ excelluisse, minime vero, eum omnis peccati fuisse expertem. Pilatus vero hujus rei testis est parum idoneus, si *Ullmanno* assentimur, hominem illum ab honestatis virtutisque sensu vehementer abhorruisse.*) Atque is ipse hoc tantummodo declaravit, Jesum nihil commisisse, quamobrem capite plecteretur: nam hoc unum inest verbis *οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον ἐν τ. ἀνθρ. τούτῳ* Luc. XXIII, 4. Neque plus in hâc causâ Pilati uxor valebit, quum ea magistrum judaicum magnopere contemserit (id quod facile credimus): quem si somnio monita *justum* appellavit, nihil aliud indicare voluisse censenda est, nisi hoc unum, falso crimine Jesum accusari. Accedit, id ab illâ forsitan non idcirco dictum esse, quod sanctitatem Jesu compertam haberet, sed propterea tantum, quod Jesu causâ multum se somniis excruciatam esse arbitraretur. Jam centurionem portenta Jesu moriente edita moverant, ut illum Dei alicujus filium fuisse, i. e. heroa, quales multos vetus ista adscivit superstitio, arbitraretur. cf. Matth. XXVII, 50 sqq. Denique atrocissimum Judae facinus, quod eum impulit, ut vitam suspendio finiret, ex terroribus conscientiae facillime explicatur, quibus vel nequissimus homo, tanquam a furiis, exagitari debuit, dummodo non omnem humanitatem exuisset. Quippe virum praeclare de se meritum, eundemque sanctissimum hominem (neque ideo tamen ab omni peccato liberum) turpissimo scelere laeserat. Ergo facile haec omnia fidem invenient, etiamsi Jesus non ille quidem nihil omnino peccati admiserit, sed vir fuerit singulari quâdam virtute praeditus. Diximus iam supra, ab Apostolis Magi-

*) Mitius de Pilato a plerisque infamato, homine etiam post mortem infelici sensit b. *Niemeyerus* (*Characteristik der Bibel* T. I. p. 129 sq. edit. 5.). Quodsi nostrum est, vel de adversario justam ferre sententiam, nonnullis certe nominibus Pilati vitam laudari posse concedamus. Hanc rem ex ipsis Evangeliis demonstrare longum est, sed non nimis difficile. cfr. *Kindervateri* l. *Pragmatische Darstellung der Leidensgeschichte Jesu* (Lips. 1797.) p. 177 sqq.

stro immunitatem peccatorum sine controversiâ assignari, sed iidem addidimus, illorum testimonia tum demum nihil dubitationis habitura esse, ubi credideris, spiritu Dei, qui unus, quid in hâc re esset, scire poterat, eos afflatos fuisse. Alioquin testimonio eorum hanc ob causam nihil proficitur, quod rem sibi vel maxime ignotam auctoritate suâ confirmare omnino non potuerunt.

Scite hoc jam dudum *Weberus* (Opuscc. p. 188 sqq.) monuit, plaudentibus plurimis, qui de Theol. dogm. exposuerunt, ut *Wegscheidero*, Collegâ carissimo (Institutt. Theol. christ. dogm. p. 447. edit. 7.), *Bretschneidero* l. c. aliis. „Si sciremus, ait, Jesum a primâ inde pueritiâ ad extremum usque vitae halitum recte semper loquutum esse, ac — ne uno quidem verbo peccasse, vel ex ejus sermonibus perfectam ejus virtutem cogere possemus. Sed haec scientia in nos prorsus non cadit. Nam primo paucissima Jesu dicta memoriae tradita habemus; deinde etiamsi omnia haberemus, tamen de plenâ eorum convenientiâ cum virtute recte judicare, nobis non liceret. Idem valet de factis. — Altum servatur silentium in commentarr. Evangelist. de maximâ vitae Jesu parte. Quae Jesus dixerit et fecerit per triginta fere annos, ea exceptis paucis — (Luc. II, 41 — 52.) plane ignoramus. Et quamquam de ultimo ipsius triennio multo plura nobis narrata reperiuntur, tamen vel haec, si singulorum annorum, mensium, dierum, horarum rationem habeas, pauciora sunt, nobisque desiderantur innumera. — Sed non est, quod illud scriptorum divinorum brevitatis studium in nostrâ quidem causâ adeo doleamus. Fingamus enim, scriptores illos omnia a Jesu dicta et facta, ne minimo quidem neglecto, memoriae prodidisse, — fierine sic posset, ut virtutis *integritatem* certo intelligeremus? Virtutis *materiam*, h. e. convenientiam cum lege externam videre nobis licet, virtutis *formam*, h. e. convenientiam cum lege internam, non item. Illam homines judicare possunt (quamquam etiam haec res habet cautionem ac difficultatem subinde non exiguam —); hujus judicandae facultas uni Deo propria est, animorum inspectori.“

Caeterum Ven. *Ullmannus*, quem haec duplex objectio non fugerat, utramque tamen singulari quâdam ratione refutare conatus est.*) Et illud quidem, quod Apostoli non totam Magistri vitam, sed brevem tantum ejus partem cognitam habuerunt, idcirco afferri debuisse negat, quod de moribus hominum animique cultu is per-

*) l. c. p. 35 seqq.

verse judicet, qui non cogitarit, in morum perfectione arctissime omnia inter se cohaerere, alterum ex altero oriri, sequentium causas cerni in antecedentibus, eoque fieri, ut, qualis quis olim fuerit, ex iis, quae nunc maxime agat sentiatque, intelligi possit. Nimirum peccata semel commissa usque eo deleri aut infecta fieri non posse, quin semper et in animo et in vitâ hominis, qui peccaverit, quidquam haereat. Neque enim singulis tantum actionibus unquam peccari, sed peccando legem rationemque vivendi illico perverti, vitae harmoniam et quasi concentum turbari, neque peccatorum vim postea tolli, sed partim remanere. Nam quum quovis peccato conscientia polluatur, neminem unum, si vel semel peccaverit, illam animi tranquillitatem recuperare posse, quam testibus libris sacris Christo concedere debeamus. Quamobrem sic censet *Ullmannus*, aut Apostolorum de integritate virtuteque Magistri judicium nullam prorsus vim habere, aut, si illis credendum sit, de sanctissimâ Jesu vitâ eo tempore actâ, quo ejus consuetudine usi sunt, non esse recusandum, quin eadem Domino sanctitas etiam antea tribuatur. Nempe quum integra illius triennii virtus quasi quaedam summa vitae ante transactae videri debeat, tum neque temere ea divellere licet, quae naturâ suâ intime conjuncta sint, neque talis fructus, nisi ex optimâ radice progerminare ullo modo poterat. Quemadmodum igitur *a toto ad partes* recte concluditur, ita hîc certe, ubi pars integra esse sine toto nequeat, conclusionem *a partibus ad totum* valere oportet. Quid, quod ne illud quidem silentio praetereundum est, testimonia de integritate vitae Jesu ante actae nos haudquaquam deficere. Johannes enim baptista, quem conjunctissime cum Jesu vixisse appareret, tantis eum laudibus ornare non potuisset, nisi incredibilem ejus virtutem sanctitatemque penitus sibi perspexisse videretur.

Quamvis haec subtilitatis cujusdam commendationem habeant, vereor tamen, ut ex iis id sequatur, quod erat demonstrandum. Nempe omnem Jesu vitam inde a puero insigni virtute decoratam esse, certissime ex eo intelligitur, quod alioqui sanctitas ejus nullo pacto tanta esse potuisset, quantâ omnem Servatoris vitam, in publicam lucem progressi, splendere videmus. Verum enim vero Jesum ne latum quidem unguem ab honestatis regulâ discessisse, ne verbum quidem malum ex ejus ore unquam excidisse, nullam omnino cogitationem pravam animum ejus subire potuisse, ne semel quidem eum ullo peccandi stimulo vel levissime tactum esse, id certe non sequitur, neque ostensum est, sed sumtum precario. Videlicet non de unoquoque peccato ea valent, quae scripsit *Ullmannus*. Etenim

quae in scholis *involuntaria* peccata appellantur, non tollunt illico animi puri quietem, non turbant vitae harmoniam, non semper ea in animo et in reliquâ hominum vitâ vestigium relinquunt. Optimus quisque sensuum illecebris abripitur, ut verbo peccet; at statim se peccasse intelligit, eumque verbi poenitet. Manet itaque, qui erat, manet animus tranquillus et a pravitate alienus. Suboritur in animo hominis longe omnium (sic enim fingamus) optimi perversa cogitatio: at condemnat eam, statim opprimit, manet, inquam, *καθαρὸς τῇ καρδίᾳ*, manet in eo virtutis norma, quam constantissime sequitur. Quumque nemo mortalis omnia meminisse queat, quae unquam cogitaverit, nedum quae animum ejus leviter tantum percusserint, talia mox e memoriâ effluunt, neque ulla eorum vestigia relinquuntur. Multo etiam minus alii animadvertere possunt, nos olim cogitando loquendove haud multum errasse, si tamen ita a nobis erratum est, ut extemplo ad saniora reverteremur, moresque nostros ad honestatis legem revocaremus. Nam quemadmodum ejusmodi homo ipse aut nescit, a se peccatum esse (talia enim subrepunt inscienti), aut non meminit (quis enim meminisse potest, quoties erraverit?), ita ne familiarissimi quidem amici quidquam vident, ex quo, leviter ab amico peccatum esse, suspicari possint: propterea quod ejusmodi peccatorum in externâ vitâ hominis optimi nec vola est, nec vestigium. Scilicet, id quod est sapientis et honesti hominis, semper idem vult et non vult is, qui in eo praeclare sibi constat, ut semper et ubique legibus divinis obtemperet, neque unquam a semet ipso dissideat, etiamsi aliquando imprudens labatur, ita tamen, ut illico surgat, neque isto casu humi affigatur. Ita vix ac ne vix quidem, se lapsum esse, sentiet ipse, nedum alii. Quocirca magnopere vereor, ut de peccati naturâ Ven. *Ullmannus* satis recte judicaverit, atque ut de omni peccato id obtinere queat, quod ipsi visum est. Quodsi maxime opinio ista valeret, scilicet postremo revolvi nos oporteret ad Stoicorum illud commentum, omnia peccata esse paria, nec minorem ejus culpam, qui temere gallum gallinaceum occiderit, quam qui parentem suffocaverit. Quod autem ad laudes attinet, quibus Johannes baptista Jesum affecit, nihil eae praeterquam hoc probant, praeclaram Jesu virtutem jam tum, quum publice docere inciperet, enituisse. Sed quum ne Johannes quidem omnia Jesu dicta, facta, denique cogitata (qui enim ejus mentem introspexerit? in numerato habuerit, non aliam Johannis testimonium vim habet, quam testimonia Apostolorum. Adde, quod Johannes nusquam Jesu impeccantiam vindicat sensu dogmatico.

Virtutis autem *formam*, h. e. mentis animique cum divinis legibus congruentiam soli Deo exploratum esse, Ven. *Ullmannus* quoque concedit. Sed neque Apostolos animi Jesu cum divinis praeceptis consensionem recte affirmasse, neque nos jure defendere, Vir Doctiss. negat. Sic autem disputat*): Nullos innocentissima Jesu vita explicatus habet, sed portento similis videatur necesse est, nisi ejus voluntatem et semper et prorsus cum Dei praeceptis conspirasse sumseris. Quod lucis modo splendeat, ex tenebris natum esse aut nocte, absurde existimes, neque ullum Jesu vel dictum vel factum exstat, unde mores Servatoris egregie cum divinis mandatis concordasse (legalitas), mentem non usque quoque (moralitas), suspiceris. Quin hujus certe viri vita purae sanctaeque mentis repercussa imago est, neque unquam Jesus aliud pectore clausum continuit, aliud loquendo agendoque foras extulit. Licuit igitur Aposto lis *perfectam* divino Magistro virtutem tribuere, h. e. accuratam non solum dictorum factorumque, verum etiam voluntatis cogitationumque cum divinis legibus concordiam. Quod si Apostolis jure conceditur, nobis quoque concedendum est: sin minus, de verâ et quae a mente consilioque profecta fuerit ullius hominis virtute judicium ferri nequit, vanaque est omnique sensu destituta egregia Servatoris vox: *ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς* Matth. VII, 20. Hoc modo in iis historico subsistendum est, quae ab aliquo dicta auribus percepta fuerint et facta oculis, corticemque ille inutiliter manu tenebit, omni fructus enucleandi spe praecisâ. Ita nimirum *pragmatica* historia sublata est, nec quisquam, modo sibi constare voluerit, de cujusvis hominis verâ virtute consiliorumque cum divinis legibus congruentiâ judicare sustinebit. Quo facto scepticismum historicum et moralem, omni hominum vel virtutem, vel pravitatem dijudicandi potestate ademtâ, nasci, nemo est, quin assequatur.

Deus meliora! Sed salva res est. Nam plura Vir Doctiss. hoc loco optavit, quam docuit**). Solent homines, quantus viri, de quo mentio injecta fuerit, non morum tantummodo, verum etiam animi

---

*) l. c. p. 38 sq.

**) Aliud est, negare, veram ac puram virtutem, *qualis in homines cadere posse videtur*, e vitâ et moribus hominum ullibi intelligi posse, de quo absurdo scepticismo, qui omnia turbat, egregie exposuit summus *Reinhardus* in l. *System der christlichen Moral* T. IV. p. 101 sqq.: atque etiam aliud est, negare, Servatoris *impeccantiam* ex ejus vitâ doceri posse.

cogitatorumque cum Dei praeceptis consensus videatur, in vitâ communi sine ullâ dubitatione pronuntiare suumque qui sapiunt ad regulam, quae a Domino scripta paullo ante memorata est, judicium dirigunt. Item scriptores historici, quum alios homines honestissimam, alios pessimam vitam degisse scribunt, non hoc sibi volunt, illorum mores cum divinis legibus concordasse, horum dicta factaque a Dei voluntate vehementer abhorruisse, sed illos, quia mente quoque optima quaeque complexi fuerint, multis laudibus celebrant, hos, quoniam ipsi eorum animi foedas sordes habuisse videantur, graviter reprehendunt. Recte hoc faciunt, dummodo modestiâ ducti et pietate, neque afferre se posse, nisi speciosum et verisimile, meminerint (namque homines oculis subjecta vident, Deus animos perspectos habet 1 Sam. XVI, 7.), neque quemquam pejorem fuisse, quam pro editis facinoribus criminentur. Quodsi quis ulterius progressus sua de aliorum hominum vel mentis integritate, vel animi labe judicia longe certissima extraque omne errandi periculum constituta perhibet, vehementer peccat. Lineas enim transilit, quibus mentem nostram judiciumque Deus circumscripsit. Nusquam autem major sententiarum discrepantia invenitur, quam ubi hominum aut honestas, aut perversitas in judicium vocatur. Qui laudatur ab hoc, culpatur ab illo, quemque alii ob eximiam virtutem in coelum sustulerunt, eundem alii, quia insigniter improbus fuerit, de coelo detractum in tartara trudunt. Noli mirari. Nihil est enim dictis factisque hominum, quae et animi sententiam declarare, et ad tempus ficta esse possint, fallacius, nihil dolosius. Quare sobrii et circumspecti viri iis non succensent, qui de hominum meritis aut culpâ aliam, quam ipsi sententiam tulerint, quum de re valde ambiguâ tot paene sententias proferri posse, quot sint homines, reputaverint. Servator autem non solum hominum indolem ex eorum factis, tanquam arborum ingenium ex fructibus, cognosci posse monuit (Matth. VII, 20.), verum etiam temeritatem judicandi et iniquitatem ab suis alumnis procul abesse voluit: μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε, Luc. VI, 37.

His disputatis ratio facile concluditur. Nam si Jesum propter suam impeccantiam Dei filium censendum esse defendimus, Jesu autem impeccantiam testimoniis Apostolorum, quorum *divinam* auctoritatem idoneis argumentis firmare neglexerimus, munimus, postremo Apostolos, homines ab errandi periculo minime alienos, quaecunque Jesus mente agitasset penitus scivisse, precario sumimus, profecto Christianorum fidem perinfirmo, aut nullo potius fundamento

niti volumus. Eadem est Ven. *Hasii* sententia, qui l. c. p. 67 sq. haec dicit: „*Die Huldigung des strengen Täufers, die unbedingte Verehrung der Apostel und ihre bestimmte Erklärung, dass Jesus gerecht, heilig und ohne Sünde war, ist ein unverwerfliches Zeugniss für seine sittliche Hoheit; allein sie kannten seine Vergangenheit und das Geheimniss seines Herzens nicht, um bezeugen zu können, dass niemals die sündige Lust darin Raum gefunden habe.*“

Veniendum nunc est ad eas voces, quibus Jesus suum sibi ipse pretium statuit. Iis *Ullmannus* et *Hasius* ll. cc. firmissimum argumentum, quo Jesu ἀναμαρτησία fulciatur, contineri putant. At principio recte dubites, quamnam vim testimonium habere possit *in propriâ causâ*, ut cum JCtis loquar, dictum. Namque de Jesu *homine* agitur, quem *Dei filium* fuisse, ex ejus ἀναμαρτησίᾳ docere illi conantur. Ac bene sibi constat, vel *Hoevel.*, vel *Baumgarten.*, qui l. c. p. 10. nihil eos dicere, qui Christo de se ipso judicanti idonei testis auctoritatem deesse objiciant, his verbis ostendit: „Christus est verus Deus, errare igitur sive quoad intellectum, sive quoad voluntatem nullo modo potest. Hinc testimonium hoc de se ipso verum est, quam quod verissimum, Joh. VIII, 13. 14.“

Haec iis, qui ab iisdem initiis profecti fuerint, procul dubio vera videri debent. Summâ enim necessitate e dogmatibus efficiuntur, quae pro veris nullique dubitationi obnoxiis illi posuerunt. Quod autem Theologo e dogmatibus, quorum veritas satis explorata sit, suam de Christi ἀναμαρτησίᾳ disputationem instituenti facile concedimus, concedi nequit eam hujus disputationis rationem ingressis, ut illam totam ex eo suspensam esse velint, ut Christi, qualis inter homines olim vixerit, vivam imaginem ingenioso examini submittas *(von der geistvoll und lebendig aufgefassten historischen Erscheinung)*. Ne in orbe haec disputatio versetur, considerandum est, tum demum Jesu summam sibi integritatem tribuentis testimonium vim habere, quum de perfectâ Servatoris virtute aliunde satis constet. At quî tandem hanc probabis? Ad sanctam divini Magistri vitam provocas? Verum enim vero hanc nullam esse provocationem, jam supra vidimus. Igitur ad testimonia confugis, quae ipse Deus, Servatore ejusque Apostolis interpretibus usus, Jesu impertivit? Scilicet ne hoc quidem viro licet, qui rem unâ historiâ duce demonstrare con-

stituerit, argumentationem contemserit dogmaticis decretis superstruendam.

Ponebamus hactenus, Jesum perfectam sibi et cui nihil addi posset virtutem vindicasse. Verum hoc ipsum, quod e multis locis cognosci putarunt, ne unus quidem locus commonstrat.

Sed haec longiorem requirunt disputationem, quam non capiant hujus libelli angustiae. De his igitur, si Deo placuerit, alio tempore.

Videtis, cives carissimi, de ipsâ re, quâ nullam fere graviorem duco, nihil esse dissensionis, sed eam tantummodo, notam omnibus, aliter ab aliis demonstrari. Ipsi igitur judicabitis. Neque enim estis nescii, nos haudquaquam in eo elaborare, ut in verba magistrorum juretis, imo iterum iterumque aureum illud Apostoli praeceptum:

πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε!

Vobis commendari. Illud certissimum putabitis, Vestrum esse, ut *singulare* Domini exemplum ante oculos ponatis, et ad hanc quasi normam sensus Vestros, voluntatem omnem, vitam denique totam exigatis. Quod ubi diligenter feceritis, Spiritus divinus, quo Pater Coelestis nos omnes donare cupit, animos Vestros sic reget et gubernabit, ut et studia Vestra et facta divinae voluntati consentanea reddantur.

Faxit Deus, ut, qui proxime instant, dies festi hanc pietatem in Vobis alant, animos Vestros novo robore augeant, totosque Dei cogitatione tanquam impleant, Spiritum denique Sanctum large in Vos effundant. Valete.

P. P. Dom. Exaudi MDCCCXXXV.

Christiani Friderici Fritzsche

Theologi Halensis

DE

'ΑΝΑΜΑΡΤΗΣΙᾼ JESU CHRISTI

COMMENTATIO II.

Qui nuper de Christi ἀναμαρτησίᾳ copiose et eleganter scripsit, *Ullmannus*, Collega Carissimus, Servatoris impeccantiam ex iis vocibus plane cognosci contendit, quibus summam vitae innocentiam Christus sibi ipse tribuisset. Idem Ven. *Hasio* visum est in libro de Jesu vitâ edito. Nempe Servatorem vitae sanctitatem omnibus numeris absolutam verbis tam dilucidis tamque perspicuis sibi vindicasse putarunt, ut qui Jesu ἀναμαρτησίαν addubitare auderet, Christo aut fanaticum errorem, aut simulatam pietatem exprobrare cogeretur. Et *Ullmannus* quidem in libro nuper tertium divulgato (*Ueb. die Sündlosigkeit Jesu. Eine apologet. Betrachtung. Dritte verbesserte und vermehrte Auflage, Hamburg* 1836.) p. 61. haec:

„Es ist also nicht dem geringsten Zweifel unterworfen, dass sich Jesus vollkommene Sündlosigkeit, Heiligkeit und hiermit Erhabenheit über alle Sterbliche zuschrieb. Wollen wir das einzig herrliche Selbstzeugniss, das Jesus von sich ablegt, nicht als wahr annehmen, wollen wir seinem grossen Worte nicht in Einfalt trauen, so bleibt uns nichts übrig, als die furchtbare Wahl, ihn für einen Schwärmer, oder für einen Heuchler zu erklären. Wir müssten entweder behaupten, Jesus habe es mit der Unterschei-

dung des Guten und Bösen nicht eben besonders genau genommen, er habe nicht alle Falten seines Herzens durchforscht, nicht alle Regungen seines Willens gekannt, nicht alle Reden und Thaten seines Lebens streng geprüft, und sei also in eitler Selbsttäuschung begriffen gewesen, da er jene erhabenen Worte aussprach; und wie wäre diess denkbar bei einem Geiste, der sonst das Gute und Böse — man erinnere sich der Bergpredigt — mit unvergleichbarer Strenge scheidet, der über Gott und Menschheit so rein und klar dachte, der alle Menschen bis in's Innerste durchblickte, und in allen sittlichen Dingen so unaussprechlich fein und zart fühlte? Sollte der gerade sich selbst nicht gekannt haben? Sollte der, welcher erst die vollkommene Reinheit und Strenge des sittlichen Bewusstseins in die Menschheit brachte, nicht selbst auch die reinste sittliche Unterscheidung besessen haben? Und einer solchen bedarf es nicht einmal, um zu wissen, was Jeder von sich weiss; kein Anderer, auch der beschränkteste, moralisch wenig entwickelte Mensch wird darüber je einen Zweifel hegen, dass er in seinem Leben gesündigt habe; und Jesus hätte es nicht gewusst, wenn es bei ihm der Fall gewesen wäre, er hätte sich in schwärmerischem Wahn zu einem Heiligen erhoben? — Oder wir müssten den andern Fall annehmen, er war sich irgend einer Uebertretung des göttlichen Willensgesetzes in Gedanken, Worten oder Werken bewusst, und bezeugte doch mit unzweideutigen Worten das Gegentheil. Aber wer möchte die Vertheidigung der Behauptung übernehmen, dass der, welcher in allen Lagen seines Lebens nur für die reinste Ueberzeugung wirkte, und endlich für die Wahrheit am Kreuze starb, ein scheinheiliger Heuchler gewesen sei?"

Assentirer Optimo Collegae, si verum existimarem, quo, quasi longe certissimum esset, totam argumentationem niti voluit, Christum perfectam sibi et cui nihil addi posset sanctitatem attribuisse. Quam in se cadere nusquam Servatorem affirmasse, nuper declaravimus in Comment. hâc de re primâ p. 71. Quamobrem valde eos errare censemus, qui Jesum saepe de se pronuntiasse, quod ne semel quidem dixit, opinantur. Quod ne leviter potius aut cupide iecisse, quam cogitate rationibusque diligenter subductis dixisse videamur, nostra sententia nunc idoneis argumentis ita munienda est, ut cum adversariorum nostrorum ratione confligat. Quam quidem disputationem non moleste laturum esse Collegam Venerabilem, satis scio. Est enim vir veritatis amantissimus. Nempe ambitiosus sua-

rum opinionum jactator, quia ingenium admiratur suum, veritatem spernit, dissentienti iniquus est; contra vir, qui veritatis studio ardet, benevolis dissentientium amicorum disputationibus, quas et ipsas veritatis studium pepererit, non exasperatur, sed recreatur. Namque praeclaram Pauli regulam sequendam ratus: πάντα δοκιμάζετε! vero quidem amici dissensione nullam fraudem fieri penitus sibi persuasit. Cujus disputatio si ad veritatis similitudinem propensior fuerit, ab errore se liberatum gaudet; sin a vero longius illa discesserit, in hoc laetatur, quod ea defenderit, quae convelli non potuerint. Praeterea conjecturâ ex benevolentiâ, quâ Optimus Collega priorem nostram commentationem prosequutus est (Praefat. p. IX, edit. 3.), captâ, hunc quoque librum ei gratum fore speramus. Haec de me, nunc de re.

Ven. *Ullmannus* testimonia, quibus perfectam sibi Jesus sanctitatem vindicaverit, partim negativa, ut technicis formulis utar in scholis receptis, partim positiva esse observavit (p. 54.). Et primum quidem, quod ad illud genus pertineret, argumentum his verbis complexus est: *„Wir finden nirgends in der Schrift, dass Jesus ein Bekenntniss der Sünde, oder sittlicher Mangelhaftigkeit ablegte, er verlangt nur mit Ernst und Strenge, dass Andere es thun sollen. Wie können wir aber glauben, da er das demüthige Sündenbekenntniss vor Gott so hoch preist und als Kennzeichen wahrer Frömmigkeit darstellt (Luc. XVIII,* 9 — 14.), *dass er es unterlassen haben würde, wenn wir nicht annehmen, dass er eben nicht im Falle war, ein solches ablegen zu können. Entweder müssen wir ihn des von ihm so gewaltig bekämpften Pharisäismus beschuldigen, oder das Bewusstsein schuldloser Reinheit bei ihm voraussetzen.“*

Haec argumentatio nescio, quanti ab aliis aestimetur, mihi quidem vehementer laborare videtur. Primo quidem non video, quomodo ex Luc. XVIII, 9—14. sententia extricari possit, Christi judicio hominem vere pium ab impio hâc notâ internosci, quod ille commissa peccata praedicet et prae se ferat, hic quae deliquerit reticeat. At fictam narrationem Servator eo consilio proposuit, ut hominum, qui neminem non vitae sanctitate superare sibi viderentur, superbiam contunderet, quum Deo virorum virtute suâ superbientium fastum admodum improbari, modestiam eorum, qui, quam manca sua esset, aut nulla potius virtus, sentirent, vehementer probari ostenderet. Hujus rei auctorem habemus, quo meliorem nemo recte desideret, Lucam ipsum. Is enim Servatorem ex tempore fictâ

narratione petivisse dicit τινὰς τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς (cap. XVIII, 9.). Quamobrem in parabolâ neque pharisaeus arrogantiam ita expromit, ut sua praeclare facta *in hominum circulis* venditet, neque portitor *in hominum coronâ*, ut modeste de se sentire videatur, pectus plangit, ingemiscit, denique, ut Deus peccatis suis veniam det, optat, sed, ut *Deo virtutis arrogantiam displicere, modestiam placere intelligamus*, pharisaeus admodum arrogantes, portitor valde modestas *preces ad Deum* fundit, monetque Christus, ut, quo pertineat parabola, sciamus, modestum virum Deo probatum domum reversum esse, non illum vanum jactatorem (v. 14.). Quodsi Jesus aliud consilium, quam quod dixi, pulchrâ parabolâ persequutus esset, *ne precantes quidem* pharisaeum et portitorem induxisset. Ceterum obsecro te, locum mihi ede, in quo, pium virum multa se impie vel mente concepisse, vel fecisse pro suâ pietate non sine gemitu prae se ferre et tanquam concionabundum hominibus narrare, Servator noster dixerit. Equidem novi nullum. Videlicet *illa* res, quâ pietistae pietatem tantum non absolvi putant, inutilis est per sese, quandoquidem impie facta non gemitu aut ignavâ lamentatione, sed mentis emendatione assumtoque juvante Deo per spiritum divinum animi robore corriguntur. Accedit, quod piae illae de infirmitate, quâ labores, morali querimoniae saepe plus vanitatis, arrogantiae et impietatis habent, quam modestiae.

Sed haec omnia Ven. *Ullmannus* non negabit, qui potius sic videtur argumentari: ut sis pius, mancâ te esse et imperfectâ virtute precans Deo fatearis, Christo ipso auctore (Luc. XVIII, 9—14.), necesse est. Atqui Christus, quem virtute praecellentissimum fuisse existimamus, *testibus quatuor Evangelistis* nunquam preces ad Deum misit, quibus, se in virtute claudicasse, fateretur. Itaque Servator aut in illam sententiam propterea non precatus est, quod ne minimae quidem culpae sibi conscius fuisset, aut, quum pietatis esset simulator, ut multi pharisaei, pietatis legi aliis datae ipse non paruit.

Sic argumentanti resisti non posset, si *omnia atque singula* pia vota, quibus Christus, quamdiu inter homines vixit, tum publice, tum privatim numen veneratus est, Evangelistae, qui pauca tantummodo consignarunt, vel in numerato habuissent, vel posteritati propagassent. Deinde expendendum est, quid munus Christo divinitus injunctum, quid hominum ratio et quid res ipsa postulaverit.

Nam quum Christus Dei legatus ad homines venisset, certe Dei mandata potissimum conficere debuit. Quibus ut satisfaceret, et miracula edidit et vaticinatus est (alioquin hominibus, esse eum Messiam per prophetas divinitus promissum, parum constitisset), et Dei praecepta exposuit, et homines tum a turpitudine revocavit, tum ad virtutis studium inflammavit, et praemia iis proposuit, qui sibi fidem habituri essent, et terrores incussit, qui fidem sibi denegaturi essent, et, ne plura cumulem, arcanas regni divini rationes (*τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*) auditoribus egregie explanavit. Itaque Christi negotium in eo positum erat, non ut, si quando pravae cogitationes animum leviter tetigissent, id auditoribus edissereret, cui rei in iis, quas modo memoravi, concionibus ne locus quidem erat, sed *ut Dei mandata expromeret.* Ceterum ut sis Dei interpres, satis est, te esse virum sapientem et bonum, id quod Mosis exemplum docet; ut humanae fragilitatis prorsus expers sis et sanctitate cum ipso Deo aemuleris, opus non est. Porro non est, quod qui purum scelere animum habent (*οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ*, Matth. V, 8.), neque quidquam deliquerunt volentes aut scientes (talem autem virum Christum fuisse, nemo non concedit) fraudem suam et impuritatem, nescio quam, preces ad Deum facientes exagitent. Fruuntur enim conscientiâ optimae mentis ipsiusque Dei consortio (*ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται*). Pauci vero hâc iniquâ conditione utentur, ut vir bonus, cujus mentem maleficiorum conscientiâ non impediat, pessimus pietatis simulator, aut pharisaeus habendus sit, nisi peccata ab se imprudente commissa precibus ad Deum factis perstrinxerit. Postremo etiamsi prava consilia Christi animum aliquando temporis momento subiissent, quae paulo post divinorum praeceptorum reverentiâ commotus ex mente ejecisset, tamen eam rem, ne suarum legum vim et gravitatem ipse infringeret, divinus morum doctor tacere debuisset. Ita vel nostri morum magistri faciunt, in quibus vulgaris est, non, quemadmodum in Christo, divina prudentia. Qui quum ad summam virtutem discipulos suos adducere studeant, praeceptorumque sanctitatem vitae probitate commendandam esse sciant, eo contenti sunt, ut quid officii rationes postulent auditoribus diligenter exponant: ceterum ne legum suarum severitas vitae levitate refutetur, quam sanctissime vivunt, neque, si quid forte vel cupiditate, vel libidine, vel negligentiâ in officio ab ipsis titubatum sit, discipulis narrant. Intelligunt enim, homines leves ad morum levitatem potius, quam ad acre virtutis studium orationem invitaturam esse hujusmodi: *non*

oportere vos in omni vestrâ vitâ transversum unquam ab officio discedere, ego affirmo, ille morum magister virtutisque monstrator, quamquam cupiditate occaecatus officio nonnunquam ipse defui. Clamarent, nisi fallor, homines leves: iniquas ille nobis leges fert, quibus ipse satisfacere non potuerit. Si summa virtus merito a nobis postulatur, certe obmutescant nugatores, in quibus non est perfecta sapientia: *qui sibi semitam non sapiunt alteri monstrant viam!* Cicero de Div. I, 58. 132.; sin in virtute quoque mediocritas tenenda est, perfecta virtus, quae non cadit in fragilitatem humanam, ne commendetur quidem hominibus.

Posses tamen dicere, Christum suam virtutem, imperfectam esse in solemni precatione ipsum indicasse. Nam oratione dominicâ hoc optatum continetur: ignosce *nostris* peccatis Matth. VI, 12. Atqui constat, hujus precationis argumentum versari in rebus, quas et Christus sibi optare debuerit, et nemo non expetat. Jam in Christum ipsum cecidisse quartum votum v. 11. patet. Item viro, qui summâ pietate omnia ad Deum referre soleret, totusque in eo esset, ut Dei majestatem illustrem redderet (Joh. XIV, 13. cap. XVII, 4 sqq. all.), aptissima sunt haec optata: pie Tu celebreris! Condatur regnum Tuum! Fiat quod Tu vis, quemodmodum in coelo fit ab angelis, etiam in terrâ ab hominibus (v. 9. 10.)! Quodsi prima hujus precationis vota ejusmodi sunt, ut ea Christus ex animi sui sententiâ facere debuerit, quidni ultima quoque ad se, non solum ad discipulos suos, retulerit: *Da peccatis nostris veniam, ne permittas honestati pericula ingruere, sed eripe nos Satanae, qui ad peccata homines illicit* (v. 12. 13.)? Sed hoc argumentum, quia ambiguum est, urgere nolo. Illud urgeo, quod divinus magister cuidam de proceribus, qui eum sic compellasset: *Διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;* sic respondit (Luc. XVIII, 18 seqq.): *τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.* Nam manifesto h. l. Christus *boni* i. e. *omnibus numeris absoluti* titulo nimium sibi, in quo non sit perfecta sanctitas, tribui, eoque unum Deum, quia praeter eum nemo vere sanctus omnisque labis expers sit, ornandum esse indicavit.

Non sum nescius, quantopere Theologi, qui saepe Christum et Apostolos magis extollere, quam ipsi voluerunt, pietatis christianae esse putarunt, in eo desudaverint, ut hanc Christi vocem ejus impeccantiae divinaeque majestati minime nocere ostenderent. Veteres interpretes verba *τί με λέγεις ἀγαθόν*; non *negantis,* sed ex-

aminantis esse perhibuerunt. Nempe Jesum exploraturum mentem viri sciscitatum esse, temere sumserunt, an posito *solo bono Deo* ipsum porro habiturus esset *bonum* et *magistrum bonum*. *Wagenseilius* autem ad Sota p. 176., ut hunc locum ad suas opiniones accomodaret, verbis οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός suam quandam conclusiunculam inepte adjecit h. m.: *Nullus est bonus, nisi unus Deus; quodsi igitur vere et perfecte bonum me esse existimas, Deum fateáris necesse est*, cf. *Wolfii* curae ad Matth. XIX, 17. Has ineptias recte sprevit *Ullmannus*. Ipse autem, cui *Olshausenius* omnium optime de hoc loco disseruisse visus est, interpretationem protulit quae, ut nova, pia, denique profunda appelletur, accurata tamen, ut arbitror, non vocanda est. *Ullmanni* verba (p. 136 seq.) haec sunt:

„*Der Jüngling hatte, wie er denn offenbar als ein Mensch von gutem Willen, aber auch voll Selbstzufriedenheit* (v. 20.) *und ohne sittliche Tiefe erscheint, die Anrede* διδάσκαλε ἀγαθέ *als eine gewöhnliche Titulatur der Rabbinen (vergl. Biblioth. Brem. Class. IV. p.* 1081.) *so obenhin und bedeutungslos ausgesprochen. Jesus, diese Oberflächlichkeit durchblickend, will ihm sogleich zu seiner Demüthigung ein tieferes sittliches Erkenntniss eröffnen, und macht ihm, wie durch einen gewaltigen Schlag, auf die Grösse und unermessliche Bedeutung des von ihm so leichtfertig ausgesprochenen Wortes gut aufmerksam: „Wie, in welchem Sinne nennst du mich gut? Bedenke erst, was das sagen will — nur Einer ist gut im höchsten Sinne, Gott selbst;“ dabei allerdings verstehend: „Wenn ich gut bin, so bin ich es nur in und durch Gott, sofern ich mit Gott eins bin.“ Woran sich dann das Folgende anschliesst: „Wenn du also das Gute thun und dadurch selig werden willst, so halte dich auch an den Guten, beobachte seine Gebote, setze dich auf lebensthätigem Wege mit Gott in Verbindung.“ Hierbei wäre also* ἀγαθός *im prägnantesten Sinne zu nehmen, als letzte höchste Quelle des Guten, als Absolutgutes; Jesus ist gut, aber eben in seiner innigen vollen Gemeinschaft mit Gott, als Ausdruck des Göttlichen; und in diesem Sinne verlangt er vom Jünglinge: du musst über das gewöhnliche, menschlich Gute — und insofern auch über mich, als von Gott abgelösten Menschen gedacht, über mich, als bloss guten Lehrer im Sinne der Rabbinen und Pharisäer hinausgehen — zur höchsten Quelle alles Guten, du musst an Gott dich halten, von da wird dir das Gute und das ewige Leben zufliessen. So ist Jesus hier anschaulich*

belehrendes Bild der reinsten Demuth, die alles Gute nur in und aus Gott, in lebendiger Gemeinschaft mit Gott hat und haben will; ein Bild der Demuth, welches den Jüngling einerseits zur Selbsterkenntniss, zum Gefühle seines Bedürfnisses bringen, andererseits auf die einzige Quelle hinweisen wollte, wo er sein Bedürfniss befriedigen konnte.“

Huic interpretationi plurima obstant. Nam primum quidem, *τὸν ἄρχοντα* et levem hominem fuisse, et Jesum oscitanter, quum ei titulum vulgo a Rabbinis usurpatum, cujus neque vim, neque gravitatem, neque vero etiam profunditatem percepisset, inconsultius et socordius imponeret, his verbis affatum esse: *διδάσκαλε ἀγαθέ!* precario sumitur. Hujus enim opinionis veritas neque e Christi verbis v. 19., neque ex eo demonstrari potest, quod vir divenditis opibus suis omnibus et inter egenos distributis Christum sequi noluit Magistrum v. 22. 23. Nam non solum homines leves omnes suas fortunas pro Christi instituto profundere reformidant, verum etiam homines pii, nisi in quibus *summa* sit et pietas et constantia et animi firmitudo. Imo viri admiratio et amor fecit, ut ὁ ἄρχων virum, cui summam reverentiam praestandam esse sensisset, *διδάσκαλε ἀγαθέ* compellaret. Cui quidem sententiae neque quidquam in Lucae narratione officit, et Marci verba favent Cap. X, 17. — *προςδραμὼν εἷς καὶ γονυπετήσας αὐτὸν, ἐπηρώτα αὐτόν· Διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί κ. τ. λ.**) Deinde vocabula *τί με λέγεις ἀγαθόν;* non valent: *quo sensu* me vocas bonum? ut V. D. sibi persuasit, sed *cur* me bonum appellas? i. e. (objurgationem enim habet percontatio) *male,* injuriâ me bonum vocitas. Tum Ser-

---

*) Verissime b. *Niemeyerus* (in libro *Characteristik der Bibel* Tom. I. p. 118. edit. 5.) de hoc juvene, quo ipse Servator delectatus esse dicitur (ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν κ. τ. λ. Marc. v. 21., ad quem locum cf. *C. F. A. Fritzschii* Commentar.), sic judicavit: *„Welch ein Jüngling! Man muss sich den Umfang der Tugenden, man muss sich die Leichtigkeit der Verführung zum Gegentheile, man muss sich die gefährliche Lage, in der reiche Jünglinge zu sein pflegen, denken, um ihn ganz zu empfinden. Derer mochten wenige unter der moralisch so sehr verderbten jüdischen Nation sein, die alle Tugenden der Keuschheit, der Menschenliebe, der Gerechtigkeit, der Redlichkeit gegen Andere, der Aufrichtigkeit, des Gehorsams, von jeher geübt hatten, und doch ist zu viel Redlichkeit in dem Character des Jünglings, zu viel Unschuld in seinem Ausdrucke, als dass wir ihm nicht die vollkommenste Wahrheit darin zutrauen sollten.“*

vatorem, quum diceret: *οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός·* hoc vel sensisse, vel subindicasse: *„wenn ich gut bin, so bin ich es auch nur in und durch Gott, sofern ich mit Gott eins bin“* fingitur. Nam ne verbum quidem Lucas habet, unde Jesum hoc sibi voluisse appareat. Praeterea sententia v. 20. non minus licenter haec esse dicitur: *„quare, si quod bonum sit faciendo beari vis, praeceptis ejus, qui plane bonus est (Dei), obtempera et eos vince, qui ab hominibus boni vulgo appellantur, me quoque, quatenus homo sum a Deo divulsus et bonus magister, quem Rabbini et Pharisaei dicere solent.“* Nam verbis et illud *quare* obtruditur et tota haec sententia: quare Deum sequere *Optimum Maximum, non humanos magistros, qualis ego quoque sum, quum me hominem fingas a Deo divulsum!* Ne vestigium quidem hujus sententiae Lucae verbis inest, quod inesset, si Evangelista scripsisset v. 20. *μὴ οὖν τηρήσῃς τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς, ἀλλὰ τήρησον τὰς ἐντολὰς τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ· μὴ μοιχεύσῃς κ. τ. λ.* Multo tolerabiliorem veterum interpretum mihi videri contortionem ab *Ullmanno* recte rejectam, quam hanc explicationem, in quâ alia finguntur, alia ex mero arbitrio sumuntur, ingenue profiteor. Enimvero Lucae verbis nihil fieri potest planius. Nam *ὁ ἄρχων* Jesum verbis *διδάσκαλε ἀγαθέ* alloquutus est et rationem, quâ sempiterna vita comparari posset, ex eo percontatus (*τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;*) Luc. XVIII, 18. Quocirca Jesu disputatio bipartita est. Nam primo quidem titulum sibi impositum, quia is in neminem, nisi in sanctum Deum conveniat, aspernatur v. 19. Deinde ad verba *τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;* homini respondet, legesque constituit ei observandas, qui beatâ vitâ potiri voluerit.

Aliud argumentum Ven. *Ullmannus* e loco Matth. III, 13 — 17. repetiit. Et recte quidem tum verbis v. 15. *ἄφες ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην* disertum testimonium, quo Servatoris impeccantia confirmetur, inesse negavit, tum, Pluralem *ἡμῖν* non ad Jesum tantummodo, verum etiam ad Johannem referendum esse, concessit, tum non, quid aut Jesus faciat, aut Jesus et Johannes peragant, sed quid utrumque virum perficere deceat (animum adverte ad v. *πρέπον ἐστίν*), dici largitus est. Ceterum minus recte V. D. cum haud paucis interpretibus *δικαιοσύνης* vocabulum de *ritu (von äusserlicher göttlicher Anordnung)* cepit. Posset hic locus de *ritu* explicari, si *πᾶν δικαίωμα* scriptum legeretur. Quamquam enim *τὸ δικαίωμα ritum* minime *significat*, sed, quemadmodum hebr. vocc. חֹק et מִשְׁפָּט Deut. VI, 1. 24., nihil nisi

legem, decretum *(Feststellung, Anordnung)* declarat, tamen voc. *τοῦ δικαιώματος*, adjuvante re aut cohaerentiâ, ritus indicari potest. Quippe quam quis ferat legem tum res complecti potest hominibus credendas, tum virtutes religiose colendas, tum *ritus* diligenter subeundos. Sed *πληροῦν πᾶσαν δικαιοσύνην jegliche Gebühr erfüllen* (cf. Psalm LI, 21. זִבְחֵי צֶדֶק, *Opfer der Gebühr*) notet necesse est, h. e., si concretis quam abstractis vocabulis uti malueris, *ποιεῖν, ὃ ἂν ᾖ δίκαιον ποιεῖν, facere, quidquid facere deceat.* Accedit, quod hujus loci sententia *generalis* est, quam ad rem praesentem accommodatam hoc dicere patet: quum utrumque nostrûm quidquid fieri par est peragere deceat, ne tibi quidem recusandum est, quominus officii tui partes religiose exsequens me sacrâ lotione lustres. Hoc Christum dixisse, ut nimiam Johannis modestiam frangeret, perspicuum est. Nihilominus, Jesum *ἀναμάρτητον* fuisse, ex hoc locó recte colligi, *Ullmannus* meus' p. 54. his verbis perhibuit:

„*Eben so geht aus der Aeusserung bei der Taufe* (Matth. III, 13 — 17.) *hervor, dass er der Sinnesänderung, der Wiedergeburt nicht bedurfte, er liess sich nur taufen, um auch dieser Ordnung des Gottesreiches zu genügen.*"

Duo Vir Doctiss., ut opinionem suam plausibilem redderet, vel spectavit, vel spectare debuit. Unum, quod Jesus, quamquam sua peccata non confessus (Matth. III, 6.), tamen ab Johanne lustrari voluit v. 13.; alterum, quod Johannes aliâ potius causâ ductus, quam quod ille non resipuisset, eum lustrare noluit v. 14. Hinc, neque Christum commisisse, quae confiteretur, peccata, et Johanni, Servatorem nullam omnino culpam commeruisse, exploratum fuisse, colligi licet. Verum enimvero, ut alia taceam, hoc unum contendo, aliâ mente homines ad regni messiani civitatem praeparandos, alio consilio *Messiam, rei publicae messianae conditorem* ab Johanne baptistâ lustrandum fuisse, rem ipsam ita docere, ut ii quoque, qui Novum Testamentum ne attigerint quidem, vel intelligere, vel suspicari posse videantur. Eos autem, qui Novi Testamenti ingenium satis noverint, scriptorum sacrorum de baptismi, quo Jesus ab Johanne lustratus est, ratione sententia fugere nequit. Nempe quum regni messiani civitas virtute paranda esset (cf. filii mei carissimi Commentar. ad Matth. p. 113 seqq.), Johannes, Messiae anteambulo, Judaeos ad Messiae, qui proxime abesset, regnum ita praeparare divinitus jussus est, ut Judaeorum sibi solis, quod originem ab Abrahamo ducerent, sive pie sive impie viverent, messianam beatitatem

temere arrogantium vanitatem confutaret, superbosque homines ad morum emendationem compelleret. Quare Johannes baptismi auctor exstitit, qui Judaeos, qui in Messiae civitatem recipi vellent, poenitentiâ obstringeret, Marc. I, 4. Luc. III, 4. Act. XIX, 4. Hoc *poenitentiae baptismo* lustrari non poterant superbi Judaei et qui, quoniam Abrahami nepotes essent, messiana ornamenta sibi deberi putarent. Itaque Johannes tantummodo modestos homines lustravit, qui peccata sua confitendo, et ad divinam clementiam se confugere, et male factorum sibi taedium esse, ostenderent, Matth. III, 6. Sed haec initia neque ad Johannem, Virum Optimum, quem poenitentiae baptismo ipsum lustratum esse, nusquam perscriptum est, et multo minus ad Servatorem pertinuerunt, quem virum omnium sapientissimum et innocentissimum fuisse, omnes concedunt. Quamnam igitur vim baptismus habuit, quo Jesus ab Johanne lustratus est? Scilicet, ut Jesus baptismi ritu *Messias inauguraretur*, Dei consilia postularunt. Ita enim divinitus praefinitum erat, ut, quum Messiae praecursor Messiam lustraret, divinus spiritus, quo Messiam perfusum esse oporteret (cf. Joel. cap. III), ita, ut conspici posset, de coelo in Messiam delaberetur, coelestisque vox eum Dei filium, ad quem divinus spiritus venisset, declararet, Psalm. II, 7. Matth. III, 16. 17. Nimirum praeterquam quod Messiam solemniter provinciam suam inire aequum erat, hominibus, quum primum Messias in publicum prodiisset, quisnam esset Messias, aliquo modo divinitus monstrandum erat, ne rem gravissimam nescirent. Hinc illud explicandum est, quod Johannes baptista Joh. I, 33 dicit, se, *Jesum Messiam esse*, ex eo cognovisse, quod ad illum, quum ab se lustratus esset, spiritus divinus venisset. Ita enim se, Dei prophetam, a Deo accepisse, eorum hominum, quos lustraturus esset, Messiam futurum esse eum, ad quem inter ipsa initia spiritus divinus ita venturus esset, ut perpetuum in eo domicilium collocaret. Quae si tenueris, aperta est loci Matth. III, 13 — 17. sententia.

Adiit Jesus Johannem, ut baptismo ab eo obstringeretur v. 13. Etenim ea initia capere voluit, quae sibi Messiae a Messiae praecursore divinitus destinata esse, propheta ignorare non potuit. *Messiam* ab se lustrationem petere, Johannes videt. Tale est enim apud Matthaeum Johannis cum Jesu colloquium, quale non cum homine noto solum, sed quem futurum etiam ille nosset Messiam. Scilicet par erat, Johannem, prophetam et Messiae praecursorem, scire, quem Messiam existere Deo placuisset (cf. *C. F. A. Fritz-*

schii, Commentar. ad Matth. p. 143.). Jam Johannes Jesum lustrare recusât, non, quod Jesum Messiam, τὸν ἀναμάρτητον, suo baptismo non indigere credat, aut quod se potius, virum ἁμαρτωλόν, ab ἀναμαρτήτῳ lustrandum esse, quam vicissim, intelligat, sed quia, in Messiae majestatem intuitus, se hominem Messiâ inferiorem parum idoneum judicat, qui Messiam inauguret. Vulgo enim ab hominibus is, qui inauguratur, eo inferior judicatur, a quo inauguratur, quoniam hic vel, quae jam ipse habet, initia in illum transfert, vel nescio quid ornamenti majestatisve illi adjicit. Recte *Grotius* versus 14. sententiam hanc esse vidit: *si alter nostrum omnino baptizandus sit, ego potius abs te, ut dignissimo, baptismum petere debui.* Non hoc Johannes affirmat, omnino se potius ab Jesu, quam Jesum ab se baptizandum esse, sed hoc contendit: si alteruter ab altero inaugurandus sit, rectius se, Messiae praecursorem, a Messiâ, quam Messiam a Messiae praecursore inaugurari. Nunc Jesus, ut modestus cunctator obmutescat, hâc observatione efficit: et Messiae anteambulonem et Messiam Jesum facere decere, quidquid officii a Deo injuncti rationes postulent. Esse igitur, ut uterque Dei voluntati satisfaciat, Johanni lustrandum, sibi ab Johanne muneris initia capienda. Quare non diutius Johannes reluctatus est. Nam et nota esse prophetae debuerunt Dei de inaugurando Messiâ consilia, et iis obsistere prophetam dedecuit, v. 15. Rata igitur fuerunt Dei decreta. Lustratus est enim a Messiae praecursore Messias et tum divini spiritus adventu, tum coelesti voce Jesus Messias inauguratus, v. 16. 17. Nihil hic locus docet, nisi hoc, Jesum, qui se Messiam a Deo destinatum esse praeclare sciret, idcirco baptismum ab Johanne petivisse, ut *rite* Messias inauguraretur, Johannem autem, quia Propheta esset, messianam majestatem, quam primum ad se Jesus venisset, continuo in eo agnovisse. Sed ἀναμαρτησίας ornamenti, quod in Jesu fuerit, ne umbra quidem huic loco inest.

Tertium argumentum Ven. *Ullmannus* inde duxit, quod Evangelistae Servatorem peccatorum veniam aliis hominibus concessisse memorant. Dixit enim p. 55. haec:

„*Noch mehr: Christus, weit entfernt, ein Bedürfniss der Sündenvergebung an den Tag zu legen, vergiebt vielmehr Anderen ihre Sünde im erhabenen Bewusstsein göttlicher Vollmacht. Ist das die Sache eines Menschen, der selbst Sünde und Schuld in sich vorfindet? Würde diess, wie es von Jesu geschieht, nicht ein frevelhafter Eingriff in das göttliche Regiment gewesen*

sein? Nur die auf das Gefühl seiner eigenen Erhabenheit über die Sünde gegründete Gewissheit der Einheit mit Gott konnte ihm das so sichere Gefühl der Berechtigung geben, den Sündern Verzeihung zu verkünden."

Non posse aliis hominibus peccatorum veniam dare, nisi qui sit ἀναμάρτητος, vana est opinio, a divinorum scriptorum sententiâ alienissima. Nam sive Jesum in loco classico Matth. IX, 1 sqq. ad Judaeorum opiniones descendisse et cum Jureconsultis ex concessis disputasse, plerisque interpretibus assentiens, credas, sive cum *Straussio* (in libro: *das Leben Jesu kritisch bearbeitet.* II. p. 83 sqq.), Servatorem quoque, morbos aliasque calamitates esse commissorum peccatorum poenas, judicasse (vid. *Schöttgen.* ad Matth. IX, 2.) opineris, Matthaei locus illam opinionem aeque evertit. Nimirum, si Jesus se ad aequalium suorum opinionem accommodavit, Jureconsultos eo, quod membris captum hominem his verbis sanaverat: ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου (v. 2.) offensos, quia, quod majestatis divinae esset, sibi homo arrogavisset, hoc modo refutavit: esse morbos peccatorum poenas, statuitis. Qui quum tolli nequeant, nisi eorum causis sublatis, perinde esse, sive hominem sanaturus eum simpliciter convalescere jubeas, an peccata ei remittas, i. e. morborum causas removeas, necesse est. Atqui mihi hominum persanandorum potestatem esse, hoc est, quemadmodum vos, si vobis constare vultis, interpretari oportet, *peccatorum remittendorum jus esse,* ex eo cognoscite, quod mihi nunc hunc hominem sanare placet. Hoc pacto Jesus, Judaeorum opinionem abominatus, se cum vulgo loquutum esse, quum θάρσει τέκνον· ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου diceret, indicavit, nihil autem, nisi hoc sensisse *„sanitatem recupera!"* significavit. Hâc interpretatione initâ Jesus aegroto homini nullorum peccatorum veniam dedit, sed eum per miraculum persanavit. Eadem vero etiam Apostolorum facultas fuit, quibus nemo ἀναμαρτησίαν facile tribuerit, cf. v. c. Act. III, 4 sqq.

Sin *Straussio* accedere malueris, Christus sic disputat. Utrumque aeque difficile dictu est, et homini aegroto peccatorum veniam concedere, et ei simplicibus verbis sanitatem restituere, quia ne hoc quidem fieri potest, *nisi peccatis ei condonatis.* At mihi peccatorum in terrarum orbe remittendorum facultatem datam esse, ex eo discite, quod hunc virum aegrotum, qui, nisi peccata commisisset, non pessime affectus esset, convalescere nunc jubebo, quod nisi peccatis ei a me condonatis fieri nequit. Sic quoque, Jesum

ἀναμάρτητον fuisse, ex hoc loco minime consequitur. Nam etiamsi morbi peccatorum poenae fuerint, tamen illa non solum a viro *ἀναμαρτήτῳ*, sed etiam ab hominibus *ἁμαρτωλοῖς* condonari potuisse, Apostolorum aegrotos homines per miraculum sanantium exemplum comprobat. Quamquam miracula non *a thaumaturgis*, sed *a Deo thaumaturgorum operâ* patrari, constanter N. T. docet, cf. Joh. Evang. III, 2. cap. XI, 41. Act. II, 22. Joh. X, 32. 33. al. Quocirca, si cum *Straussio* feceris, non sic tibi dicendum est: *tum Jesum, tum Apostolos* aliquando, quum morbos persanarent, miraculo hominibus peccatorum veniam dedisse, sed *Deum peccata condonasse thaumaturgorum*, i. e. Jesu et Apostolorum *interventu*.

Accedit locus Joh. XX, 22. 23., quo opinio, non esse peccatorum condonandorum jus et facultatem, nisi viro *ἀναμαρτήτῳ*, funditus evertitur. Ibi Jesus et Apostolos divino spiritu imbuit, et iis peccatorum remittendorum privilegium concedit: *λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται* (*ἀφέωνται* ex optimorum codd. auctoritate et ob membrum sequens *κεκράτηνται* cum *Lachmanno* scribendum videtur) *αὐτοῖς· ἄντινων κρατῆτε, κεκράτηνται*. Hoc igitur vitio V. D. argumentatio laborat, quod, non Jesu tantummodo, *verum etiam Apostolis ἀναμαρτησίαν* vindicandam esse, ex eâ sequitur. Argumentum autem, quod nimium probat, nihil probat.

Sequuntur Servatoris nostri de se testimonia diserta (positiva). Et olim quidem plurimas Jesu sententias huc referre solebant, quarum aliae ab hoc argumento plane alienae sunt, aliae primo certe obtutu speciosae videntur: ceterum illis neque *Ullmannus* multum tribuit, neque nos jam diu immorabimur.

Primum igitur quod apud Matthaeum V, 17. Jesus ita loquitur: *Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι·* multi olim theologi Jesu obsequium, quod omnes Dei leges complexum fuerit, perfectamque ejus pietatem et virtutem verbis *πληρῶσαι τὸν νόμον* indicari censuerunt. At etiam homines alibi *τὸν νόμον ἀναπληροῦν* (Gal. VI, 2.) et *πληροῦν* (Rom. XIII, 8 — 10.) dicuntur, non ii scilicet, qui omnes leges diligentissime observent, sed qui gravissimas quasque moribus ac vitâ exprimere fortiter studeant. Atque ut, Jesum perfectae absolutaeque virtutis notionem declarare voluisse, tantisper concedam, tamen ne sic quidem, perfectâ eum virtute splenduisse,

ex hoc loco elucet. Etenim, ut pulchre vidit b. *Weberus* (Opusc. p. 182.), Jesus hic, quid sibi velit, non quantum consequutus sit, exponit, animique propositum commemorat, non eventum hujus consilii describit. Ceterum non uno modo interpretes hunc locum explicare constat. Mihi sic videtur. *Πληρῶσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας* optime enarratur: *facere quae in Mosis et prophetarum libris perscripta sunt*, nimirum *de Messiâ*, cujus omnes res accuratissime in Vetere Testamento praefinitae existimabantur. Opponitur *καταλῦσαι*. Recte. Etenim si V. T. oracula in Jesu eventum habuerunt, hâc ipsa re illa vaticinia confirmata sunt. Neque tamen confirmandi notio verbo *πληρῶσαι* per se inest, sed implendi. At vero qui h. l. legem et prophetas *implere*, hoc est *ea facere* dicitur, *quae de Messiâ in lege et prophetis scripta exstant*, eo ipso V. T. effata *confirmavit*. Est igitur h. l. *πληρῶσαι ad sensum* confirmare, neque *Ullmanno* assentior, qui p. 59. scripsit: „*Wahrscheinlich ist hier — von Bestätigung des wesentlichen Gesetzinhaltes die Rede.*“ Sed *πληρόω* non idem est, quod *κυρόω*.

Jam in alio ejusdem Matthaei loco cap. VII, 11. *εἰ οὖν ὑμεῖς, πονηροὶ ὄντες, οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν·* veteres Theologi, quid argutiis suis efficere possent, videntur experti esse. Mire enim pervertunt verba *ὑμεῖς, πονηροὶ ὄντες*, eaque Jesum idcirco tam graviter inculcasse contendunt, ut omnes homines, se uno tamen excepto, improbos esse pronuntiaret. Fingere eos oppositionem, quae nulla est, vel ex eo apparet, quod Jesus per omnem vitam matrimonii liberorumque expers mansit (*ἄγαμος καὶ ἄτεκνος*), ut ei *ὑμεῖς*, non *ἡμεῖς* necessario dicendum esset. Omnino autem tantum abest, ut Jesus hic de semetipso mentionem faciat, ut nihil aliud, quam humanos patres cum patre coelesti egregie comparaverit. Ut in tam facili loco, docti interpretes tantum non omnes de interpretatione consentiunt. Verissime jam *Chrysostomus*: *Ταῦτα δὲ ἔλεγεν οὐ διαβάλλων τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, οὐδὲ κακίζων τὸ γένος, ἀλλὰ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς ἀγαθότητος τῆς αὐτοῦ* (scilicet *τοῦ θεοῦ*) *τὴν φιλοστοργίαν τὴν πατρικὴν πονηρίαν καλῶν.* Quamobrem hoc dicit Jesus: homines, si cum Deo comparentur, mali (improbi) sunt, Deus autem est bonus (omnibus numeris absolutus). Jam quum patres, male illi, ut homines, morati recte tamen, quid liberis vere profuturum sit, dijudicent, multo magis a parente coelesti, qui

solus bonus est (Matth. XIX, 17.), optima quaevis exspectare licet.

Non magis quidquam probat alius locus apud Johannem cap. IV, 34,: ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον. Sive enim Jesus nihil aliud, nisi summum voluntati divinae obsequendi studium suum profitetur, quo omnes flagrare debemus (Matth. VII, 21.), eoque duci videmus optimum quemque: sive potius messianam dignitatem commemorat, quâ ornatus docere homines, corrigere et ad salutem adducere studeat, illud certissimum, nullo modo id a Servatore agi, ut se ab omnibus peccatis immunem esse demonstret.

Porro aliquantum tribuunt loco Joh. VIII, 29.: οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε. Sed etiamsi Jesus ibi affirmavit, semper se ea facere, quae Deo placeant, minime tamen necesse est, ἀναμάρτητον eum fuisse statuamus. Satis est, Jesum summo voluntati divinae obtemperandi studio arsisse. Poscit autem contexta oratio, ut universae v. 29. sententiae angustiores fines constituantur. Etenim, quae patri coelesti probentur semper se facere, Jesus eo profitetur, quod doctrinam ab illo secum communicatam tradat, explicet, defendat (vid. v. 28.).

Addunt nobilissimum Jesu sermonem Joh. XVI, 8. 9.; cujus tamen loci vel propterea nullam rationem habendam esse, quod dubiae sit interpretationis, *Ullmannus* recte observavit. Equidem ita sentio. Verbum ἐλέγχειν h. l. sine dubio est: *argumentis persuadere, convincere, überführen.* Neque vero, quid sit ἁμαρτία, dubium esse potest ob ea verba, quae adduntur ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Quum igitur de peccato Judaeorum agatur, qui Jesu auctoritatem repudiarint, tota sententia huc redit: spiritus divinus Judaeos a fide alienos peccati convincet, h. e. manifestum faciet, quam graviter fide mihi non adjunctâ peccaverint. Quod quidem quam vere haberet, paullo post historia declaravit. Nam ex quo Apostoli spiritu sancto imbuti, Jesum fuisse Messiam, praedicarunt, innumeri Judaei erroris sui culpaeque convicti sunt eoque adducti, ut Jesum olim a se repudiatum sane Dei filium agnoscerent. Deinde non solum δικαιοσύνη propter vim oppositionis *virtutem integritatemque* necessario significare debet, verum etiam quae adjecta sunt ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω, ea clarissime docent, de *Jesu* innocentiâ nunc sermonem institui. Reditus meus, inquit, ad patrem integritatem meam summamque innocentiam testatam faciet. Verissime. Quum enim Jesus cruci affixus animam efflasset, causâ suâ cecidisse

et profecto talis fuisse videbatur, qualem eum Judaei esse clamitassent. Sed quum vitae restitutus sublimis ad coelum abisset, tum vero intellectum est, nihil eo sanctius fuisse, nihil innocentius. Ceterum jam *Chrysostomus*, *Theophylactus* et *Euthymius* h. l. ita exposuerunt*), quibus merito *Lückius* assentitur. Postremo et *ἡ κρίσις poenam* designat et *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου* diabolum. Nam quum Jesus vicisset, causâ diabolus cecidit, omni ratione is quidem regno divino infestus. Diaboli autem conatus certissime irritos fore, verbo *κέκριται* indicatur: nam Praeteritum, ut saepenumero in libris Prophetarum, de re haud dubie eventurâ dictum est. Quâ interpretatione probatâ Jesus de suâ ille quidem animi integritate divinâque auctoritate loquitur (quae ex illâ pendet: quando Jesus et Dei filium se professus erat, et messiana dignitas eximiâ ejus virtute magis illustrata facile patebat), minime vero de impeccantiâ disputat, quum se ab omni fraude procul abhorruisse, nec temere auctoritatem summi legati divini ementitum esse demonstret. Denique *ἀναμαρτησίας* nullum in toto loco exstat vestigium, quamcunque demum e tot explicationibus defenderis, nisi tamen fingere omnia placebit.

Agmen claudit locus Joh. XVII, 19. *Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ.* *Kuinoelii* interpretationem: „equidem me ipsum pro iis *consecravi tibi*, ut hi quoque *per veritatem (tuam doctrinam propagantes) tibi* consecrati essent“ ferri non posse, nuper bene intellectum est a *Lückio* et *Meyero*. Nam et Praesenti *ἁγιάζω* vim Praeteriti *Kuinoelius*, perversae *Glassii* (Philol. sacr. p. 307.) regulae obsequutus, male tribuit et temere *σοι* cogitando adjecit, quod Johannes scribere debuisset, et *ἐν ἀληθείᾳ* cum *ἐν τῇ ἀληθείᾳ* confudit. Quodsi, *Kuinoelii* enarratione emendatâ, convertas: „et pro iis ego meam vitam consecro, ut ipsi per veram Dei doctrinam consecrati sint“, bene quidem comparatum est Praesens *ἁγιάζω* (nondum enim e vitâ, quam Dei voluntati totam consecratam voluerat, Christus, quum haec diceret, abierat), sed tum verba *ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁ γ ι ά ζ ω ἐ μ α υ τ ό ν*, pro quibus haec vocabula jure aliquis requirat: *καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἁ γ ι ά ζ ω μ έ σ ο ι*, male contorseris, tum *ἐν ἀληθείᾳ* perperam pro

*) *Euthymii* verba sunt haec: *δικαίου γὰρ γνώρισμα, τὸ πορεύεσθαι πρὸς τὸν θεὸν καὶ συνεῖναι αὐτῷ. — — Εἰ μὴ ἤμην δίκαιος, οὐκ ἂν ἐπορευόμην πρὸς τὸν πατέρα. Πῶς γὰρ ἂν ἁμαρτωλὸς καὶ πλάνος καὶ παράνομος καὶ ἀντίθεος πορευθείην πρὸς τὸν δίκαιον καὶ ἀληθινὸν καὶ νομοθέτην καὶ θεόν;*

ἐν τῇ ἀληθείᾳ sumseris Imo recte *Chrysostomus, Euthymius,* nu per *Lückius, Meyerus* et multi alii vocabula καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν sic ceperunt: „et pro iis (in eorum emolumentum) ego memetipsum consecro, nempe me victimam praebendo, h. e. et pro eorum commodis vitam ipse meam profundo", cf. Joh. X, 11. Cap. XV, 13. Hanc explicationem tum notus verbi ἁγιάζω usus firmat (nam consecrat, ἁγιάζει, הִקְדִּישׁ Deo victimam, qui victimam Deo offert, cf. Deut. XV, 19 — 21.), tum formula ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν fulcit, cui alia sententia vix ac ne vix quidem subjecta esse potest.

Verbis sequentibus ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ vocabula praecedentia ὑπὲρ αὐτῶν explicari, in promtu est, neque illud obscurum, suae voci Jesum eo acumen adjecisse, quod verbum ἁγιάζειν retinuit, alio sensu de Apostolis intelligendum, quam quo de se paullo ante dixerat. Sed de horum verborum sententiâ valde dubitatur. Veterum explicatorum commenta de industriâ silentio transmitto, neque nisi nonnullas recentiorum interpretum opiniones, meâ sententiâ expositâ, examinabo. Jam de Apostolorum initiatione h. l. agi, patet. Nam versus 19. proxime excipit, quae v. 18. de legatione Apostolis demandatâ perscripta sunt. Lucem autem huic loco affundit alius locus, qui supra cap. X, 36. (— ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον) legitur, ubi initia, quae Christo, priusquam legatus ad homines profectus est, divinitus impertita sunt, a legatione ipsâ, quam obiit, clare distinguuntur. Deinde quod Jesus piis suis alumnis ornamentum a Deo expetit v. 20 sqq., ab eo diversum est, quod Apostolis moriendo paraturus est v. 19. Illos enim vult ἓν εἶναι, h. e. divinae veritatis perceptione, consiliis et studiis inter se concinere. Explica: Et pro iis memetipsum consecro (moriendo), ut et ipsi consecrati (h. e. inaugurati, cf. Exod. XXIX, 1.) sint vere, nempe spiritus divini ornamentis, quae in hos conferri non possint, nisi ego mortuus Patrem adiero eumque, ut illa Apostolis benigne concedat, exoravero cf. Joh. XV, 26. Cap. XVI, 7. Cap. XX, 21. 22, Verba ἐν ἀληθείᾳ (i. q. ἀληθῶς 1 Joh. III, 18. 2 Joh. 1. 3 Joh. 1. 2 Cor. VII, 14.) *Meyero* judice hanc emphasin habent: ut et ipsi (morte meâ) consecrati (inaugurati) sint *vere* (non ficte, quemadmodum judaici sacerdotes sacrificiis, Exod. cap. XXIX.). Haec expositio in Johannis verba non quadrat, quam verbis appositam judicarem, si Johannes δι' ἐμαυτοῦ pro ἐν ἀληθείᾳ exarasset. Quocirca sic interpretare: ut et ipsi

consecrati (inaugurati) sint vere, scilicet quum eos spiritus divinus inauguret, qui unus eos rite inaugurare possit.

Non recte *Lückius* collato versu 17. enarravit: ut et ipsi consecrati sint *in divinâ veritate*, scilicet a spiritu divino, veritatis magistro, Joh, XVI, 13. coll. v. 7. Nec debebat Vir Doctiss., ut ἐν ἀληθείᾳ pro ἐν τῇ ἀληθείᾳ recte sumi ostenderet, ad locum 3 Joh. 3. provocare, ubi ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖν idem declaret, quod versu proximo ἐν τῇ ἀληθείᾳ περιπατεῖν. Nimirum 3 Joh. 4. cupide cum *Lachmanno* articulum arripuit, non nisi ab A. B. oblatum. Enimvero ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖν *in Wahrheit leben* declarat, i. e. sic vivere, ut veritatem (*Wahrheit*) moribus exprimas, quod 3 Joh. 3. 4. dici satis est: ἐν τῇ ἀληθείᾳ περιπατεῖν notat *in der Wahrheit leben*, h. e. sic vivere, ut veritatem vel antea memoratam, vel, ut in Novo Testamento, *veritatem a Deo per Christum manifestatam* colas. Sic, ut hoc utar, ἐν ἀγάπῃ περιπατεῖν valet *in Liebe leben*, sic vivere, ut ames: ἐν τῇ ἀγάπῃ περιπατεῖν est *in der Liebe leben*, sic vivere, ut amor (*die Liebe*) vitam regat. Deinde, si ἐν ἀληθείᾳ h. l. *vere* designet, id emphasi destitutum esse, neque ullam oppositionem indicare, *Lückius* non recte perhibuit. Nam hoc pacto Johannes ἐν ἀληθείᾳ *omittere* debuerat. *Vitium* igitur *Lückii* opinatio in Johannem confert.

Fuerunt sane, qui Joh. XVII, 19. sic explicarent: et pro iis ego memetipsum consecro (mortem adeundo), ut ipsi quoque consecrati vere sint *(quippe a me expiati)*. Male. Nam de Apostolorum initiatione, quam adepti munus rite inirent exponi, v. 18. ostendit, si hunc locum cum Joh. X, 36. contuleris. Deinde, aliam rem alumnis suis, aliam solis Apostolis Jesum precibus a Deo efflagitare, perspicuum est. Nempe verba v. 20. οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον ad praecedentia vocc. v. 19. spectant, vocabula autem, quae sequuntur, sic capienda sunt: ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμὲ (scilicet ἐ ρ ω τ ῶ), ἵ ν α π ά ν τ ε ς ἓν ὦσι κ. τ. λ.

Multo minus opinio ab *Ullmanno* commemorata ferri potest, quâ ἁγιάζειν ad sanctimoniam moralem pertinere atque h. l. de sanctitate agi putatur, quam Vir Doctiss. his verbis descripsit: *eine solche Heiligkeit, die, wenn gleich in Christo ihre lebendige Quelle findend, doch auch bei den Aposteln erzeugt werden kann, also nicht bei dem Erlöser einziger Art wäre.*

Malui haec obscura et ambigua verba retinere, quam ea cum errandi periculo interpretari. Sed qualemcunque sanctitatem a Ser-

vatore nescio quo pacto in Apostolos derivatam dixeris, male hunc locum de *sanctitate* exponi, multa argumenta docent, quorum tria afferam. Nam primo quidem obstat *ἐμαυτόν*. *Vitam meam Deo consecro* est ἁγιάζω με τῷ θεῷ, non ἁγιάζω ἐμαυτὸν τῷ θεῷ, consecro *memetipsum* Deo. Deinde qui hanc interpretationem probat aut ἐν ἀληθείᾳ male explicat *in verâ Dei doctrinâ* (vide quae supra diximus), aut si verba ἐν ἀληθείᾳ *vere* verti vult, idoneâ sententiâ destituuntur. Denique hâc sententiâ probatâ, cur Servator in solemnibus precibus *paullo ante mortem* fusis, se suam Deo vitam consecrare, ut Apostoli quoque (Christi opinor exemplum imitati) vitam Deo dicent, tam gravibus verbis enuntiaverit, parum intelligas. Sententia enim ea est, quam nunquam non Jesus pronuntiare potuerit. Illud paullo ante mortem, quum solemnibus precibus e suâ provinciâ discederet, aptissime Servator dixerit: jam moriendo me in Apostolorum emolumentum consecro, ut ipsi quoque consecrati (inaugurati) sint divini spiritus dotibus ad muneris apostolici administrationem necessariis.

Hi igitur loci in nostrâ quidem causâ nihil valent, frustraque omnes allati sunt, id quod etiam *Ullmannus* meus (p. 59 seq.) de singulis concessit. At non debebat Vir Doctiss. addere, quae p. 60. leguntur:

„So kann allerdings gegen jede dieser Stellen etwas gesagt werden, und als selbstständige Beweise möchte ich sie darum nicht gebrauchen. Allein wenn wir das, was diese Stellen dessen ungeachtet in sich fassen, besonders die Johanneischen, in ein Ganzes zusammen fassen, so ergiebt sich eine Grösse der Sittlichkeit, die nicht wohl von Jesu auf einen Andern übergetragen werden kann, und es wird doch durch diese Aussprüche das Gewicht der Hauptstellen Joh. VIII, 46. X, 30. XIV, 9. bedeutend vermehrt.“

Minime vero! Quidquid enim plane abest a partibus singulis, idem a totâ re abhorreat necesse est. Quamvis mille argumenta omni vi destituta conjunxeris, non tamen cuncta simul eam habere virtutem poterunt, quâ unum quodque eorum omnino careat. Atqui in omnibus, qui supra tractati sunt, locis aut ne agitur quidem de virtute Servatoris nostri, aut, si de eâ agitur, Jesus tamen sic de semetipso dicit, non ut ἀναμαρτησία, sed tantummodo virtus ostendatur, singularis illa quidem atque eximia, attamen talis, quae ab hominibus optimis non aliena sit.

Sed video, nostram disputationem nunc non posse absolvi: restant enim loci, qui in hoc genere classici existimantur, et quibus

etiam Ven. *Ullmannus* vim inexpugnabilem tribuit. De his alio tempore.

Quamquam vero virtutis Jesu integritas ex ipsius professionibus doceri neutiquam potest, ea tamen, quum Apostolorum disertis testimoniis nitatur, nobis est certissima, cf. Comment. nostr. hâc de re prima. Cujus rei nos his verecunde diebus meminisse decet, quum proxime instent sacra paschalia, quibus Jesum e morte in vitam restitutum celebramus. Scitis omnes, Carissimi Cives, quantum huic evento in libris sacris tribuatur, nec profecto ulla res fidem nostram, quam Christo Dei filio debemus, magis confirmare potest, quám quod eum a Deo O. M. in vitam revocatum esse constat. Ita enim Deus ipse novo testimonio illud declaravit:

„*Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.*"

Et quum illud certum sit, Jesum Christum in vitam rediisse, tum ne hoc quidem dubium esse potest, quin idem omni peccato culpâque vacarit. Etenim sicut mortuus est, ut peccata nostra expiaret, ita in vitam paullo post revertit, ut hâc de re certiores rederemur (Rom. IV, 25.), neque tamen omnino, nisi liber a peccatis (*ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος*) expiare nos potuit. Quum igitur summa Jesu innocentia perfectaque virtus ex ejus resurrectione certissime appareat, agite, Dilectissimi Cives, *μνημονεύετε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν*, atque etiam illud considerate, nos omnes hâc lege ad sacra christiana baptismate initiatos esse, *ἵνα ὥςπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν.* Valete.

P. P. Dom. Palmarum a. MDCCCXXXVI.

Christiani Friderici Fritzsche

Theologi Halensis

DE

'ΑΝΑΜΑΡΤΗΣΙΑ JESU CHRISTI

COMMENTATIO III.

In quaestione de ἀναμαρτησίᾳ Servatoris prae ceteris loco Joh. VIII, 46: τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; theologi summam vim tribuerunt. Ac sane ἁμαρτίας potestate hîc constitutâ, constituta sunt omnia. Hoc vero vocabulum, *aberrationem a scopo* proprie declarans, Graecis duo notare nemo nescit, primo aberrationem *mentis* a veri regulâ (i. e. *errorem*), deinde *animi voluntatisque aberrationem* ab *honesti* normâ, sive extrinsecus tibi a quocunque legislatore propositâ, sive quam tibi ipse, rationem sequutus, scripseris, h. e. *peccatum* in genere, cf. *Raphelii* Annotatt. in sacr. scriptur. ex Herodoto p. 303 seqq. *Kypkii* Observatt. I. p. 384 sqq., *Fritzschii* Commentar. in epist. ad Romanos I. p. 289 sqq.

Multos *Schleusnerus* in Lexico huic voci significatus temere affinxit. Nam *injuriam, impudicitiam, adulterium, scortationem, pervicaciam, defectionem a religione divinâ* aliaque τὴν ἁμαρτίαν denotare perhibuit. Neque enim Vir doctus reputavit, haec omnia, *quia peccata sint*, recte etiam ἁμαρτίας vocata esse, ubicunque autem, ut hoc utar, injuria ἁμαρτία dicta sit, scriptorem eo contentum fuisse, ut *peccati* cogitationem enuntiaret; *cujusmodi* peccatum commissum esset, verbo ἁμαρτίας minime constituisse, sed,

quale ab se dictum esset, e contextâ oratione lectores intelligere voluisse.

Jam, qui hoc loco disertam, quâ impeccantiam sibi Jesus tribuerit, vocem legi arbitrantur theologi, ἁμαρτίας vocabulum *de peccato in genere* enarrare solent hoc modo:

> *Ego autem quia divinam veritatem promo, fidem mihi non habetis. Quis vestrûm ullius me peccati convincit (scilicet ut efficiat, repudiari a vobis meam doctrinam, quia ego improbus sim, non quod vos veritatis inimici sitis, aut ut me perperam [ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι] dixisse ostendat)? si autem verum loquor, cur mihi fidem denegatis?*

Sic post *Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium Zigabenum* hunc locum nuper *Lückius* (*Commentar über das Evangel. Johannis* edit. 2.) et *Meyerus* (*kritisch exeget. Commentar über das N. Test. zweite Abtheil. das Evangel. des Johann. umfassend*) interpretati sunt. Non placet. Nam primum quidem, ut sententias recte vinctas haberent, precario haec a scriptore ne apice quidem indicata inculcarunt:

> quis vestrûm admissi me peccati convincit, *ut quod modo dicebam refutet, meamque potius quam vestram improbitatem, cur meam doctrinam spernatis, in causâ esse demonstret?*

Deinde membrum posterius εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι; sententiam efferre prioris membri τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; sententiae prorsus oppositam, tam est perspicuum, quam quod maxime. Atqui haec nulla est oppositio:

> Nemo vestrûm potest me ullius *peccati commissi* convincere (haec enim est percontationis sententia); quum *autem verum loquor*, cur vos mihi non creditis?

Quas sententias non cohaerere, ipse sensit *Meyerus*. Nam ut membrum posterius cum priori quodammodo coiret, pro arbitrio haec de suo inseruit:

> Si autem — *quod in dubitationem vocare aliquo mihi objecto probro vobis non licet* — verum loquor, cur rel.

Brevi praecidam. Ut utrumque membrum bene copulatum esset, εἰ δὲ ἀγαθός (ὅσιός) εἰμι pro εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω dicendum fuisset.

Sed fac, veram esse interpretationem, quae haud dubie falsa est, ne sic quidem, se nunquam peccasse, Servator hoc loco

testificatur. Non enim nisi hoc affirmat: quis vestrûm admissi peccati me *convincit*? Verissime *Weberus* in opuscc. academm. p. 184 sqq. „aliud est, inquit, nunquam peccasse, nullo peccato laborare, nullam culpam habere; aliud est: nullius peccati, nullius culpae sibi conscium esse; aliud etiam est: nullius peccati, nullius culpae convinci posse."

Ac facile religiosus interpres, sua veteri scriptori cogitata temere obtrudere non suetus, hoc unum Jesum hîc dicere: *nemo vestrûm patrati peccati me convincere potest* fatebitur, idemque, quum, Servatorem ab omni peccato immunem fuisse, aliunde constare concesserit, hunc tamen locum classicum esse posse, aut qui Jesu ἀναμαρτησίαν maxime communiat, constantissime negabit.

At contra exoritur Ven. *Ullmannus*, qui b. *Weberum*, qui hîc quoque, quod bene distinxisset, bene docuisse mihi videtur, haec tria: *nunquam peccasse, nullius peccati sibi conscium esse* et *nullius peccati convinci posse*, in hâc disquisitione jure discernenda putasse his verbis inficiatur*):

> *„Diese drei Dinge hängen in unserm Falle auf's Genauste zusammen. Oder ist es glaublich, Jesus werde seine Umgebungen aufgefordert haben, ihn einer Sünde zu zeihen, wenn er sich nicht auch einer vollkommenen innern Reinheit bewusst gewesen wäre? Sollte er sich hinter die Legalität seiner Handlungen versteckt und mit einer gewissen weltklugen Sicherheit gesagt haben: Ihr könnt mir wenigstens nichts nachweisen? Das wäre seiner unwürdig. Er musste also durchaus auch das Bewusstsein vollkommener Reinheit haben; diess setzt aber auch das Dritte, das wirkliche Reinsein, voraus. Denn um sich seiner menschlichen Fehlerhaftigkeit bewusst zu werden, dazu bedarf es gar keiner besonders starken sittlichen Urtheilskraft und Selbstkenntniss; diese müssten wir aber Jesu absprechen, wenn wir annehmen wollten, er sei unrein gewesen, und habe sich doch für rein gehalten."*

Vir Doctiss. plura se effecisse autumat, quam effecit. Illud sane largior, si verba τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; recte sic sumerentur: *ecquis vestrûm ullius me peccati, quod commiserim, convincit?* nullius sibi peccati *conscium* Jesum fuisse, jure ex hoc loco colligi. Tantâ enim innocentiâ Servator aetatem

*) In libro: *über die Sündlosigkeit Jesu* p. 58 edit. 3.

suam, auctoribus quatuor Evangelistis, transegit, ut Judaeos, ne se peccati convincere detrectarent, minime provocaturus fuisset, si probrorum conscientia eum stimulasset. Sed hâc ratione divini magistri *ἀναμαρτησία* minime effecta est. Quamvis enim in virtute interdum claudicasset pravaque consilia, quae ejus animum occupassent, non sine labore ejecisset, tamen, quum victor e certamine discessisset, rectissime: *ecquis vestrûm ullius me peccati convincit?* dixisset. Nihil fictum aut simulatum in hâc voce deprehendas. Nam qui fractis voluptatum illecebris, blandissimis dominis, cogitationes et mores ad divina praecepta conformavit, ei

nullâ pallesco culpâ

dicere profecto licet. Neque, ut de virtute, quam hominum vita et consuetudo novit, loquar, quisquam sanâ mente praeditus virum bonum reprehendet, qui cum malevolentissimis hominibus disputans: *ecquis vestrûm me nefas fecisse arguit?* pronuntiet. Quocirca insignem Jesu virtutem optimamque ejus conscientiam, non Servatoris *ἀναμαρτησίαν* hic locus probaret, si illo modo explicari posset. Quod autem *Weberus* et *Ullmannus* vocem *ἁμαρτίας* h. l. significatu latiori tum theoreticam mentis a vero, tum practicam voluntatis ab honesto aberrationem simul complecti observarunt*), valde errarunt. Ubicunque enim ἡ ἁμαρτία legitur, aut aberrationem *a vero*, aut derelictionem *honesti* declarat: frustra autem, utrumque scriptorem

---

*) Ven. *Ullmannus* l. c. p. 57. haec: „*Wahrscheinlich ist dem Zusammenhange gemäss (?) der zweifelhafte Ausdruck in der umfassendern Bedeutung des Abirrens von der Wahrheit überhaupt zu nehmen, d. h. von derjenigen, welche, wie alle ächte religiöse Wahrheit, eine Lebenswahrheit, eine Gesammtwahrheit, und immer zugleich Theoretisches und Praktisches in sich schliesst* (at hic latius patens vocis significatus a loquendi usu prorsus abhorret). *Es ist ein allgemeinerer Begriff, der Irrthum und Sünde als seine beiden nothwendigen Glieder unter sich begreift; und wenn Jesus hier jede Verfehlung von sich weist, so ist es nur die verneinende Bezeichnung derselben Beschaffenheit seines Wesens, die er sich positiv beilegt, wenn er sich die Wahrheit nennt, denn damit will er auch nicht bloss die Richtigkeit seiner Lehre, sondern er will das bezeugen, dass in ihm die höchste religiöse Wahrheit Leben geworden sei.*“ Add. *Weberi* Opuscc. p. 185. Ne superius dicta repetam, hoc unum adjungo, verbis Joh. XIV, 6. ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή hoc dici: ego via sum (ad deum ducens) *et veritas et vita*, h. e. *et divinae veritatis vitaeque sempiternae praebitor*, nihil aliud, minime autem, quod Viro Doctiss. placuit, vide infra.

miscuisse, *philosophando* ostendere coneris; quod tantum accurate interpretando demonstrari potest, quum, duas diversas notiones scriptorem uni generali voci contra vulgarem loquendi usum subjecisse, *e sententiarum nexu* doceas.

Rectius alii, ut *Kypkius* l. l., ἁμαρτίαν h. l. *errorem* exponunt hâc ratione: ego autem quia *veritatem* profero, non mihi fidem adjungitis. Ecquis vestrûm convincit me *erroris?* Quodsi *verum* loquor, cur mihi fidem non habetis?

Leve est, quod Ven. *Ullmannus* (p. 56.) objicit: „*es möchte schwer sein, diesen Sprachgebrauch, der sich nur bei Classikern findet, auch in der hebräisch-griechischen aufzuzeigen.*" Nam si *Kypkii* explicationem contexta oratio flagitaret, sine ullâ dubitatione vocabulo ἁμαρτίας *erroris* significatus competeret, quo *ab omnis generis scriptoribus graecis* frequentatur. Quippe sunt nonnulla N. T. loca (1 Cor. XV, 34.*) Tit. III, 11), ubi boni interpretes verbum ἁμαρτάνω ad mentis errorem retulerunt, et sic ἁμαρτάνω ab Josepho haud raro usurpari constat, cfr. *Bretschneideri* Lexic. in libros N. T. sub ἁμαρτάνω. Quidni igitur etiam substantivum *semel* in N. Testam., ubi multa vocabula a quovis graeco scriptore multum frequentata non nisi semel aut bis compareant, *errorem* notet?

Pergit *Ullmannus* l. c.: „*Sodann hat es auch im Zusammenhange etwas Natürliches und Sinnvolles, wenn sich Christus, um den Glauben an seine Person zu begründen, auf seine sittliche Reinheit, als die Grundbedingung des Vertrauens, beruft, und nicht unmittelbar an seine Irrthumslosigkeit appellirt, die ja eben das war, was erst dargethan werden sollte; und endlich wird in der ganzen Stelle, wie im N. Testam. überhaupt, das Erkennen und Aufnehmen der Wahrheit, so wie das Verwerfen derselben* (V. 44. *u.* 47.) *mit dem moralischen Gemüthszustande* (nimirum Judaeorum, non Jesu) *in die innigste Verbindung gesetzt, so dass die Berufung Jesu auf die vollkommene Reinheit und Tadellosigkeit seines sittlichen Charakters zur Begründung der Wahrheit seiner Lehre keinesweges als etwas Abgerissenes und Isolirtes erscheint. Es liegt vielmehr der ganzen Stelle der wahre und tiefe Gedanke zum Grunde, dass, wie die Unwahrheit und*

---

*) ἐκνήψατε δικαίως, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, cavete, *ne in errorem reducamini.* Sermo est de fidei *erroribus.*

der Irrthum mit einer sündhaften Neigung des Willens zusammenhängen, so die reine Wahrheitserkenntniss durch die Freiheit des Gemüths von der Sünde bedingt und mit dieser auf's innigste verbunden ist.“

Audio expressitque hanc profundiorem rationem, nisi fallor, Ven. *Hasius* in libro de vitâ Jesu p. 68. (ed. 2.) his verbis: „*tiefer betrachtet und nach hellenistischem Sprachgebrauche hängt* (*diese Aufforderung Jesu*) *mit der Reinheit des Herzens zusammen.*“

Verum enim vero *profundi* interpretes, quibus pro mirâ temporum nostrorum felicitate minime caremus*), saepe confundunt, quae probe discernenda sunt et ingeniose potius philosophantur, quam interpretantur. Sane de diabolo, qui, ex quo fuerit, hominum interfector fuerit mendaciique auctor atque repertor, v. 44. sermo instituitur, versu autem 47. haec leguntur: *a Deo prognatus doctrinam divinam admittit, hinc vos eam non admittitis, quia non estis Dei filii* (cfr. v. 42. 43.). Quare nexum inter fidem, quae in Christo collocetur, et inter ingenii probitatem veramque virtutem intercedere, Servator contendit. Nam ut quisque mente animoque Deo proxime cognatus, aut virtutis studio maxime inflammatus est, ita Christi doctrinam divinae originis esse, optime intelligit eique fidem

*) Jam olim viros doctos in hoc argumento occupatos, quum libros sacros explicarent, neutiquam a philosophandi temeritate sese abstinuisse adeoque explicationes procudisse profundissimo quovis interprete satis dignas, quum alii testimonio sunt, tum *Hoevelius* (domestica enim me profundorum hominum exempla magis delectant, quam externa), qui in Commentatione *de ἀναμαρτησίᾳ Christi ejusque necessitate* p. 19. interroganti, cur Deus in Vet. Testam. victimas vicarias easque typicas ex brutorum animalium quam hominum numero desumtas mactari maluerit, sine ullâ haesitatione sic respondet: „Non hoc eam ob causam factum videtur, quasi species crudelitatis fuisset, homines interficere et in odorem bonae fragrantiae accendere. Auctoritate divinâ fieri hoc omnino potuisset, quum Deus sit Dominus omnium rerum creatarum, proinde et hominum, qualem se etiam in Isaaci mandatâ, licet impeditâ deinceps immolatione gessit Gen. XXII. Haec potius subest ratio: meritum Christi etiam V. T. homines fide amplecti debebant, Act. IV, 12. Rom. IV, 3. 6. De hujus meriti verâ indole mediatorisqne personâ, ut recte homines edocerentur, typis utramque, quoad fieri potuit, adaequatis repraesentare sapientiae divinae placuit. Quoniam igitur Messias futurus ἀναμάρτητος esse debebat, bruta vero ἀναμαρτησίᾳ gaudent (?) absolute necessariâ, haec omnium optime ad Christi impeccabilitatem necessariam repraesentandam accommodata jure visa sunt, hinc prae ceteris a Deo eum in finem electa.“ Dic, cordate lector, quid fieri possit *profundius?*

adjungendam esse videt. Sed quae Jesus de vinculo, quo divina mentis animique indoles jungeretur, disputavit, ad *auditores* referri voluit, quos Dei ingenium gerere negavit (v. 42. 47.), diaboli affirmavit (v. 44.). *De se* Servator non loquutus est, neque se idcirco veritatem expromere censendum esse, quod *honestissime vivere* consuevisset, vel unâ voce indicavit. Imo quoniam *Dei legatus* ad homines venisset, ut homines sibi fidem haberent, postulavit, cfr. v. 42. — *ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε.* Nempe, legatum nihil nisi mandata ejus exponere, recte sumsit, qui eum legavisset, vid. v. 38. *ἐγὼ ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρὶ μου, λαλῶ* coll. v. 47. Quae quum ita sint, *Judaeos* peccare, qui suam divini legati doctrinam respuerint, Jesus h. l. ostendit, non, suam vitam ne minimâ quidem peccati labe inquinatam esse, docet.

Quin propterea *Kypkii* interpretatio repudianda est, quod hujus loci sententiam non explet. Satanas enim, mendacii fraudisque amicus, cum quo Judaei studiis congruant, opponitur Deo ejusque legato, quorum disciplinam eum amplecti oporteat, cujus cum Deo sit ob veritatis studium cognatio (v. 42 — 55.). Quocirca *fraudis* notione v. 46. opus est, *erroris* cogitatio non satisfacit. Nempe vocabulum *generis* Jesus posuit, quum *formae* vocem (*περὶ ψεύδους* cfr. v. 44. et 55.) collocare potuisset, quoniam, se de peccato, *quo mendacium pro vero venditaretur,* dicere, et praecedentia (*ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι*) et sequentia (*εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι*), liquido docere, recte judicavit. Ergo locus sic explicandus est: „Ego autem quia *veritatem* in lucem profero, non mihi fidem habetis. Quis vestrûm convincit me peccati, nempe quo nugas et mendacium pro divinâ veritate venditaverim (ergo *fraudis, quâ divinam veritatem in mendacium converterim)?* Si autem (amotâ fraude) verum loquor, cur mihi fidem denegatis? v. 46. Videlicet hoc ideo fit, quod vos Satanae potius (v. 44.), quam Dei (v. 42. 47.) ingenium refertis, cujus praecepta vobis expromo legatus."

Hâc interpretatione, quâ mihi nihil verius videtur, probatâ, hunc locum idoneum esse, ex quo divinam, quam Jesus susceperit, legationem efficias, prorsus ἀπροςδιόνυσον esse, quo, Jesum sibi impeccantiam tribuisse, probare coneris, in promptu est.

Alius locus, cui in hâc disputatione a Ven. *Ullmanno* plurimum tribuitur, exstat Joh. X, 30., ubi Jesus ita loquitur: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. In quo quidem explicando si *Schleiermacherum* audiemus, qui in libro *Festpredigten* T. I. p. 97. ita disseruit: „*wie könnte der, in welchem auch nur die leiseste Spur von Sünde übrig ist, sagen, dass er Eins ist mit Gott, dem Vater des Lichts, dem, der allein gut und rein ist, und dem alles auch nur nahet in dem Maasse, als jeder am Guten und Reinen Theil nimmt?*“ profecto habebimus clarissimum Jesu ipsius de mente suâ ab omnibus peccatis liberâ testimonium. At vero *Schleiermacherus*, qui caeteroquin in rebus et confirmandis et negandis saepe modum excessit, orator in concione ad vulgus habitâ sic argumentatus est, neque vera docte exploravit, sed dixit ad popularem captum accommodate. Longe aliter vero rem habere videbimus, si hic locus paullo accuratius enarretur, quemadmodum justae interpretationis lex postulat.

Satis constat, interpretes vehementer inter se de hoc loco dissentire. Alii enim formulam ἓν εἶναι ad consensum voluntatis et consiliorum trahunt, alii ad unitatem sive potentiae, sive etiam naturae divinae. Sunt igitur, qui sententiam ita exponant: *ego eandem, quam pater, habeo voluntatem, unum idemque consilium*, sunt, qui ita potius: *eadem est mea, quae patris, potestas*, sunt denique, qui hoc modo: *eadem, quae Deum, me ornat natura divina*. Et illud quidem unusquisque videt, formulam ipsam per se spectatam omnes has explicationes ferre, quippe quum arctam cum Deo conjunctionem exprimat, quae qualis fuerit, e singulorum locorum ratione discendum est. Hoc autem loco facile intelligitur, de communione *operis* ac *potestatis* exponi. Scilicet hoc docet Magister, suis se vitam aeternam daturum esse, ut nemo quisquam illos e manibus suis divellat. Ergo quum manifestum sit, vitam aeternam alium, nisi Deum, largiri posse neminem, Servator opus divinum potestatemque divinam sibi attribuere censendus est. Nunc Christus in disputatione pergens causam, quare e manibus Dei nihil eripi possit, hanc subiungit, quia summa sit Dei potentia, neque ulla vis adversus eum nitendo quidquam efficere possit. Itaque de summâ potentiâ eâque paene inexpugnabili sermo habetur. Postremo non magis sibi quidquam extorqueri posse, quam patri coelesti, his verbis demonstratum est: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Quae verba eo consilio Christus adjecit, ut loquutiones *oves meae potestati eripere* v. 28. et *oves patris potestati eripere* v. 29. *idem* valere

ostenderet. Hujus rei ratio haec est, se et patrem *pro uno* esse habendos (ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν), quatenus, quum legato ejus causa, qui eum legaverit, administranda sit, et sua causa Dei causa sit, et sui alumni Dei alumni sint, ut qui Christi discipulos ad aliam disciplinam traducere voluerit, et Christo et ipsi Deo alumnos eripere velle recte dicatur, cf. cap. XII, 44. 45. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με· καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με! Cap. XIV, 9.

Judaei valde obtusi Jesu vocem v. 30. *male intellectam* de ὁμοουσίᾳ capiunt, quam Jesus sibi temere arrogaverit v. 31 — 33. Itaque Magister suam vocem ipse explicans verba ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν nihil praeterquam hoc valere monet v. 36.: *sum Messias,* ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, et proinde causa mea Dei causa est et vicissim. Quae quum ita sint, et ii Jesu mentem non magis, quam stupidi Judaei, perceperunt, qui v. 30. Christum sibi τὴν ὁμοουσίαν vindicare putarunt, et a Christi sententiâ ii aberrarunt, qui hanc vocem de voluntatis cum Dei voluntate consensione interpretati sunt.

Aliter visum est Ven. *Ullmanno.* Is enim non ille quidem negat, de unitate *potentiae* nostro in loco agi, minime vero de ὁμοουσίᾳ, quam theologi fingunt, neque ideo tamen *voluntatis* unitatem exclusam vult, sed utramque conjungendam esse arbitratur *). Verum

*) P. 60. *Ullmannus* haec scripsit: „*Wir sind nicht der Meinung, dass aus dem Einssein mit dem Vater der metaphysische Begriff der Wesenseinheit und die ganze kirchliche Lehre von der Homousie des Sohnes mit dem Vater abgeleitet werden sollte, möchten aber den Ausdruck eben so wenig bloss auf moralische Uebereinstimmung beschränken, sondern beziehen ihn, da Christus unmittelbar vorher sagt, Niemand solle die Seinen aus seiner Hand reissen, so wenig als aus der Hand des Vaters, dem Zusammenhange gemäss mit den vorzüglichsten Exegeten älterer und neuerer Zeit zunächst auf die Machteinheit des Sohnes mit dem Vater. Indess ist die Willenseinheit hierbei nothwendig mit eingeschlossen; denn es kann überhaupt in gar keiner Beziehung Einheit eines vernünftigen Wesens mit Gott Statt finden, ausser insofern sie durch die Willenseinheit vermittelt ist. Wo aber Einheit mit dem göttlichen Willen ist, da muss ja nothwendig auch vollkommene Freiheit von der Sünde sein.*“ At vero unitatis nomen in hâc disputatione non nisi *similitudinem* indicare potest; nemini enim mortalium ad perfectionem omnibus numeris absolutam, soli Deo unice propriam, assurgere licet. Jam qui in magistratu sunt summamque imperii tenent et ipsi *filii summi numinis*

enim vero hoc per interpretandi leges defendere non licet. Nam quum plus uno verum esse nequeat, varias ac diversas res loco cuipiam assignare easque paene dixerim in unam conflare, rectissime vetant hermeneutices praecepta. Etenim ne literâ quidem indicatum est, de morali cum Deo conjunctione nunc exponi. Hoc igitur invitis verbis sumtum est contextaeque orationi temere illatum. Quodsi quis forte dixerit, Dei filium necessario ab omnibus peccatis remotum fuisse, quandoquidem qui *sanctitate* divinâ careat, dignitate divinâ florere haud sane possit: hoc unum respondebo, ita totam disputationem in dogmaticae campos transferri, ab *Ullmanni* nostri proposito alienae. Contra qui nihil immiscuerit, quod e dogmatico genere petitum est, nihil h. l. de *ἀναμαρτησίᾳ* Servatoris inveniet. Quin ut quis maxime personam historici subtilis et ingeniosi tuebitur, ita lubentissime concedet, hîc formulas legi, minime ad vivum, ut sic dixerim, resecandas, omnino divinam dignitatem Servatorem sibi adsumere, eundem vero alibi dicere *patrem semet ipso majorem* (Joh. XIV, 28. *ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί*), sibique summa omnia atque divina *a patre suo* tradita esse (*ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς* Matth. XXVIII, 18.). Porro quemadmodum filius ipse a patre se potentiâ vinci fatetur, ita ne sanctitatem quidem divinam sibi vindicat (quippe qui solum Deum appellaverit *bonum* Luc. XVIII, 19. *)), sed humanam tantummodo, neque usquam Servator illam vim commemorat, quam in animo suo voluntateque natura divina habuerit**). Quae quum ita sint, virtu-

---

(בְּנֵי־אֶלְיוֹן) appellantur Ps. LXXXII, 6., ergo hi Dei quasi vicarii neutiquam illâ cum Deo unitate carent, quae in potestate ipsis concessâ cernitur. Ab iis autem unitatem cum Deo *moralem*, h. e. animi voluntatisque consensum abesse posse longissime, testis est Psalmus, quem commemoravimus. Quare veremur, ut *Ullmanni* nostri, quam dedimus, argumentatio satis bene processerit. Ubicunque aliqua cum Deo similitudo locum habet, ibi neutiquam semper est moralis cum Deo consensus.

*) Cfr. quae in Commentatione II. de *ἀναμαρτησίᾳ* p. 77 seq. ad h. l. disputavimus.

**) De sanctitate Servatoris a sanctitate Dei probe discernendâ summus *Reinhardus* (*Rede bei der Confirmation des Prinzen Bernhard von Sachsen Weimar* inserta libro: *Formulare und Materialien zu kleinen Amtsreden an Personen aus gebildeten Ständen, herausgegeben von D. Joh. Georg August Hacker*, Vol. I. (Lips. 1806.) p. 61 seqq.) ita disseruit: „*Welche Vorstellungen müssen sich in uns drängen, welche Empfindungen in uns erwachen, welche Schauer der*

tem Jesu hominis, quamvis eximiam laudeque summâ cumulatam, ab omni tamen peccato, ut placet Dogmaticis, sejunctam fuisse, ex hoc certe loco haudquaquam consequitur.

Postremo Ven. *Ullmannus* Servatoris verba Joh. XIV, 9. ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα hûc refert, quippe quae doceant, non quomodo homines a peccatorum labe minime immunes Dei similitudinem referant, sed ita Christum Dei effigiem expressisse, ut

---

Ehrfurcht und Bewunderung unsere Herzen ergreifen, wenn wir uns an dem Altare des Herrn in der Nähe dessen erblicken, der im weiten Raume der Zeiten der Ausserordentlichste und Göttlichste war, in welchem die menschliche Natur in ihrer ganzen Würde und in ihrer höchsten Vollendung erschien! Denn es verdient besondere Bemerkung, dass das Abendmahl des Herrn an das einzige untadelhafte Muster der erhabensten Tugend erinnert. Vergebens suchen Sie einen Reinen bei denen, da keiner rein ist. Auch die ehrwürdigsten Beispiele menschlicher Tugend sind nicht ohne Flecken; es ist nun einmal das Loos unserer Natur, einer Menge von Schwachheiten ausgesetzt zu sein, — und vor Gott ist vollends kein Fleisch gerecht, da mangeln selbst die besten des Ruhms, den sie haben sollen. Hier, hier allein kommen Sie mit einem Einzigen in Gemeinschaft, der heilig, unschuldig, unbefleckt und von Sündern abgesondert war — der getrost zwischen Gott und unser Geschlecht treten und der Mittler eines neuen Bundes werden konnte. An ihm wird alles sichtbar, was zu einer vollendeten Tugend erforderlich ist, eine Reinheit der Absichten, die keinen Eigennutz kannte, eine Willigkeit im Gehorchen, der es Speise, Erquickung und Freude war, den Willen des Vaters zu thun, eine Entschlossenheit im Handeln, die keine Schwierigkeiten und Hindernisse scheute, eine Liebe gegen Gott und Menschen, die sich selbst zum Opfer brachte und das Leben für uns liess; und bei allem Ernste eine Freundlichkeit, bei aller Strenge eine Nachsicht, bei aller Hoheit und Würde eine Herablassung und Güte, die Mitleiden hat mit unserer Schwachheit, die uns eben daher an einem gemeinschaftlichen Tische versammelt, weil sie unsere Herzen gewinnen und in einer vertraulichen, ermunternden, unaussprechlich wohlthuenden Verbindung mit uns bleiben will. Dem huldigen Sie hier, der vor dem Richterstuhle Gottes allein gerecht erfunden wurde, und der Ihnen ein Beispiel gelassen hat, dass Sie sollen nachfolgen seinen Fusstapfen." Transscripsimus hunc locum elegantissimum, quia de naturâ et indole sanctitatis Jesu Christi nihil dici potest verius, nihil libris sacris convenientius.

propter *virtutem suam omnibus numeris absolutam* esset ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ θεοῦ. Hanc rationem non nisi viro ἀναμαρτήτῳ cum Deo intercedere posse, quique virum hoc vinculo cum Deo copulatum viderit, recte eum sanctissimum Dei numen ipsum oculis usurpasse, affirmari *Ullmannus* observat, quo arbitro Christus v. 10. non aliâ de causâ, *se in patre, patrem in se esse*, professus est, nisi ut divinae se sanctitatis participem esse declararet *).

Non nego equidem, hanc sententiam illis verbis recte comprehendi. Nam jure suo sanctitatis divinae compos factus, *in sanctitatem, quae sibi cum Deo communis sit*, intuitus, se Deum (h. e. sanctitatem divinam) repraesentare seque in Deo, Deum in se (nempe per expletae virtutis communionem) habitare, contendat. Verum enim vero hujusmodi formulae latissime patent, et quemadmodum in libris sacris homines diverso sensu, qui e cujusque loci cohaerentiâ tibi eruendus sit, ad divinam imaginem ficti et creati esse dicuntur, ita etiam Dei filius non unâ de causâ Dei similitudinem ferre Deique loco esse dici poterat. Idem valet de formulâ εἶναι ἐν τῷ πατρί, quae, quum nihil, nisi *intimam cum patre conjunctionem* indicet, *cujusmodi* quovis loco conjunctio cogitanda sit, e disputationis consilio, ratione et ordine discendum est. Consulamus igitur orationis Johanneae seriem, quâ cognitâ, Servatorem hoc loco de summâ suâ innocentiâ aut sanctitate plane non loquutum esse, facile intelligas.

Christus, ad Deum se abiturum esse, professus cap. XIV, 2. 3., versu quarto, quo abiturus sim, inquit, scitis, neque viam mihi ineundam ignoratis. Neutrum Apostolos scire, Thomas dicit v. 5.:

---

*) *Ullmannus* l. c. p. 61. haec scripsit: „*Eben so* (scilicet ut cum formulâ ἐγὼ καὶ πατὴρ ἕν ἐσμεν) *verhält es sich mit den Worten: Wer mich siehet, der siehet den Vater, die ja gewiss nicht darauf zu beschränken sind, dass man in Jesu etwas Göttliches zu denken habe, wie man es auch sonst in jedem Menschen neben dem Unvollkommenen und Sündhaften entdecken kann, sondern in einem weit höhern, vollern Sinne genommen werden müssen, dass Jesus geistig und sittlich ein Ebenbild Gottes, ein Abglanz der göttlichen Majestät, ein Inbegriff und Ausdruck des göttlichen Wesens in der Beschränkung des menschlichen Lebens sei. Geistiges Abbild Gottes ist aber nur der durchaus reine Mensch; wo Sünde ist, da wird eben der Heilige nicht gesehen, wo er aber gesehen wird, da kann die Sünde nicht sein.*"

quum locum, quo contendas, ignoremus, qui tandem via nobis explorata sit, quam ingredi cogites? *). Succurrit Servator Thomae tarditati v. 6. 7., quomodo in Johannis Evangelio stultis hominibus, ut divinae sapientiae dogmata denique intelligant, opitulari solet. Ut tum, quo abiturus sim, inquit, tum, quâ viâ eo mihi perveniendum sit, scias, hoc tibi tenendum est: *m e* esse viam ad Deum ferentem et divinam veritatem (h. e. divinae veritatis *fontem* et datorem) et vitam sempiternam (i. e. aeternae vitae praebitorem): nemini, nisi meâ ope, patrem adire licere. (Scilicet cui exploratum sit, Christum eum esse, qui homines *ad Deum* perducat, *divinam* veritatem dispenset et sempiternam vitam, quam *praeter Deum* nemo in quemquam conferre possit, (Dei mandatu) praebeat, eum dubitare non posse, quin ille ab hominum coetu discedens *ad Deum in coelum* sese conferat, idque faciat *mortalitatem deponendo* h. e. moriendo). Pergit Jesus v. 7. *εἰ ἐγνώκειτε ἐ μ έ* (ita enim ex D. aliisque cum Ven. *Dav. Schulzio* scribendum esse, docet oppositio), *καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν.* Quod rem a me indicatam mente non estis complexi (placet enim erroris vestri *fontem* aperire) hinc, quo sim et quâ viâ abiturus, vos fugit. Si *me*, qui homines ad Deum perducerem, *divinae* veritatis thesauros recluderem et sempiternam vitam *Dei loco* praeberem, cognitum habuissetis, ne *pater* quidem meus vobis incognitus fuisset, sed *Deum* eum esse, moriendo mihi adeundum, perspexissetis **).

---

*) Verba *κύριε, οὐκ οἴδαμεν, ποῦ ὑπάγεις, καὶ πῶς δυνάμεθα τὴν ὁδὸν εἰδέναι;* sententiam continent supra significatam, eum, qui, quo aliquis abiturus sit, sciat, viam, quam initurus sit, *scire posse* (quandoquidem recte *conjicias*, illum viam bene munitam salebrosae semitae praelaturum esse), contra qui locum, quem quis peregre abiturus petat, ignoret, viam, cui se commissurus sit, scire *non posse.* Nam pro locorum, quae itinere petuntur, diversitate diversae viae ineundae sunt. Minime verbis inest, quod Ven. *Lückius* (in Commentar. II. p. 500.) iis subjecit. „*Thomas wollte aus dem Ziele auf den Weg dahin schliessen, als verstände sich dann dieser von selbst.*“ (?).

**) Ne recentissimi quidem interpretes disputandi rationem, quâ Jesus usus est, satis perspexerunt, ut mihi quidem videtur. *Meyerus* ingeniosam sane explicationem protulit, sed a Servatoris mente haud dubie aberravit. „*Jesus*, inquit, *nach seiner eigenthümlichen Weise, keine kategorische Antwort* [*auf v.* 5.] *sondern dem Gegenstande eine Wendung zu geben, welche das eigene praktische Interesse des Fragenden selbst unmittelbar erfasst, antwortet v.* 6. *so, dass er nicht d e n Weg angiebt, auf welchem er s e l b s t, sondern d e n Weg, auf*

Verba satis perspicua sunt. Nam Christum se τὴν ὁδόν, h. e. viam ad *Deum* ferentem, i. e. virum homines ad Deum perducentem appellare, expositio docet οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. Neque illud obscurum est, vocab. καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή adjecta esse, quo melius Apostoli verborum ἐγώ εἰμι ἡ ὁδός vim et rationem perciperent. Perduxit enim Christus homines ad Deum divinam veritatem promendo et sempiternam vitam conferendo. Divinae veritatis cognitio et susceptio *causa* est aeternae vitae Joh. XVII, 3. quâ auctore Johanne non in terrarum orbe, sed in ipso coelo perfruemur Joh. XVII, 24.

---

welchem jeder Andere zu Gott gelangen werde und einzig könne; die gefragte Belehrung über seinen eigenen Weg zu Gott überlässt er der ganz nahen Entscheidung seines Schicksals. Ueber sein Ziel aber, über das ποῦ ὑπάγεις v. 5. liegt die Auskunft in seiner Antwort; denn das πρὸς τὸν πατέρα war ja ihm und den Seinigen das gemeinschaftliche Ziel." Jesum sermonem alio, quam unde ductus esset, transtulisse et tanquam εἰς ἄλλο γένος transisse, sine idoneâ causâ V. D. sumsit. — Suboluit verum Ven. *Lückio*, sed rem neque clare animo informavit, neque plane exposuit. Sic ille (II. p. 500): „*Thomas wollte aus dem Ziele auf den Weg dahin schliessen, als verstände sich dann dieser von selbst* (hoc falsum esse, supra monuimus). *Umgekehrt zeigt ihm Christus den Weg, dieser Weg zeigte am besten das wahre Ziel. Hierin liegt das Acumen* (?) *der Antwort. Den Weg weisst du nicht, will Jesus sagen. Ich bin der Weg; er ist vor deinen Augen: aber das räthselhafte* (?) *Wort löst sich. Wie Niemand zum Sohne kommt, wenn der Vater ihn nicht zieht* (s. Cap. VI, 44.), *so kommt Niemand zum Vater, wenn nicht durch den Sohn. So ist er also der Führer zum Vater. Dahin geht Jesus, dahin sollen die Seinigen ihm folgen* (de hâc re v. 3., non h. l. disputatur). *Diess ist die Antwort auf das ποῦ ὑπάγεις des Thomas.*" In iis, quae proxime sequuntur, V. Doctiss. parum subtiliter de verbis καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή disserit. Acumen *Lückius* finxit: non meta viam, via metam, ad quam *nemini non* properandum sit (*das wahre Ziel*) monstrat, vid. supra. Deinde aenigma, quod Vir. Ven. invenisse sibi visus est, ineptum est. De viâ *Jesu* ineundâ quaerebatur. Atqui inane *verborum* acumen, quod *sententiam*, de quâ quum maxime ageretur, non attingeret, Jesus captavisset, si sic disputasset: tu, e metâ viam *mihi ineundam* certo constitui posse, significabas; quin imo via *nemini non* ineunda optime monstrat *metam hominibus tenendam!* Nonne apparet, sic quoque orationem a re, de quâ agebatur, abduci, et illud potius explicari, quo *hominibus* eundum sit, quam quo *Jesu* vadendum fuerit? Nullum vero *griphum* Jesus proposuit, sed se *ad Deum contendere leti* viam *ingressum*, ex eo manifestum esse, quod homines *ad Deum* adducat, Deum autem, *nisi mortalitate depositâ*, h. e. *moriendo*, ipse adire nequeat, plane dixit et perspicue (cfr. supra).

His dictis, satis ab se rem explicatam esse, Magister existimat eamque jam tenere discipulos autumat. Dicit igitur καὶ ἀπάρτι γινώσκετε αὐτὸν, καὶ ἑωράκατε αὐτόν h. e. et ab hoc, quo haec loquor, temporis momento (i. e. *nunc ipsum*, cfr. cap. XIII, 19.) patrem cognoscitis mentisque acie videtis, q. d. nunc ipsum (re a me expositâ) *Deum* a me dici intelligitis; quare, neque ad *Deum* me jam contendere, neque, *moriendo* me ad eum vadere, vos praeterire potest*).

Sed obtusa Philippi mens ne sic quidem divini magistri sententiam assequitur, quin Christi verbis καὶ ἀπάρτι γινώσκετε αὐτὸν καὶ ἑωράκατε αὐτόν sensu *proprio* sumtis, fac hoc, inquit, quod te modo facturum esse dicebas, quum nos *Deum vidisse* declarares: da nobis patrem videndi potestatem et sufficit nobis res, h. e. et nihil expetimus praeterea. Voluit igitur Jesum efficere, ut Deus se Apostolis, quemadmodum olim Patriarchis Gen. XVIII, 19. et Prophetis Exod. XXXIII, 18 seqq., in conspectum daret. Exprobrat divinus doctor Philippo tarditatem et de eo conqueritur, quod diuturnus usus non eo valuerit, ut se, *Dei legatum et vicarium*, Philippus cognosceret, neque assequutus esset, quum Deus oculis conspici non posset, eum Deum vidisse existimandum esse, qui Dei legatum vidisset. Tam diu, inquit, vobiscum versor, neque tu me, Philippe (Dei legatum et vicarium cap. XII, 44. 45. cfr. quae supra ad cap. X, 30. monuimus, *in meiner Würde als göttlichen Gesandten)* cognovisti? Qui me vidit (Deus enim conspici

---

*) *Lückius* (II. p. 501 seqq.) de verbis καὶ ἀπάρτι γινώσκετε αὐτὸν καὶ ἑωράκατε αὐτόν plura scripsit, quae probare nequeo. Nempe quia ἀλλ᾽ ἀπάρτι requiri sibi persuasit, καί, quod nonnisi a B. testibus *Birchio* et *Bentlejo* et L. abest, cupide oblitterat, ut asyndeton oppositionem particulâ ἀλλά non enuntiatam indicet. Deinde Jesum sui in coelestes sedes abitus, qui proxime instaret, memorem, hanc vocem fudisse, precario sumit et verba sic interpretatur: (at) *proxime* patrem *cognoscetis* eumque tanquam oculis *conspicietis*, nempe quum proxime divinam majestatem pater in filium collaturus sit, cap. XIII, 31. Quo dicto, Jesum tum *sibi* (?humanae fragilitatis pertaeso?), tum Apostolis solatium praebuisse, autumat. Mox enim Apostolos, tum metam, tum viam, quam nunc nescirent, ex ipso rerum eventu cognituros esse, Jesum declarasse, V. D. opinatur. Quae explicatio vel propter praeteritum ἑωράκατε ferri nequit. Praesens hoc pacto ponendum erat. Frustra V. D., ut ἑώρακα τινά simpliciter et in universum esse: *es steht jemand vor meinen Augen*, ostenderet, ad Joh. IX, 37. provocavit, cfr. Dissertat. nostra de Jesû januâ ovium eodemque pastore pag. 5.

nequit), vidit patrem; et qui tu (nempe quum Deus oculis usurpari non possit) dicis: da nobis patrem in conspectum*)?

Non recte *Lückius* et *Meyerus* v. ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα ad *mentem* referunt: qui me, Dei vicarium, mentis acie (h. e. fide mihi habitâ) vidit, patrem mente vidit, h. e. cognovit. Non enim hae sententiae cohaerent: temere tu, vetus meus sodalis, Deum *oculis* vis usurpare, neque cogitas, eum, qui me *mentis* acie viderit, ut fidem mihi adjunxerit, Deum *mente* vidisse et *cognovisse!* Imo absurdum esse Philippi postulatum et, quia Deus conspici nequeat, satis esse, ejus legatum ut vicarium conspexisse, Jesu declarandum est. Idque prorsus dicit, si modo memineris, Jesu disputationem v. 9. sententiâ niti, non disertè illâ quidem enuntiatâ, sed quam pro certâ et ab omnibus concedendâ, quia *contraria* sententia *absona* sit, sumserit, *Dei numen oculis conspici plane non posse.* Firmat Jesus versu 10. vocem v. 9. editam ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τ. πατέρα eo, quod, se utique Dei legatum esse, primo observat, οὐ πιστεύεις, inquiens, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; deinde ratione munit, τὰ ῥήματα — — — αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα. Qui me vidisset, eum, quia Deus conspici nequit, Deum vidisse censendum esse, observabam (v. 9.). Res manifesta est, si Dei legatus sum, neque tu, me cum patre, patrem mecum intime conjunctum esse, negas. Haec sententia sic enuntiata est: nonne credis, intimam mihi cum patre necessitudinem intercedere?

---

*) Parum accurate *Lückius* p. 503.: „*Es ist dabei auffallend, dass Jesus den Philippus nicht besonders verweist, dass er den Vater leiblich sehen will* (temeritatis reprehensio satis perspicue tum membro priori τοσοῦτον χρόνον, — φίλιππε, tum posteriori ὁ ἑωρακὼς ἐμέ, ἑώρακε τὸν πατέρα, καὶ πῶς σὺ λέγεις· δεῖξον ἡμῖν τ. πατέρα; expressa est, modo meminerimus, Jesum, quae h. l. dixit, sententiae satis planae superstruxisse: Deum *oculis* usurpari non posse, cfr. supra); *ja er gebraucht sogar das* ὁρᾶν τὸν πατέρα *von Neuem* (scilicet postquam dixit, qui *Dei* legatum vidisset, eum Deum [nempe quia is ipse a nemine conspici posset] vidisse censendum esse). *Aber vielleicht war das* δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα *nicht so schlimm gemeint und bezog sich eben nur auf die Offenbarung des Vaters im weitern Sinne, so doch, dass es die sichtbare Theophanie mit einschloss, aber sich auch nicht allein darauf beschränkte.*" Homines cum Servatore colloquentes admodum stupidos ab Johanne introduci, in vulgus constat, cfr. v. c. cap. III, 4. 9., cap. VI, 52., cap. IV, 15., cap. VIII, 27. al. Quamobrem Evangelii Johannei *ingenium* poscit, ut, Philippum Jesu verba *pessime* interpretatum esse, statuamus.

Sequitur argumentum, unde Jesu intima cum Deo necessitudo pateat. Nempe rem illud planam facit, quod Christus Dei legationem hominibus retulit iisque divina mandata exposuit (τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ); Christum autem Dei legationem hominibus renuntiasse, miracula ostendunt quae *Deus* (non Christus) Christi interventu fecit (ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, **αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα**). Haec igitur verba *praecedentem* sententiam τὰ ῥήματα — ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ stabiliunt. Totus versus sic habet: (ut, mihi cum Deo arctissimam necessitudinem intercedere, credas, hoc tene): Quae ad vos dirigo verba *non meo arbitratu* (sed patris mandatu) proloquor, **pater** autem, qui mihi conjunctissimus et est et manet, (*is, er,* non ego, cfr. Joh. III, 2., Act. II, 22., nam αὐτός et οὗτος saepe sic locantur, ut praegressi substantivi memoriam fortiter renovent, vid. *Kühneri ausführliche Grammatik der griech. Sprache* II. p. 330.) facit opera, i. e. edit *miracula divinae legationis documenta*, cfr. cap. X, 25. 37. 38., cap. V, 36. Patet enim, virum, *per quem Deus* miracula patret, hominem arctissimo vinculo cum *Deo* copulatum, h. e. *divinum legatum* esse. Nunc Christus postquam, se utique Dei legatum esse, satis ostendit, ad discipulos conversus, fidem, inquit v. 11., mihi habete, me patri, patrem mihi conjunctissimum esse, asseveranti; sin minus (h. e. sin *voci meae* fidem adjungere nolueritis, cap. X, 38.), propter *ipsa miracula* fidem mihi derogare nolite.

In hâc disputatione omnia plana sunt, neque illud tenebris obvolutum est, Servatorem hoc unum (v. 9. 10.) docere, *patris* se praecepta, quippe patris legatum et vicarium, docere (non sui ingenii commenta), idque portenta ostendere *a* **patre** *per se* patrata. De hâc legati et oratoris divini cum Deo conjunctione sermonem instituit, non de eâ necessitudine, quae in summâ sanctitate et ἀναμαρτησίᾳ cernitur. Quam et ipsam h. l. memorari opinatus, si sensu latissimo Servatori divinam imaginem hîc attribui cum Ven. *Ullmanno* sumis, ut quovis respectu, neque non intellectu et voluntate *(geistig und sittlich)* unus cum Deo et tanquam alter Deus sit, temere orationis perpetuitatem negligis, in quâ *doctrina a Servatore proposita* (τ. ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν) et *opera* (τ. ἔργα) h. e. miracula (vid. infra) magistri sic commemorantur, ut portenta divinam doctrinae a Christo traditae originem attestari dicantur. Itaque quia divina erat Christi doctrina ejusque divinitatem Deus portentis declarabat, idcirco (non aliâ de causâ) tam arcta, ut Dei vicem gereret, necessitudo Servatorem inter et Deum intercedebat. Qui alia immi-

scent, sua huic loco cogitata obtrudunt, non locum interpretantur. Quid, quod ab hâc disputatione innocentiae et sanctitatis Christi commemoratio alienissima est. Etenim Jesus in eo occupatus, ut doceret, unde divina sua dignitas, quâ commotos homines fidem sibi adjungere oporteret, cognosceretur, neutiquam ad vitae morumque sanctitatem provocare poterat: quippe morum innocentiae nihil inest, quod extraordinarium, quo Deus virum sanctum juvet, auxilium comprobet. Quocirca Jesu ita disputare non licebat: verbis meis, tanquam *divinae voci*, credendum est et obtemperandum, *nam vita mea est sanctissima et ab omnibus peccatis aliena.* Imo ut sanctissimus sis, non idcirco tamen es omni errore exemtus, neque Propheta, nedum Prophetarum summus, aut Dei filius. At cujus doctrinam Deus miraculis et portentis confirmavit, in eum sane quadrant, quae Servator h. l. de se affirmavit, cfr. quae scite b. *Schottus* in Opuscc. I. p. 172 seqq. monuit. Accedit, quod Jesus, quam sibi haberi vult, fidem tum quoque postulare potuisset, quum neutiquam *ἀναμάρτητος* fuisset. Affirmat enim, se afflatu divino instinctum doctrinam coelestem aperire, seque miraculo non uno inclaruisse: ut brevi praecidam, *Prophetae* se fungi munere dicit (— *ὅς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ* Luc. XXIV, 19.); Prophetis autem, *quia sunt Prophetae* divinoque instinctu divina dogmata tradunt, fides habenda est. Ceterum, ut sis Propheta, minime *summa morum innocentia* requiritur. Docet Prophetarum V. T. exemplum. Quae quum ita sint, certum manet, quod verissime *Schottus* l. c. p. 173 sq. scripsit, Servatorem, *cujus sanctitas summae modestiae esset conjunctissima,* nunquam virtutem suam perfectam coram hominibus praedicasse, imo re ipsâ et factis demonstrare maluisse.

Haec pro instituti mei ratione sufficiunt. Sed quia video, in explicando hoc loco vel recentissimos interpretes lapsos esse, paulo diutius ei immorari licet. Sunt igitur interpretes, qui putent, Jesum v. 10. *duo* commemorare, unde intima sua cum Deo eluceat conjunctio, *effata sua* (*τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν*) et *opera sua* plane divina (*τὰ ἔργα*). Ita *Tittmannus*, qui in meletemm. Sacrr. p. 512. sensum hujus loci hunc esse dicit: „Non loquor quidquam, quod per me non loquatur pater, nec facio quidquam, quod per me non faciat pater. Quidquid loquor, ex illius animo loquor, non ex meo ingenio; quidquid facio, ex illius sententiâ facio. — Si pater ipse loqueretur ad vos, non aliud loqueretur, quam ego loquor. Si pater per se operaretur, non operaretur aliud, quam ego operor.“ Similiter *Schottus* l. c. p. 171. Mihi nunc secus videtur. Nam in

promptu est, haec duo commemorari quidem, sed unum *Jesu*, alterum *Deo* ita attribui, ut ex eo, quod Deus faciat, concludatur, quod Jesus peragat, ita eum plane peragere, quemadmodum se facere ipse dicat (τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ.) Nimirum attendendum est ad ea, quae sibi opponuntur, *ego* (τ. ῥ. ἃ ἐγὼ λαλῶ) et *pater* (ὁ δὲ πατὴρ — αὐτὸς ποιεῖ τ. ἔργα). *Jesus* doctrinam hominibus exposuit, cujusmodi autem ejus doctrina esset et a quonam Christo suppeditata, ex iis patebat, quae Deus per Christum edidit, miraculis. Quare sensus loci est, quem supra indicavi: *quae ego trado, patris praecepta sunt, idque portenta docent a patre per me effecta.*

At τὰ ἔργα h. l. *miracula* esse, permulti negant. Et *Noesseltus* quidem in opuscc. II. p. 389 seqq. refert hoc voc. ad negotium Christi, quod Dei voluntate hominibus patefaciendâ absolvebatur, alii, ut *Lückius* p. 505. et *Meyerus*, totam provinciam Jesu Messiae demandatam, quaevis facta et negotia messiana, non exclusâ doctrinâ intelligunt (*die eigenthümlichen Geschäfte des Messias in Wort und That*, ita *Meyerus* in libro: *Kritisch exeget. Commentar über das N. T.* II. p. 197.) Neutrum probo. Etenim *Noesselti* interpretatio quum infirmis nititur argumentis, tum loquendi usu Johanni peculiari et orationis nostri loci nexu plane refellitur. Nihili quippe est, quod *Noesseltus* urget, in loco Joh. VI, 28. 29. τὰ ἔργα τ. θεοῦ et τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ illo sensu usurpari. Recte quidem, nam formula τὰ ἔργα τ. θεοῦ ea declarare potest, quae Deus fieri vult. Quare ubi de *unâ* re divinitus imperatâ sermo est, ibi recte ἔργον τ. θεοῦ (*ein gottgefälliges Werk*) commemoratur; contra ubi de *pluribus* agitur, ponendus est numerus pluralis, ἔργα τ. θεοῦ. Ita in illo Johanneo loco, ubi Judaei ex Jesu quaerunt: quid fieri a nobis oportet, ut ea perficiantur, quae Deo probentur? Respondet Jesus, opus, quo prae ceteris Deus delectetur (*das gottgefällige Werk* κατ' ἐξοχήν) in eo cerni, ut Judaei fidem habeant sibi, legato divino (τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος). Neque tamen inde sequitur, quod etiam Ven. *Bretschneiderus* in Lexic. I. p. 488. edit. 2. pro certo amplexus est, τὸ ἔργον Servatoris et τὰ ἔργα ejusdem apud Johannem idem significare et *de toto opere Christi* ex Dei voluntate peragendo usurpari. Imo totum negotium Servatori divinitus impositum in evangel. Joh. τὸ ἔργον Christi dicitur, ut cap. IV, 34. cap. XVII, 4. (— τὸ ἔργον ἐτελείωσα), sed τὰ ἔργα sunt miracula. Quare nullo modo nostri loci sensus esse potest, quem *Noesseltus* ei sub-

jecit: *doctrinas*, quas ego trado vobis, non meo ex ingenio profero, sed pater mecum conjunctus, is edit *haec facta* (τὰ ἔργα). Hoc graece sic enuntiandum fuisse apparet — *αὐτὸς ποιεῖ ταῦτα τὰ ἔργα*. Praeterea Johannis de miraculis, certis legationis divinae a thaumaturgo susceptae documentis, sententia neglecta est (vid. supra).

Ceterum *Noesselti* argumentum ex Joh. VI, 28. 29. repetitum quale sit, vix intelligi potest, nisi forte ille, temere quidem, *τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ unum idemque semper* valere debere putavit. At qui *τὰ ἔργα miracula a Deo per Christum patrata*, *τὸ ἔργον negotium messianum Christo divinitus datum*, quod *omnium* Dei mandatorum confectionem complecteretur, in Johanne declarare dixerunt, minime negarunt, posse aliquando, adjuvante contextâ oratione, *τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ* opus, quod Deus hominibus injungit, significare. Ambigua est enim formula, quae et *opus a Deo imperatum* designare possit, et opus, *quod Deus vel ipse faciat*, vel *alius operâ peragat*, quod et ipsum pro contextae orationis diversitate de diversissimis rebus dici potest. Illud, si sapuerunt, sibi voluerunt, Johannem *technico* usu et qui non ex ipsius formulae contemplatione (a priori) constitui possit, sed ex accuratâ evangelii Johannei lectione (a posteriori) cognoscatur *(nach individuellem Sprachgebrauche)* *τὸ ἔργον τ. θεοῦ negotia Christo divinitus imposita*, *τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ opera, quae Deus Christi ope ederet*, *κατ' ἐξοχὴν* miracula dicere solere. Expende loca cap. V, 20. 36. cap. X, 25 — 38. cap. VII, 3. 21. cap. XV, 24. cap. IX, 3 coll. v. 6.

Deinde speciosum visum est aliud argumentum inde ductum, quod Jesus, quum v. 10. verba et facta commemorasset, in sequentibus versibus de solis ἔργοις sermonem instituit. Sic enim disputatum est: Jesus, qui verbis v. 10. *τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ*, doctrinam a se traditam se ipsum excogitasse, negat, auditoribus enuntiationis positivae, quâ de doctrinae suae origine edoceantur, exspectationem movet. Hanc vero positivam enuntiationem illico addit, eamque per voc. *δέ* verbis praegressis annectit (v. 10. *ὁ δὲ πατὴρ — αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα*). Quare ipsa parallelismi, in Servatoris sermonibus apud Johannem accuratissime servati, ratio satis docet, formulam *ποιεῖν τὰ ἔργα* h. l. non differre a loquutione *τὰ ῥήματα λαλεῖν* atque indicare: *docendi negotium perficere, docere*. Ita, ut optime b. *Schottus* l. c. p. 166.

monuit, interpretationis logicae leges primo quidem obtuitu *Noesselti* aliorumque sententiae*) haud parum videntur patrocinari.

At hanc opinionem legum logicarum obtentu commendatam praeter usum loquendi leges logicae redarguunt. Est enim in promtu, v. 11. τὰ ἔργα ab Jesu doctrinâ distingui. Ibi Servator, *sibi arctissimam cum Deo necessitudinem intercedere,* si minus credatur simpliciter affirmanti, at διὰ τὰ ἔργα credendum esse monet. At vero ex intimâ illâ Christi cum Deo conjunctione *divina doctrinae ab eo traditae origo consequitur,* cfr. v. 10. Verba igitur πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί simul rem *consequentem* — ὅτι ἐγὼ τ. ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλῶ complectuntur. Hinc, τὰ ἔργα a Christi doctrinâ diversa esse, vel coecus videat, quandoquidem res, quae aliquid comprobet, a re, quam comprobet, differat necesse est. Jam vocula αὐτά v. 11. (διὰ τὰ ἔργα αὐτά *eben wegen, also wegen der genannten* ἔργα) postulat, ut, τὰ ἔργα v. 11. idem, quod v. 10., declarare, fateamur. Esse autem τὰ ἔργα v. 10 *portenta* supra vidimus. Sic argumentando eorum quoque opinionem evertes, qui, ut *Meyerus,* v. 10. rem singularem negative expressam (τὰ ῥήματα — οὐ λαλῶ) re generali affirmative enuntiatâ (ὁ δὲ πατὴρ — τὰ ἔργα) corroborari putant hoc modo: quae ad vos verba dirigo *non mei* sunt ingenii inventa, pater autem (imo pater), qui mihi conjunctissimus manet, *opera* facit, *quae tum in docendo, tum in agendo cernuntur.* Accedit usus loquendi, per quem ποιεῖν τὰ ἔργα non idem valere potest, quod τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖν, διδάσκειν posset, *si omnia negotia Christo divinitus imposita dogmatum explicatione absolverentur,* quod secus est. Male illius opinionis patroni ad locum Joh. VIII, 28. provocant, ubi Jesus haec Judaeis dicit: quum in altum hominis filium sustuleritis, tum intelligetis: me esse Messiam. Et (quum sim Messias) meâ auctoritate nihil facio, sed, ut pater me instituit, *haec* (a patre mecum communicata) loquor (ὅταν ὑψώσητε τ. υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδέν, ἀλλὰ, καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ). Nihil enim obstat;

---

*) Similis est interpretatio ab *Eckermanno* in libro: *theolog. Beiträge* Vol. V. Fasc. II. p. 82. proposita, quae Jesu verbis hunc subjicit sensum: *Was ich euch lehre, das lehre ich nicht aus eigenem, eigennützigen, sinnlichen Antriebe, sondern von Gott, von Eifer für Gottes Willen angetrieben, und was ich durch meine Lehre ausrichte, das ist das Werk meines Vaters, der in mir bleibt.*

quo minus negativam sententiam ad *totam* Christi vitam, positivam ad docendi negotium referamus hâc ratione: et meo arbitratu *nihil* facio *(quod in Messiae munere mihi obeundum sit)*, sed (ut ad dicta mea, de quibus nunc quaeritur v. 25 sq., me revocem), sicut meus me pater instituit, haec (a patre profecta) profero. Sed potest etiam sententia negativa cum positivâ eundem ambitum habere. Latius enim ποιεῖν *facere* patet, quam λαλεῖν *docere*. Quocirca, qui docet, *facit aliquid*, non vicissim, qui aliquid agit continuo docet. Similiter homo Germanus ad legationem referendam missus recte dicat: *für mich thue ich hier gar nichts, sondern ich sage nur, was mir aufgetragen ist.* Potest igitur Jesus generale verbum ποιῶ ita collocasse, ut id *ad divinae legationis renunciationem* restringeret. Quocirca, τὰ ἔργα idem significare, quod τὰ ῥήματα, ex hoc loco minime consequitur.

Postremo ne duodecimus quidem versus, ubi Jesus sanctissime pollicetur, fore, ut, qui sibi fidem adjunxerit, eadem opera, quae ipse patraverit, imo majora edat (— ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, καὶ μείζονα τούτων ποιήσει, ὅτι κ. τ. λ.) nostrae sententiae obstat. Fraudi fuit hic locus quum aliis interpretibus, tum nuper *Lückio.* Etenim hoc promissum Apostolis datum tum demum sensu non destitui, dicit(p. 505.), quum sumamus, τὰ ἔργα simul docendi munus indicare, unde colligit V. D., τὰ ἔργα nunc latiori sensu de toto Servatoris opere messiano dici, non excluso docendi munere, nunc angustiori sensu de iis poni, quae illustrem reddant majestatem (τ. δόξαν) Christi, potissimum de miraculis, exclusâ doctrinâ. Festinasse videtur Vir Ven., ut in totius loci explicatione*), ita hîc quoque.

---

*) *Lückius* de versus decimi compositione quum multa monuisset, quibus calculum addere nequeo (p. 503 seqq.), postremo p. 505. haec dicit: „*In unserm V. (V. 10.) sind die* ῥήματα *mit unter den* ἔργοις *begriffen* (nihil profecto minus, vid. supra), *und der zweite Satz ist nach meiner Meinung etwa so zu fassen: Ueberhaupt aber thue ich nichts aus mir selbst, sondern der Vater, der in mir beständig lebt und wirkt, er und kein Anderer thut alles, was ich als Messias thue.* (Precario Vir Doctiss. adjecit sententiam: *Ueberhaupt aber thue ich nichts aus mir selbst.* Ceterum, quod *Lückius* voluit, Johannis verbis neque subest, nec subesse potest. Posset, si Johannes pro ποιεῖ τὰ ἔργα scripsisset πάντα τὰ ἔργα, quamquam sic quoque usus loquendi Johanni peculiaris (vid. supra) postularet, ut τὰ ἔργα τοῦ Ἰησοῦ de *portentis* ab Jesu patratis caperemus). Pergit *Lückius*: *Da sich*

Servator Apostolos, ut miraculis saltem commoti fidem sibi haberent, cohortatus v. 11., egregium quoddam fidei in se positae *emolumentum* discipulis monstrat v. 12. 13. (Sic fere *Meyerus*).

---

zeigte, dass die Apostel in ihrem Glauben bis zu dem höchsten Punkte der wechselseitigen Gemeinschaft zwischen ihm und dem Vater noch nicht gekommen waren, so (?) ermahnt er sie, ihm doch zu glauben, dass er im Vater und der Vater in ihm sei. Weil sie sonst seinen Worten glaubten, so (?) sagt er einfach πιστεύετέ μοι. *Aber leider sieht er sich genöthigt, den Fall anzunehmen, dass das Vertrauen zu seiner Person in ihnen noch nicht stark und geistig genug war, und sie des Beweises aus den Werken [d. h. Wundern* cfr. p. 505.] *bedurften.*" *Non potuisse non* Jesum existimare, tam infirmam esse Apostolorum fidem, ut ea *miraculis* confirmanda esset, V. D. finxit, non ex Johannis verbis argumentatus est. Nihil enim Jesus dicit, nisi hoc: *si* quae affirmaverit simpliciter asseveranti Apostoli credere noluerint, credendum iis esse *propter portenta.* Non debebat *Lückius* τὰ ἔργα v. 11. alio sensu sumere, quam quo ea v. 10. ceperat. Nam τὰ ἔργα v. 11. idem, quod v. 10., declarare vocula αὐτά ostendit. Miracula autem verbis τὰ ἔργα v. 10. 11. enuntiari, quum alia docent, tum Johannis de portentis *legationis divinae documentis* sententia, vid. v. c. cap. X, 37. et quae supra diximus. Tum *Lückius*, quo vinculo v. 12. cum v. 11. cohaereret, non videtur perspexisse. Sic enim disputavit p. 506.: „*Ich denke mir den Uebergang (auf V.* 12.) *so. Das Glauben an Christum, als den wahrhaftigen Sohn Gottes, ist die wesentliche Bedingung des Apostelthums.* (Haec nimirum *Lückius* de suo addidit!). *Die Werke Christi haben nicht nur die Kraft, in den Aposteln den Glauben an ihn zu bewirken, sondern der so gewirkte lebendige Glauben giebt ihnen zugleich auch die Macht, nicht nur die Werke auch zu thun, die er thut, sondern noch grössere, als diese. Was für Werke sind hier gemeint? — Alle Thaten und Werke, welche der Herr eben in Beziehung auf sein Reich verrichtet hatte, es seien nun Wunder im engern, oder weitern Sinne* (?), *in der Natur, oder in der Welt des Geistes — sollten seine Jünger auch verrichten können. Sofern aber Jesus sich nur auf die erste Gründung seines Reiches und mit seinen Werken nur auf das jüdische Volk (und zwar mit geringem Erfolge, vergl.* 12, 37 *ff.) beschränkte, die Jünger aber ausgingen in alle Welt und lehreten alle Völker mit so viel grösserem Erfolge, als er selbst, heisst es hier, sie würden noch grössere Werke vollbringen.*" Itaque *latiore* rursus sensu V. D. v. 12. τὰ ἔργα sumsit, quae v. 11. *angustiore* sensu de *miraculis* enarraverat. Male quidem, nam logicae leges postulant, ut τὰ ἔργα v. 12. idem, quod v. 11., valeant (cfr. supra). Praeterea *Lückius* et non recté vocem μείζονα explicuit, et sententiam v. 13. non satis diligenter enucleavit.

Sanctissime, inquit, vobis polliceor, fore, ut qui fidem mihi adjunxerit, ille quoque, quae ego facta edo, patret et iis majora, quia, ad patrem meum digressus, vestras preces meâ auctoritate fusas adjuvabo apud Deum pro vobis deprecando, ut (vestris precibus *meâ operâ* a Deo admissis) patris (qui miraculorum patratione, quantum possit, humano generi declarat) majestas illustretur *per filium* (qui precibus suis Deum, ut per Apostolos miracula edat, permoveat) cap. XIII, 31 seqq. Sententiarum cohaerentiam eam esse, quam diximus, ex verbis ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ apparet, quae ad πιστεύετέ μοι v. 11. referuntur. Formula ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ quamquam neminem non, qui in Christo fidem collocaverit, complectitur, tamen de Apostolis explicanda est. Ostendit hoc, non quidem πιστεύετε v. 11., ut *Meyerus* l. c. p. 198. existimat, sed expositio v. 13. καὶ ὅ,τι αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω. Τὰ ἔργα v. 12. idem, quod v. 11., valere, recte cogitandi loquendique regula docet. Nam τὰ ἔργα v. 11. memorata non sunt, nisi ἃ ὁ Χριστὸς ἐποίησεν, Dei quidem vi et mandatu. Multum negotii verba καὶ μείζονα τούτων interpretibus facessiverunt. Non hyperbolice Jesum loquutum esse, *Lückio* (p. 507.) concedimus. Quamquam enim Servator hyperbolico dicendi genere nonnunquam usus est, v. c. Matth. XVII, 20., tamen h. l. nullum est hyperboles vestigium. Quippe Christus sententiam verbis καὶ μείζονα τούτων ποιήσει conceptam vocabulis v. 12. ὅτι ἐγὼ πρὸς τ. πατέρα ὑπάγω, καὶ (v. 13.) ὅ,τι ἂν αἰτήσητε ἐν τ. ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω ratione ejusmodi munit, quae, majora Apostolos, quam quae a Christo ipso patrata essent, miracula edituros esse, satis superque probet. Scilicet v. 13. καὶ ὅτι κτλ. non novam sententiam inchoari, sed praecedentem structuram continuari (— ποιήσει, ὅτι ἐγὼ πρὸς τ. πατέρα πορεύομαι, καὶ ὅ,τι ἂν αἰτήσητε — — — — τοῦτο ποιήσω), manifestum est, cfr. *Griesbach.* et *Knapp.* Quatenus Apostolorum miracula portentis ab Jesu patratis *majora* futura sint, diserte non docet Servator. Quamobrem res ex Jesu verbis cognosci nequit (vid. *Meyerum*), sed disci potest non quidem e rerum ab Apostolis gestarum historiâ (vid. *Meyer.*), quae manca est, multasque res silentio transmittit, sed *ex Evangelistarum ingenio.* Cui eorum expositio repugnat, qui Apostolorum miracula *majora* dici opinantur *propter majorem eorum vim atque effectum.* Nempe Christum fundamenta jecisse, Apostolos opus exaedificasse. Jesum miraculorum patratione paucos sibi homines conciliasse, Apostolos pluri-

mos homines ad Christi sacra traduxisse. Servatorem intra arctos Palaestinae fines se continuisse, Apostolos ad exteros abiisse. Hanc sententiam etiam *Lückius* et *Meyerus* huic loco subesse putant, qui τὰ ἔργα male sensu latiore sumunt. At enim vero sacri scriptores miraculorum magnitudinem non *effectu* metiuntur, sed insolentiâ rerumque, quae praeter naturae ordinem fiant, modo et proportione (cfr. Matth. VIII, 27., Marc. II, 12., Luc. VII, 16., cap. XI, 17., Joh. III, 2., cap. V, 20 seq., cap. XII, 37., Act. V, 11 seqq., cap. XIX, 11 al.), ut hic quoque veteres interpretes verum viderint, qui, ut Christi vocem illustrarent, τὸ χάρισμα τῶν γλωσσῶν Act. II, quae Act. V, 15. de Petri umbrâ perscripta sunt, et similia Act. XIX, 12., Marc. XVI, 17. 18. contulerunt, v. *Bengelium* in Gnomone. Dicit igitur Jesus, Apostolos *majora* h. e. ea portenta patraturos esse, quibus res *magis arduae* praeter naturae ordinem legemque extraordinariâ Dei vi ad effectum adducantur, quam quas ipse portentose efficiat. Hanc sententiam *idoneâ* ratione munit. Id enim eo futurum esse affirmat, quod, ad patrem suum digressus, Apostolorum preces Christi auctoritate fusas (quibus eas contineri manifestum est, quas *Apostoli*, ut Dei vim ad patranda miracula exposcerent, ad Deum missuri erant) adjuturus sit intercedendo, deprecando, patri, ut Apostolorum optatis annuat, instando. (Nam τοῦτο ποιήσω valet: hoc faciam, *patrem, ut vestris votis satisfaciat permovendo*, v. cap. XV, 16., cap. XVI, 23.). Nempe quamvis nemo, quum Christus inter homines viveret, Deum, ut per Christum miracula patraret, precatus est, *magna* tamen miracula Deus per Christum edidit. Quanto igitur *majora* portenta Apostoli edituri erant, quorum miracula a Deo expostulantium preces Christus in coelo sublevaturus erat deprecando, idque *pietate* adductus (ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ)? Deum enim Christi preces neglecturum esse, credi non poterat propterea, quod eas *pietate* motus adhibiturus erat. Sane de eo dubitari potest, an portenta ab Apostolis patrata, *quae quidem memoriae prodita sunt* (Act. II., cap. XIX, 12., cap. V, 15.), *non majora* iis fuerint, quae Christus edidit Joh. XI., Luc. V, 25. Verum idcirco clara Jesu verba in aliam sententiam temere contorqueas. Quippe Lucae Acta non omnes res ab Apostolis gestas amplectuntur. Qui autem sententiâ destitutum illud Christi promissum putant, ii videant, ne sua cogitata Christo et Apostolis iniquius obtrudant, parumque eos, qui Supernaturalistas censeri volunt, deceat; in libris sacris perspi

cae tradita potius novitiis opinionibus permutare, quam illa pie et agnoscere et venerari.

Sed divina virtus Servatoris atque *ἀναμαρτησία* quum nunquam non animis nostris affluere debeat, tum eam hoc potissimum tempore mentibus Vestris, Cives carissimi, penitus, quaeso mandate. Proxime enim instant dies festi, quibus nati Jesu Christi memoria ab omnibus christianis sancte recolenda est. Qui dies quemadmodum a summis et infimis hominibus omni solutis curâ cum jucunditatis sensu et hilaritate pari celebrari solent, ita etiam iis, qui in animi emendatione fideque christianâ elaborarint, insignem laetandi materiam suppeditabunt, eamque tanto majorem, quo propius se accessisse senserint *εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ.* Nam ut quisque fidei et virtutis christianae maxima ceperit incrementa, ita certissime intelligat necesse est, cum Jesu Christi legatione nullum aliud Dei beneficium comparandum esse, cujus quidem beneficii laudes angeli coelestes his verbis praedicarunt: *Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία!* Quae quum ita sint, curam omnem, operam cogitationemque in eo collocabimus, ut Jesu Christo, Dei filio atque perfectae virtutis exemplo quam simillimi evadamus. *Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται.*

P. P. Dom. IV. Advent. MDCCCXXXVI.

Christiani Friderici Fritzsche

Theologi Halensis

DE

'ΑΝΑΜΑΡΤΗΣΙΑ JESU CHRISTI

COMMENTATIO IV.

Quum quaeri posset, quomodo historia de Jesu a Satanâ tentato (Matth. IV, 1 seqq. Marc. I, 12. 13. Luc. IV, 1 sqq.) cum illius ἀναμαρτησίᾳ concilianda esset, Ven. *Ullmannus* de hoc etiam loco ita disputavit, ut suam proponeret sententiam aliorumque interpretum placita refutare conaretur, cf. *über die Sündlosigkeit Jesu. Eine apologet. Betrachtung* ed. III, p. 107 sqq. et p. 167 seqq. In quâ Viri Amiciss. disputatione nonnulla probo, alia displicent.

Principio *Ullmanno* largientur omnes, ejusmodi difficultatibus hanc historiam premi, quae Grammaticae et Lexici ope tolli prorsus nequeant („*die weit über Grammatik und Lexicon hinausgehen*" p. 167.). Sane docto interpreti iis acquiescere non licet, quae Grammatici et Lexicographi nostri tradunt. Neque enim docti viri ignorant, utrosque saepissime lapsos falsa pro veris venditare. Plurimis vitiis philologia sacra Glassiana iratis Musis concinnata scatet, et falsa multa sunt, quae innumerabiles interpretes *Ernestii* potissimum et *Fischeri* auctoritate ducti assensu suo probarunt. Emendata est nostrâ memoriâ grammatica Novi Testamenti, quum *Godofredus Hermannus,* Vir summus, facem praetulisset, doctissimorum hominum studiis, sed ne nunc quidem omnes errores explosi sunt. Quare interpretis est, ubique diligentissime examinare, conveniantne

Grammaticorum quum antiquiorum, tum recentiorum praecepta cum ipsâ linguâ graecâ cumque peculiari scriptorum sacrorum dialecto. Malus et cujus vicem te misereat interpres est, qui his in rebus a Grammatici, quamvis doctissimi, auctoritate pendeat, neque ipse linguae rationes exploratas habeat. De Lexicis idem valet, quibus qui temere credunt incredibilia proferunt. Nam erroribus vel optima, quibus nunc utimur, Lexica referta esse, sciunt omnes, qui libros graecos quotidie lectitant, graece docti sunt, neque e solis Lexicis sapiunt. Neque illud non concedendum est, ne accuratissimam quidem linguae hebraicae et graecae, quam teneas, scientiam idoneum te librorum sacrorum interpretem reddere, sed accedere etiam debere permagnam cum librorum sacrorum argumento familiaritatem, ut, quid sacris scriptoribus placuerit, quid senserint, quae decreta sequantur, quid illorum populares statuerint, quid illi, quibus scripserunt, crediderint, postremo quid Theologi et interpretes tot seculis de unaquaque re vel docuerint, vel excogitarint, quantum fieri possit, optime scias. Ne multa, non solum de scriptorum sacrorum *verbis*, verum etiam de *rebus* ab illis expositis vere judicet interpres oportet.

Sed haec omnia sunt *Grammatici*, s. *Philologi*, ut hodie loquuntur, cujus munus latius profecto patet, quam iis videtur, qui Grammaticos verborum corticem frangere fingunt, rerum nucleos a *theologicis* interpretibus (sic enim loquuntur) benigne hominibus porrigi clamitant. Scilicet qui se *grammaticos* s. *philologicos* librorum sacrorum interpretes vocant, ut lectores idem prorsus, quod scriptores sacri cogitaverint, sentiant, efficere student, quod nisi sacrorum scriptorum sententiis accurate expositis fieri nequit, *philologicam* autem, s. *grammaticam* suam interpretandi rationem appellant, celebratum proverbium sequuti: *a potiori fit denominatio.* Ceterum eos, qui grammatici librorum sacrorum interpretes maxime celebrantur, non solum verba accuratissime explanare, verum etiam librorum sacrorum sententias optime enucleare et ingenio eruditionisque theologicae tum amplitudine tum elegantiâ iis praestare, qui idoneis rationibus adducti graecas et latinas literas doctrinaeque elegantiam mire contemnunt, inter viros doctos plane constat. Neque illud viros cordatos fugit, eos, qui suam *theologice* videlicet sacros libros explicantium operam multam et levem, quam accuratam et fructuosam esse malunt, non solum hebraice, graece et latine valde indoctos esse, sed etiam antiquitatis judaicae et christianae, historiae ecclesiasticae et formularum a Theologis propositarum parum

gnaros, philosophiae expertes, in argumentando absurdos, in eloquendo infantes et barbaros. Itaque ut imperitae plebi sui admirationem injiciant, res ex omnibus disciplinis, quarum ne unam quidem accurate didicerunt, tumultuariâ operâ sublectas absurde, ut prima mediis, media ultimis repugnent, contexunt, crambemque coquunt, quam vir sollers et literatus non concoquat. Noli igitur mirari, quod viros doctos et sobrios grammaticorum explicatorum cortex magis delectat, quam *theologicorum et profundorum* interpretum nucleus, viris liberaliter institutis nimis ille amarus atque acerbus.

Ullmanno judice (p. 167.) eum, qui quum N. T. libros, tum hunc de Christo tentato locum recte explanaturus sit, *„eine durch gebildete Grundansicht vom Christenthume,“* habere oportet. Retinui ipsa Viri Doctissimi verba, quia, quid sibi velint, non satis intelligo. Si idoneum librorum sacrorum *sensum* accuratamque sententiarum *in libris sacris perscriptarum* notitiam dicit, lubenter ei assentior, non item, si de formulâ quâdem scholasticâ loquitur, quod eum facere ex verbis colligo, quae adjecit, his: *„Da nun die theologischen Standpuncte* (viden', quid sibi formula velit: *eine Grundansicht vom Christenthume* *) *immer verschieden sein werden, so dürfte es kaum je eine Erklärung geben, die sich allgemeiner Zustimmung zu erfreuen haben und über alle Einwürfe erhaben sein möchte.*

Ita profecto est! Quaerunt interpretes, qui theologicis praejudiciis ducuntur, quid formulae dogmaticae, quam alii aliis rationibus moti sequi constituerunt, consentaneum sit, atque omnes librorum sacrorum locos ita, non dico, explicant, sed versant et torquent, ut cum suis opinionibus dogmaticis conspirare videantur. Sic divinae scriptorum sacrorum sententiae absurdis hominum opinionibus, tanquam aurum plumbo, permutantur, et quos divinorum scriptorum mentem explicare oportebat, ii non solum dementer philosophantur, verum etiam suas nugas, ne auctoritate destituantur, divinis scriptoribus supponunt.

Verum enimvero interpretis est, explanare, non, quid sibi placuerit, sed, quid scriptor dixerit. Utrum quod sacer scriptor dixit

---

*) Nunc *Ullmanni* verba fidenter vertas: *praejudicatam* de doctrinâ christianâ, quae literis sacris continetur, opinionem, quam, ut sibi ipsa satis conveniat, cupide exornaveris, diligenterque, ne ab adversariis evertatur, tanquam castra vallo, cogitatione undique saepseris.

suis opinionibus conveniat, an repugnet, interpretem, vel si ingenuus vir erit *historicaeque* veritatis amans, sollicitum non habebit, multo minus autem, si *evangelicus Theologus* non nomine, aut specie, sed ingenio et animo erit, qui, quidquid in libris divinis proditum sit, humanae sapientiae commenta longe superare sibi plane persuaserit. Qui tam libero animo sit, interpreti libros sacros ad suam formulam theologicam accommodare sacrilegium videtur, contra formulam suam theologicam ad divinorum scriptorum dogmata exactam corrigere summa religio est. Sed hoc nullius partis studium, quod summâ laude ornandum erat, nostrâ aetate multi vituperant et exsecrantur. Neque *Ullmannus* id probat, nam p. 174. non sine contemtu commemorat „*Den Standpunkt einer Exegese, die völlig unbekümmert ist, wie sich ihre Resultate zum Ganzen des religiösen und theologischen Denkens verhalten.*" Verum enimvero cujus et religio et theologia librorum sacrorum auctoritati superstructa est, ut hominem christianum decet, is piâ fide amplectitur librorum divinorum decreta, unicam quippe pietatis normam. Qui vero alicujus loci sacri interpretationem idcirco rejicit, quia sensus, quem illa interpretatio fundit, cum formulâ, quam profitetur, theologicâ conciliari nequit, suam opinionem divinorum scriptorum sententiae praefert, Theologorum, quos sequitur, commenta Christi et Apostolorum praeceptis anteponit, hominesque majore honore dignos putat, quam Deum, qui per Prophetas et Christum humanum genus instituit. Atque utinam qui sic animati sunt, ingenuorum hominum exemplum imitati, suas se opiniones divinorum scriptorum sententiis praeferre, candide enuntiare, quam tectorum hominum vel calliditatem, vel fraudulentiam aemulati divina scriptorum sacrorum dogmata in sua commenta improbe detorquere mallent.

Ad instituta revertor. Narrationem de Christo a Satanâ tentato neque parabolam esse, neque speciem Jesu animo oblatam continere, sed rei gestae historiam complecti, *Ullmannus* concessit. Nempe arcte cohaeret res h. l. exposita cum rebus ab Jesu gestis, quibus ubi parabolae immiscentur, id claris verbis declaratur. Quod hoc loco factum non est. Est igitur rei gestae narratio, quemadmodum res gestas continent, quae praecedunt et quae sequuntur. Quod autem Jesus a *spiritu* in desertum actus esse dicitur (ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος), id de spiritu *divino* capiendum est. Apparet hoc ex eo, quod haec verba arctissime cohaerent cum narratione cap. III, 16. 17. de spiritu coelitus ad Jesum allapso. Quamobrem sententiarum nexus hic est: quum spiritus di

vinus in Jesum demissus esset, is spiritus eum, ut in desertum sese conferret, perpulit: quare, ut filio meo carrissimo (vid. ejus Commentar. in Matthaeum), sic mihi quoque monstra narrasse videntur, qui, ut de visione Jesu oblatâ sermo esset, verba *ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος* sic enarrarunt: *videbatur sibi in desertum deductus esse*, cfr. Luc. IV, 1. *Ἰησοῦς πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου· καὶ ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον* —. Postremo *ὁ διάβολος* in hâc narratione procul dubio est *Satanas*, non calumniator quidam homo sceleratus, cui opinioni ego quoque olim contradixi in commentatione: *über das Evangelium am Sonntage* Invocavit in libro *Memorabilien für das Studium und die Amtsführung des Predigers. Herausgegb. von D. Heinrich Gottlieb Tzchirner* Vol. 6. part. 2. p. 102 seqq.

Ven. *Ullmannus* hoc commentum iam pridem explosum non solum refutatione, sed ne commemoratione quidem dignum recte judicavit. Nuper tamen patronum nactum est in libro: *Tübing. theolog. Quartalschrift, Jahrg.* 1828. *St.* 1. 2. Itaque Satanas Jesum convenit eumque, ut lapides in panes converteret, de summo templi hierosolymitani fastigio desiliret, postremo se adoraret, movere conatus est, sed frustra, nam pietas Servatoris hos impios conatus irritos reddidit. Hoc tradunt Evangelistae, qui haud dubie rem ita gestam esse, quemadmodum eam actam esse eorum verba simpliciter declarant, existimaverunt.

Jam quaeritur, quidnam de hâc Evangelistarum historiâ statuendum sit. Judicium a sententiâ suspensum est, quam de universâ Christi historiâ tuleris. Si Servatoris vitam miraculis et portentis refertam esse, et Evangelistarum de miraculis ab Jesu patratis narrationibus fidem habendam tibi persuaseris, ut tibi constes, ea, quae Jesum fecisse Evangelistae narrant, ita evenisse, ut effecta esse illi tradunt, tibi existimandum est. Etenim quum Christum permulta praeter naturae ordinem et perfecisse et expertum esse censueris, nullum tibi miraculum recte incredibile videatur. Temere enim ab illo principio exorsus alia miracula ab Evangelistis tradita probaveris, alia rejeceris.

In alia omnia is abeat necesse est, qui, quum historiam Servatoris, si praecipua ejus capita spectaveris, fide dignissimam esse concesserit, nonnulla tamen, ut in magnorum virorum memoriâ fieri solet, tum admirationem hominum, tum curiositatem diffinxisse ex-

aestimaverit. Nemo enim nescit, in praeclarorum virorum historiâ alia amplificari, alia perverti, nonnulla etiam fingi. Quippe multo minus historica monumenta scriptorum vaniloquentia corrupit, quam hominum magnos viros admirantium credulitas, curiositas et superstitio. Quocirca res magnas et mirabiles, quas Servator et patravit et expertus est procul dubio plurimas, passim sic referri, ut et plura et majora portenta historiae insint, quam in rebus ipsis, quum gererentur, fuerint, neutiquam improbabile videri potest. Quid? quod ne mythi quidem ab historiâ sacrâ plane alieni esse videri possunt. Etenim in summorum virorum quae simplex vidit antiquitas vitis, multa sunt mythica, h. e. ex virtutis eximiae admiratione, virorum optime meritorum pietate, denique superstitione et vanitate orta. Mira est enim hominum curiositas ea quoque scire gestientium, quae exstinctis claris viris sciri nequeant, quum illi viverent, aut per negligentiam aut per invidiam contemta sunt, difficulterque statuas, utrum post excellentium virorum obitum major sit fingentium licentia, quam ficta credentium superstitio. Quare conjecturis indulgent, quibus facta et fata summi cujusdam viri, quae ignorent, sero suppleant plenamque faciant ejus vitam. Talia qui primi excogitant, ea non pro rebus vere factis venditant, sed, conjecturas quasdam suas se proferre dicunt. Mox alii, quibus pro suâ vel immortalis viri admiratione, vel animi vanitate his conjecturis nihil verisimilius videtur, eas in res vere factas convertunt operamque dant, ut earum fama latius manet. Famam autem crescere eundo constat. Sic mythica interpretatio, quam jam diu ante *Straussium*, quum alias, tum hoc loco homines doctissimi utique ineundam esse censuerunt, ab impiae levitatis crimine liberanda est: malo tamen eam, quia mythi vocabulum hominibus christianis offensioni esse potest, cum *Krugio* geneticam dicere, cfr. *Krug's gesammelte Schriften*, *Vol.* 1. *Commentat.* 4.

Alterutra sane sententia ei probanda est, qui sibi constare voluerit; tertia, nescio quae, excluditur. Quae quum ita sint, ne hic quidem cum *Ullmanno* mihi convenit. Nam Vir Doctiss. neque propriam, h. e. historicam narrationis interpretationem, nec geneticam probat, sed utrâque argumentis, nisi fallor, parum firmis impugnatâ, novam videlicet explicationem commendat plane improbabilem. Hoc quale sit, nunc videamus.

Propriam et historicam hujus narrationis interpretationem nullis difficultatibus philologicis laborare, amicisa *Ullmannus* concedit,

sed, permultis aliis argumentis eam infringi, opinatur. Etenim hominem claram actae rei notionem animo suo concipere posse, nec docere, similia aut alibi in libris N. T. prodita esse, aut aliis hominibus historiae et experientiae testimonio accidisse, perhibet. Omnia obscura dicit esse, mira, prodigiosa. Quaeri posse, adiungit, utrum Servator aliquod cum Satanâ commercium ultro inierit, an invitus et coactus. Illud *Ullmanno* arbitro cum Jesu sanctitate conciliari nequit, hoc nimiam in diabolum potestatem confert, quippe qui ipsi Messiae aliquam vim inferre potuisse dicatur. Aut novit Jesus Satanam, aut non novit. Illud si sumseris, Christum illico tentatorem repulsurum fuisse crederes. Quo facto divinus magister semel, non ter tentatus fuisset. Sin Jesus, tentatorem Satanam esse ignoravit, certe parum sollers et perspicax fuit. Tum Christi itinera cum Satanâ facta et ipsa dubitationem *Ullmanno* movent, et quia Evangelistarum de rebus inter proficiscendum actis mirum sit silentium. Offendit etiam Virum Venerandum tum rusticitas, tum stupiditas Satanae, quem veteratorem fuisse acceperimus. Maxime autem *Ullmannus* versu octavo apud Matthaeum nititur, ubi Satanam Servatori omnia orbis terrarum regna eorumque splendorem monstrasse legimus. Quem versum proprie capi plane non posse opinatur. Itaque rationem cupide concludens, si semel, inquit, propria interpretatio in hoc loco exponendo deserenda est, quidni bis, ter, quater deseratur? Ex his, propriam hujus loci interpretationem innumerabilibus difficultatibus, quas expedire frustra coneris, premi, *Ullmanno* elucere videtur *).

Documento est haec disputatio, parum idoneum esse veterum scriptorum interpretem, qui eorum sententias novitiorum hominum, qui nunc undevigesimo post Christum natum seculo vivunt, opinionibus, quam antiquitatis judiciis metiri maluerit. Sic fieri nequit, quin illi perplexa multa videantur, quae antiquitatis peritus planissima esse intelligat. Jam si antiquitati assensus Christi facta et fata *prorsus extraordinaria* fuisse credideris, si et *Christo* et *in*

---

*) Similiter nuper *de Wettius*, qui in libro: *Kurze Erklärung des Evangel. Matthaei* p. 41. hoc scripsit: *Die buchstäbliche historische Auffassung dieser Erzählung, nach welcher der Satan in leibhaftiger Erscheinung auftritt, wobei sich noch* M i c h a e l i s *und* S t o r r *beruhigen konnten, hat* s e l b s t *auf dem* S t a n d p u n c t e *des* w i l l i g s t e n *Glaubens an* U e b e r n a t ü r l i c h e s *zu viel Schwierigkeiten* (?), *als dass sie noch unserer Zeit genügen könnte.*

Christo miracula patranda fuisse, quibus Messiana ejus dignitas comprobaretur, concesseris, postremo si, Evangelistarum scripta fide digna esse, intellexeris, nullo tu negotio difficultates ab Ullmanno motas tollas.

Miraculum refertur Deo permittente *a Satanâ* patratum. Talium portentorum nonnulla in libris sacris habemus exempla, cfr. v. c. Job. cap. I et II. Quare recte Theologi miracula divina et diabolica distinguunt. In hoc igitur male haereas. At omnia in hâc narratione obscura sunt, nostrumque captum superant. Nimirum hoc de omnibus miraculis valet, quorum nullum ex legibus naturae nobis cognitis explicari potest; quin ab his legibus abhorrent iisque repugnant. Prodigiosa igitur tibi in hâc narratione omnia videantur, necesse est, verumtamen non magis portentosa, quam quod Servator in maris superficie, tanquam in terrâ, incessit, aut quod, ut hoc utar, paucis panibus et pisciculis de quinque virorum millibus famem ita depulit, ut peractâ coenâ major esset esculentorum copia, quam ante coenam fuisset.

Diabolum Messiam oppugnavisse, noli mirari, est enim ille Messiae infensissimus ejusque salutaribus consiliis omni modo renititur. Neque enim ignoravit, Dei filium ideo in mundum venisse, ut opera diaboli destrueret, 1 Joh. III, 8. Quare nihil intentatum reliquit, ut salutare Christi opus impediret. Animis auditorum Christi doctrinam divinam eripuit, ne illi fidem habendo felices redderentur, Luc. VIII, 12. Jesum ipsum adortus est, Joh. XIV, 30., Judae Cariothensi consilium Jesum prodendi subiecit, Joh. XIII, 2., omnes Christi discipulos sibi tradi voluit, ut velut triticum eos, quasi cribro concuteret, Luc. XXII, 31.: semper et ubique leonis rugientis ritu oberrat, Christi discipulos, quos devoret, quaerens, 1 Pet. V, 8. Omnes molitur fraudes, neque angeli lucis, summus ipse tenebrio, formam induere dubitat 2 Cor. XI, 14.*) Talis quum esset, nonne e re suâ existimare debuit, Messiam ita tentare, quemadmodum tres Evangelistae memoriae prodiderunt? Agit autem sic cum Jesu, ut

*) Ex his locis patet, quo jure *Schleiermacher*. in libro: *Der christl. Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche im Zusammenhange dargestellt* T. 1. §. 57. hoc scripserit: „*Die Schriften des neuen Bundes stellen nirgends eine eigentliche Lehre vom Teufel auf, oder verweben ihn irgendwie in unserer Heilsordnung* (?).“ Merito huic contradixit *Neander* in libro *Das Leben Jesu Christi* (Hamb. 1837.) p. 282 not. 1.

suae naturae suoque ingenio consentaneum est. Importunus est, temerarius, arrogans, constans etiam, quique sua consilia non destituat, quamquam iterum iterumque repulsus.

Mons ubi fuerit, interrogas, in quo Satanas Jesu omnia orbis terrarum regna eorumque splendorem demonstraverit? Non novi ejus montis situm, sed hoc scio, δεικνύναι h. l. esse *digitis monstrare*, non *verbis describere explanare*. Nam, ut *Fritzschius Palaireto* verissime objecit, sine causâ Satanas altum montem petiisset, si oratione suâ describere orbis terrarum conditionem apud se constituisset. Ergo praealtum montem scriptor animo suo informavit, ex quo totus terrarum orbis conspici posset.

At talis mons nusquam invenitur. Credo, sed, dicendum est enim saepius, non quaeri oportet, quid in rerum naturâ sit, aut vulgari rerum consuetudini respondeat, sed, quae sit miraculorum natura et indoles. Mons autem, qualis h. l. describitur, intelligentiae nostrae vim non magis fugit, quam septem panes et pauci pisces, quibus quum quinque fere millia hominum satiata essent, reliquiae collectae sunt, quibus septem corbes implerentur, Marc. VIII, 8. Igitur aut reliqua Servatoris miracula non minus prodigiosa tolle, aut hâc prodigiosâ re noli offendi. Ceterum *Satanae incantationibus* et *fascino* factum esse, ut ex praealto monte omnia orbis terrarum regna temporis momento conspici possent, Lucas perspicue indicavit cap. IV, 5. verbis ἐν στιγμῇ χρόνου, cfr. *Fritzschii* et *de Wettii* annotatt. ad nostrum locum *).

Satanas autem pro potestate sibi concessâ tantas opes promittere potuit. Causam Luc. IV, 6. his verbis addit — ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται. Recte, nam diabolo ejusque satellitibus omnes, exceptis

---

*) Verum jam *Schmidius* odoratus est in Disputat. *de tentatione Christi in deserto* (Halis 1755.), quae vulgo *Baumgartenio* perperam tribuitur, nam habita est tantummodo Praeside *Baumgartenio*, qui in literis adjectis disertis verbis, non deesse, dicit, in hâc commentatione, in quibus a *Schmidii* placitis paullum differat. Docte autem et accurate *Baumgarten.* ipse hanc historiam tractavit in *textuum evangelicorum interpretat.* Tom. 1. P. 349 seqq. *Schmidio* igitur probabile videtur, „saeviisse callidissimum adversarium in debilitati Servatoris phantasiam eique celerrime atque impetuosissime innumeras easque magnificas imagines objectasse, quas eodem tempore orationis flore exornaverit, ut eum vel hoc modo tum sensibus, tum imaginatione simul infestatis, ne judicii se exserere posset robur, de gradu dejiceret.“ Igitur *Schmidius* rem ad artes Diaboli magicas refert.

Judaeis, subjectae erant nationes eo tempore, quo nondum Messias venisset. Hinc ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων dicitur Joh. XIV, 30., ejusque satellites οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τούτου Eph. VI, 12. vocantur, cfr. *Wetsten.* ad Matth. IV, 10. et *Lightfoot* ad Joh. XII, 31.

Si quaeras, qui factum sit, ut quadamtenus Servator Satanae aures praeberet eique viae duci comitem se adjungeret, causa in promtu est. Quum Messias publice proditurus esset, recte Satanae, quam esset infirmus, quam inops, et quam inanes fraudes essent, quibus se circumvenire conaretur, ostendit. Satius erat, ex hâc pugnâ victorem abire, quam pugnam detrectare.

Sed instas quaerendo, quid inter proficiscendum egerit Christus cum Satanâ, quosque sermones habuerint? Nimis curiosus es; nihil enim de his rebus in Evangelistarum Commentariis perscriptum est, quos brevissimos esse plurimaque, quae scire homines curiosi voluerint, silentio praetermittere, nemo nescit. Conjecturis autem indulgere in rebus, quas nullâ conjecturâ assequaris, nugari est et cum consilio insanire, quod profundos interpretes decet, non me.

Qui ita mecum disputat, prorsus sibi constat ut biblicus Theologus, h. e. talis, qui, quum librorum sacrorum auctoritate standum esse decreverit, non solum doctrinae, sed etiam historiae sacrae fidem habeat.

Usterium mythicae interpretationis fautorem recte *Ullmannus* impugnavit et quae ille in libro: *Studien und Kritiken* 1832. Part. 4. ad illustrandam nostram historiam disputavit, partim refutavit. Non item *mythicam hujus loci interpretationem* evertit: nam quae nuper *Straussius* in libro: *Das Leben Jesu kritisch bearbeitet* Tom. 1. §. 52. scripsit, ea longe probabiliora esse placitis Usterianis, *Ullmannus* quoque (l. c. p. 170.) intellexit. Talis historia facile fingi et in antiquissimo Christianorum coetu per manus tradi poterat. Erat quippe pervulgata Judaeorum opinio, Satanam omnem daturum esse operam, ut salutaribus Messiae consiliis noceret, sed frustra. Id ipsum Jesu, si quidem Messias fuerat, non potuerat non accidisse. Quum igitur in eo esset, ut munus salutare docendo iniret, Diabolus sese commovit, regulam sequutus: *principiis obsta.* Haec initio nonnullis et Satanae ingenium e Messiae officium intuitis admodum credibilia visa sunt. Sed paullo post alii, ut fit, illorum modestas

conjecturas magis ab se exornatas pro rebus gestis venditaverunt, eorumque sententiam Evangelistae cum fide memoriae prodiderunt. Et multa sunt, quae hominum rem utique gestam agnoscentium sententiam illius aetatis hominibus valde commendare potuerint.

Tentati sunt Abrahamus, Jobus aliique illustres majores, quî igitur Messias intentatus fuerit?

In deserto loco Christus a Satanâ tentatus esse dicebatur. Scilicet nullus tentationi locus aptior videri poterat, quam horridum et asperum desertum, ubi suas sedes habere genii mali putabantur, Matth. XII, 43. Ibi merito commoratus est Servator totidem dies, atque Moses et Elias in deserto transegerant*). Satanas autem ita agit, ut eum decebat, vide supra, item Servator, qui animam suam sanctissimam patefacit suaeque personae dignitatem ita tuetur, ut Satanas ad incitas redactus abire coactus fuerit, quo profligato angeli cibis Messiae extemplo subvenerunt.

Originem piae famae vides, nihilque fieri potest *geneticâ*, ut cum *Krugio* loquar, hujus loci explicatione planius. Sed modum excessisse *Straussium*, qui omnes fere Evangelistarum narrationes in mythos converterit, certum est et ab omnibus, qui de *Straussii* libro publice sententias dixerunt, agnitum, quamquam in iis, qui *Straussium* impugnarunt, non ita multi mihi innotuerunt, qui illum docte refellerent. Quod non nisi viro et probe docto et ingenioso et nullis praejudicatis opinionibus obnoxio ex voto succedet. Videlicet piis lamentationibus, impiis calumniis**) et confusis ineptisque disputationibus nihil efficitur.

---

*) Profundiores causas, quare Christus in *deserto* tentatus sit, *Schmidtus* l. c. p. 28 seqq. has commemorat: 1) ut tentatio eo gravior esset, 2) ut satisfaceret pro hominibus in solitudine, remoto omni arbitro, peccantibus, 3) ut vires acquireret iis, qui in solitudine varie tentati vincere volunt.

**) Fuit adeo, qui *Straussium* in malam crucem abstrahendum existimaret, nimirum in majorem Dei atque Servatoris gloriam. Ecrasez l'infame! Nam in ephemm. *evangel. Kirchenzeitung Vorwort* N. 6. p. 90. 1836 haec leguntur: „*Wollte er (Strauss) mit der Sprache herausgehen, so müsste er gegen das Christenthum dieselbe Stellung einnehmen, welche schon so viele neuerlich und vor ihm Voltaire und der Fragmentist, so müsste er es mit demselben glühenden, unversöhnlichen Hasse verfolgen, mit dem wir seine Teufelslehre, so müsste das* écrasez l'infame *sein Wahlspruch sein, wie es der unsrige ist.*" Ita illi, qui

Sed ex eo, quod *Straussius* modum excessit, non sequitur, hujus narrationis interpretationem viro doctissimo et acutissimo non ex voto cessisse.

Quod autem *Ullmannus* p. 170. his verbis dixit:

> *„Für meine Ueberzeugung stehen die Grundbestandtheile der evangelischen Geschichte fest, ich kann also nicht mitten hinein, besonders in die messianische Lebensperiode, einen Mythus setzen,“*

id parum, aut nihil potius valet ad geneticam explicationem infirmandam. Nam summa rerum a Servatore gestarum, quam Evangelistae tradunt, verissima esse potest, quamvis nonnulla in his narrationibus occurrant ex genere mythico.

Quorsum vero haec omnia? Scilicet ut intelligatur, *illos etiam sibi constare*, qui mythicam interpretationem *hujus quidem historiae* tuentur.

Venio nunc ad *Ullmanni* de hoc loco placita. Quo judice, quae perversa atque prava animo informata quibus de causis Servator repudiaverit, h. l. exponitur. Jesus trium actuum fabulam fecit, et nequitiae et honestatis actore constituto. Nimirum pravas cogitationes sibi obortas Diabolo tribuit, quem ad se accessisse et secum colloquutum esse fingit; contra pravorum consiliorum repudiationem ipse suscepit, ejus, qui Satanam refutaret, partibus sumtis. (*„Es ist ein innerer Erfolg, aber bei klar bewusstem Geiste* (non ecstasis, neque somnium), *welcher in der Vorstellung objectivirt ist.“)*

Ineptae Judaeorum de Messiâ opiniones non ignotae erant Servatori. Sic igitur secum meditatus est: quum populares mei, has res admodum absurdas et impias Messiam effecturum esse, opinentur, eae mihi, ut eorum votis respondeam, obeundae sint. Verum procul absit a me talis temeritas et impietas!

Evangelicorum nomen et auctoritatem sibi solis arrogant. Utinam profundus interpres isque evangelicus nobis diceret, quomodo ejusmodi voces, haereticae pravitatis quaesitore summo *(Grossinquisitor)* dignissimae, cum Joh. XIII, 34, 35. Eph. IV, 15. aliisque N. T. plurimis locis conciliari possint.

Apponam ipsa Viri Doctiss. verba. Ita ille p. 176:

„*Jesus theilte den Jüngern in der anschaulichern Form eines* ä u s s e r n *Vorgangs die in seinem* I n n e r n *vollzogene Verwerfung der falschen Messiasidee mit, zugleich mit Hervorhebung der Motive, die ihn dabei geleitet hatten, theils um ihnen zu sagen, welche höchste Grundsätze er selbst vom Beginn seines Wirkens im Gegensatze gegen den Geist der Welt unverbrüchlich befolgt habe, theils um sie dadurch* i n d i r e c t (sane *oblique* et *admodum oblique!*) *zu belehren, dass auch sie dieselben Maximen zu befolgen und dieselben Versuchungen zu bestehen haben würden. Die Apostel fassten* v o r z u g s w e i s e (?imo unice) *das Thatsächliche der Mittheilung auf, den innern Triumph Jesu, die Bewährung seiner Siegerkraft in jeder Prüfung, und stellten sie daher ganz angemessen gleichsam als Portal an den Anfang des messianischen Wirkens Jesu, um zugleich den Geist seiner gesammten Thätigkeit zu bezeichnen* (at Evangelistas existimasse, rem ab ipsis relatam ab Jesu et Satanâ vere gestam esse, non *rem gestam esse* ***simul*** *fabellam!* supra vidimus). *Es ist die innere messianische Weihe, wie die Taufe die äussere. Dabei mögen in der Fortbildung der Tradition einzelne Züge hinzugethan worden sein, aber das Wesentliche können wir unbedenklich von Jesu ableiten.*" — P. 107. „*Solche Objectivirung einer innern Thatsache in der anschaulichen Form eines äussern Hergangs ist der orientalischen, namentlich der hebräischen Mittheilungsweise nicht fremd. Wenn Jesus sagt* (Luc. X, 18.), *ich sah den Satan vom Himmel fallen, wie einen Blitz, so ist auch eine innere Anschauung als äusserliche dargestellt.*"

Nihil est hoc amiciss. *Ullmanni* placitum nisi ingeniosum opinionis jam pridem explosae temperamentum: *quae in Matthaeo et Lucâ Satanas ad Christum verba dirigeret, consilia complecti, quae Christus grave Messiae munus initurus prave animo suo volvisset, sed paullo post ut nefaria recte respuisset.* Ita ***Thaddaeus*** in libro *die Versuchungsgeschichte Christi erläutert und von Widersprüchen gerettet. Bonn* 1794., *de* ***Ammon*** *bibl. Theologie* Vol. II. p. 317., *Flattus* in libro: ***Süsskind*** *Magazin für christl. Dogmatik und Moral* Fasc. 15, alii, quibus merito ***Fritzschius*** in Commentar. ad Matth. p. 174 seq. contradixit.

Ac primum quidem, ut e multis argumentis, quae Ven. *Ullmanno* recte objicias, pauca afferam, non docuit V. D., quod ei

accurate demonstrandum erat, esse in more vel N. Test., vel posteriorum scriptorum gentis judaicae positum, ut, si honesta vel prava aliquem animo suo volutasse consilia narraretur, rem sic conciperent: accessisse *ipsum*, ut ejus corpus contrectari posset, vel Spiritum sanctum, virtutis, vel Satanam, pravitatis praesidem et magistrum, cfr. *Fritzsche* l. l. Quae quidem res vel per se parum probabilis est. Fuerunt enim Jesu et Apostolis eorumque aequalibus Spiritus sanctus et Satanas non, ut ii credunt, qui divinorum scriptorum sententias novitiis nostrorum hominum sententiis accommodare suae pietatis esse putant, *imaginaria* numina, sicut nobis Honos, Victoria, Spes et similia, sed *vera* numina, quae et essent, et ad homines venirent eosque gubernarent.

Quamobrem qui tum, pravam sibi cogitationem obortam esse, significaturus ita dixisset: venit ad me Satanas et in colloquio mecum facto turpia mihi suasit, inepte loquutus esset. Nemo enim non, verbis *proprie* intellectis, Satanam *ipsum* ad illum hominem accessisse et colloquium cum eo seruisse, credidisset. Scite igitur *Straussius* monuit, Servatori, si illud sibi voluisset, sic dicendum fuisse, quum Diabolus *menti meae* turpia consilia suggessisset (cfr. Joh. XIII, 2.), ego ea ex animo meo ejeci.

Quae autem *Ullmannus* loca attulit, ut ostenderet, N. T. scriptores res intus in animo peractas ita declarare, ut eas visas, animadversas et vere gestas esse contendant, rem minime comprobant. Quod enim attinet ad Luc. X, 18. ἐϑεώρουν τὸν Σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα non sane dixerim, *Deum, Satanae vim celerrime fractum iri, per ambages declaraturum,* rem ita instituisse, ut Jesus tantâ eum, quantâ fulmen deferri solet, celeritate de coelo delabi, *oculis viderit,* quemadmodum patefacto coelo Spiritus sanctus, ita ut ab hominibus conspiceretur, in Jesum delatus est, *ne homines, Jesum esse Dei filium, ignorarent,* Matth. III, 16. 17. Neque enim Satanas in coelo sedem suam habet. Imo πίπτειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ut similes formulae *digito coelum attingere,* Cicero ad Attic. II, 1. 7., *aliquem de coelo detrahere,* Cicero Philipp. II, 12. 107. al. *figurata* dictio est, *de summo honoris potentiaeque gradu dejici* denotans. Nec haec a libris sacris aliena, cfr. Jes. XIV, 12. et quae ad h. l. annotarunt *Gesenius,* Collega carissimus, et Ven. *Hitzigius,* inprimis Matth. XI, 23. καὶ σύ, Καπερναούμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωϑεῖσα, ἕως ᾄδου καταβιβασϑήσῃ, ad quem locum similes ex exteris scriptoribus formulas *Elsnerus* et *Kypkius* laudarunt. Huic dictioni verbum (ἐϑεώ-

ϱουν), *ne similitudo temere desereretur*, accommodandum erat, idque eo magis, quia Jesus hâc similitudine usus est ὡς ἀστραπήν. Nam *rem fulminis ritu de coelo decidisse*, nullo sensu, nisi *oculorum* judicio cognoscas. Quare quum *tota* loquutio *figurata* sit, verbum θεωρεῖν ad mentis aciem referendum esse, patet, atque de hoc loco sic judicandum est:

> Quum septuaginta discipuli ex itinere reversi non sine gaudio, *vel mali daemones tuâ nobis auctoritate paruerunt*, Jesu narrassent (v. 17.), Servator (mente) *videbam*, inquit, Satanam, malorum daemonum principem de coelo praecipitare, h. e. *mente videbam* (= bene noveram, scilicet, *quum vos legarem*, quare non temerè vos legabam; attende ad Imperfectum ἐθεώρουν), summas Satanae opes temporis momento ad nihilum recidere (v. 18.). Quibus concussis omnem Satanae exércitum pedibus conculcare sine ullo detrimento vobis licet.

Quae quum ita sint, a vero aberravit *Ullmannus*, h. l. menti oblata rerum sensibus perceptarum historiae includi, opinatus. Imo θεωρεῖν *mente cernere* h. e. *intelligere* notat, idque verbum Jesus idcirco posuit, ut cum figuratâ dictione πίπτειν ὡς ἀστραπὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ congrueret. Vitiosum est enim, verbum ponere, quo vel metaphoram, vel allegoriam destituas.

Non magis probo, quae Vir Doctiss. p. 107. ***) scripsit: „*Auch in der Schilderung des Weltgerichts als äusserlichen Hergangs Matth. XXV*, 31. *ff. ist symbolische, individuell vergegenwärtigende Objectivirung anzuerkennen.*“ Quod quale sit, non intelligo. Nonne h. l. Jesus dicit, quid, *se de coelo reverso*, *vere futurum sit?* Nimirum procul omni dubio de reditu suo *sensu proprio*, non *figurato* sermonem se instituere, res ipsa loquitur. Quemadmodum autem Christi de coelo reditus *proprie*, non *figurate* intelligendus est, ita etiam res cum eo conjunctae *proprium* intellectum habeant necesse est, neque attento N. T. lectori dubium esse potest, ut Christi de coelo in terram profectionem, ita omnia ei adjuncta, ut archangeli celeusma (1 Thess, IV, 16.), tubae clangorem, angelos comites, sellam judicis, judicium, proborum hominum absolutionem, improborum condemnationem et in geennam amandationem proprie capienda esse. Antiquiores Theologi hoc optime intellexerunt, atque locum de reditu Christi in libris dogmaticis ad normam N. T. locorum sensu proprio adornarunt, cfr. *Gerhardi* loci T. XIX. p. 105 seqq.

Quae autem Ven. *Ullmannus* de sensu singularibus Satanae postulatis apud Matthaeum et Lucam subjiciendo scripsit, tum demum valere possent, quum hoc Judaeos vulgo Christi aetate in Messianae dignitatis documentis posuisse, *ut Messias lapides in panes converteret, de templi hierosolymitani fastigio desiliret et Satanam adoraret*, ostendi posset. Hae vero ineptiae quî Satanae in mentem venire potuerint, patet, vide supra, non item, quî eas Judaei magno consensu mente concipere potuerint.

De primâ tentatione *Ullmannus* p. 108. haec: „*Die erste Versuchung bestand darin, ein Wunder zu thun zum eigenen Vortheile und zur Befriedigung eines sinnlichen Bedürfnisses.*“

At hanc philosophicam sententiam vix percepturi fuissent Apostoli, nisi Judaei, quod non speraverunt, vulgo expectassent, fore ut *Messias lapides in panes converteret*; et ut illam intelligere potuerint, quî tandem factum est, ut ea *lapidum in panes conversione* ab Jesu declararetur?

Quod Vir Doctiss. paullo post scripsit: „*Sie (die Juden) setzten bei ihm eine Ausrüstung mit ausserordentlichen Kräften voraus, und konnten ihrem fleischlichen Sinne gemäss nicht anders denken, als dass er damit zunächst sich selbst helfen, seine Bedürfnisse befriedigen würde. — — Diess war unbezweifelt die Messiasidee der Zeitgenossen Jesu, und sie drückt sich nun nach ihren Hauptbestandtheilen in den einzelnen Versuchungsacten auf eine characteristisch lebendige Art aus*,“ nihil probat, nisi hoc, Virum Venerandum difficultatem a nobis motam ipsum sensisse.

Sed quae obvertimus, multo magis in ea valent, quae sequuntur: „*die zweite (Versuchung war) ein Schauwunder zu verrichten, um gleichsam durch sinnliche Ueberwältigung die Menschen von seiner Messianität zu überzeugen.*“

Multis modis spectaculum, quod plebi judaicae summam admirationem injiceret, ab Jesu edi potuit: cur igitur Servator, ut de templi fastigio desiliret, flagitantem Satanam introduxit?

„*Die dritte (Versuchung war), ein politisches Messiasreich zu gründen und die geistige Einwirkung durch Macht und Herrschaft zu unterstützen.*“ — Et p. 109.: „*Endlich will (der Erlöser) am wenigsten ein irdisches Messiasreich gründen, wie lokkend die Aussichten zu grossen Erfolgen auf diesem Wege auch sein mochten, weil er dadurch dem heiligen Gotte untreu werden, in Gemeinschaft mit dem Bösen und in Unterthänigkeit gegen dasselbe treten würde.*“

Non possunt Evangelistarum verba Matth. IV, 8. 9. Luc. IV, 5. 6. hanc sententiam habere, nisi Judaei Messiae totius terrarum orbis imperium *hâc lege* portenderint, *ut Satanam adoraret.* Alioquin absurdum est iter in praealtum montem susceptum, absurda est omnium regnorum, quae oculis lustrarentur, subjectio, absurda sunt Satanae postulata et promissa. Sed cui Judaeorum tale quid in mentem venire poterat? Si vero impietatem Satanam adorantium obominati sunt, quod non facere non potuerunt, id ipsum detestati sunt, quod Servator se detestari h. l. professus est, et quî Jesus popularium errorem, qui nullus fuisset, impugnare potuisset?

Tum precario *Ullmannus,* Evangelistas hanc historiam e Christi narrationibus hausisse, sumsit. Ne apice quidem hoc Matthaeus et Lucas adsignificarunt. Quod V. D. p. 177 seq., rei pro arbitrio sumtae vanitatem excusaturus, non solere Evangelistas fontes, ex quibus suas res hausissent, indicare, observavit, id nullam vim habet. Nam quae divinus Magister *dixerit,* in Evangelistarum commentariis plerumque accuratissime indicatur.

Postremo me etiam in eo haerere fateor, quod *Ullmanni* interpretatione admissâ Apostoli et Evangelistae Jesu mentem perperam interpretati essent. Hic enim, ut vidimus, Christi tentationem haud dubie rem Jesum inter et Satanam vere gestam esse, censuerunt. Nihil autem eâ interpretandi ratione vanius est, quâ ultra tuum scriptorem sapias, eumque rem parum recte intellexisse contendas. Quum enim plurima fingipossint, infinita, ubi te opinandi temeritati tradideris, sit fingendi licentia, necesse est, neque eorum, quae temere finxeris, quia idoneis argumentis probari nequeunt, ullus fructus est.

Addo hoc unum, amiciss. *Ullmannum* in hâc interpretatione secum parum congruere. Evangelistas enim Magistri hâc de re mentem modo recte, modo male exposuisse dicit. Namque p. 177. legimus: *„Die Apostel fassten vorzugsweise das Thatsächliche der Mittheilung auf, den innern Triumph Jesu — und stellten sie daher ganz angemessen — an den Anfang des messianischen Wirkens, um* zugleich den Geist seiner gesammten Thätigkeit zu bezeichnen, *es ist die innere messianische Weihe, wie die Taufe die äussere.“*

Recte igitur rei ab Jesu traditae summam perceperunt. Sed pergit V. D.: *„dabei mögen in der* Fortbildung der Tradition *einzelne Züge hinzugethan worden sein, aber das We-*

sentliche können wir unbedenklich von Jesu ableiten," et in subjectâ notâ — *„Dabei bleibt es immer auch möglich, dass die Darstellung, wie sie aus dem Munde Jesu kam, eine verständlichere und überhaupt vollkommnere Gestalt hatte, und durch die Relation für uns mehr Schwierigkeit bekommen hat."* Itaque Matthaeus Apostolus et Lucas Evangelista nonnulla et traditione hausta addiderunt, quibus Jesu narrationem vel corrumperent, vel certe obscurarent.

Ita historia confecta est, quae non sit historia, sed quasihistoria, narratio, quae partim profunda sit, quippe ab Jesu Apostolis proposita, partim non profunda, quum eam hominum sermo depravaverit, postremo fabula ad edocendos discipulos ab Jesu composita, sed quae non sit fabula, imo quasifabula, quum Apostoli rem sibi a Magistro narratam potissimum spectaverint.

Ad *Ullmanni* interpretationem ea proxime accedit, quam Ven. *Neander* in libro *das Leben Jesu in seinem geschichtlichen Zusammenhange und in seiner geschichtlichen Entwickelung* (Hamburgi 1837.) p. 92 seqq. nuper proposuit. Is enim de hâc narratione idem valere dicit, quod *Nitzschius* (*System der christlichen Lehre* §. 106.) de historiâ Gen. III, 1 seqq. expositâ affirmavit, esse hanc historiam non *vere factam*, sed *veram* (*die Versuchungsgeschichte ist in dieser Form keine wirkliche, aber wahre Geschichte.*) Nimirum narratio de Christo a Satanâ tentato quum leges, quas Servator in munere gerendo sibi religiose servandas scripsisset, nobis aperiat, e genere didactico est: nihilo secius huic narrationi res facta subest, quae ita tractatur, ut adumbrandis iis, quae docenda essent, egregie inserviat, quare et sententiarum et historiae, non simpliciter quidem, sed per ambages traditae veritatem eâ contineri, recte dixeris.

Verba *Neandri* sunt: *Die Versuchungsgeschichte enthält nicht allein eine idealische, sondern auch eine historische Wahrheit, aber eine solche, welche in einer symbolischen Form mitgetheilt worden.* — Et p. 101. *„Christus hat den Jüngern und der Kirche durch sie nur eine fragmentarisch symbolische Darstellung von Thatsachen seines innern Lebens in jener Vorbereitungsepoche mitgetheilt, eine für das practische Bedürfniss der Kirche berechnete Darstellung, dass sie dazu dienen sollte, die Jünger und die Kirche gegen solche Versuchungen des Weltgeistes zu verwahren,*

welchen oft, was zuerst vom Geiste Gottes ausgegangen war, indem es in ein weltliches verkehrt wurde, unterliegen musste.“

Jesus baptismo ab Johanne lustratus in desertum se contulit, ut de munere suo meditaretur. Ibi et quae sibi peragenda et quae sanctitatem suam tentatura essent perpendit. Habes rem vere factam. Sed quae de tentationibus ab se superandis salvâ ἀναμαρτησίᾳ cogitavit, ita proponuntur, ut diabolus ad eum accessisse eique impia consilia suppeditasse fingatur. Impia vero quaevis et voluntati divinae inimica Servatorem abominari, eumque in regno divino constituendo non nisi Dei mandata exsequi velle, id sic illustratur, ut, quomodo impia Satanae consilia rejecerit, exponatur. Habes formam symbolicam.

Proprie hanc historiam neutiquam explicari posse, vel e tertiâ tentatione intelligitur, de quâ Vir. Ven. p. 97. haec scripsit: *„Als Inhalt des dritten Moments der Versuchung müssen wir aber nicht etwa diess betrachten, dass dem Erlöser der Antrag gemacht wurde, vor dem Satan niederzufallen und ihm zu huldigen, um von ihm die Herrschaft über alle Reiche der Welt sich übertragen zu lassen. Es bedurfte ja nicht einmal eines besondern Grades der Frömmigkeit, um einen s o l c h e n Antrag zurückzuweisen, sondern wir müssen uns beides zusammen denken: das Messiasreich gründen als ein äusserliches Weltreich in irdischer Herrlichkeit und dem Satan huldigen, wenn auch nicht auf eine ausdrücklich ausgesprochene Weise, doch durch eine Handlungsweise, welche Christus mit einer dem Satan geleisteten Huldigung gleichbedeutend setzt. Die Versuchung besteht darin, das Reich Gottes nicht als reingeistiges von innen heraus allmählich sich entwickeln, sondern es als ein äusserliches Weltreich einmal erscheinen lassen zu wollen, was nur geschehen könnte durch Anwendung schlechter Mittel, welche durch den guten Zweck geheiligt werden sollten. Es liegt also darin, dass das Messiasreich als ein äusserliches Weltreich stiften wollen nichts Anderes sei, als aus dem Reiche Gottes ein Reich des Bösen machen wollen, die Zurückweisung jeder Art der Verwirklichung des Reiches Gottes, wie jeder Art der Huldigung, welche dem Bösen dargebracht werden musste, um einen s o l c h e n Zweck zu erreichen. Der Grundsatz, das Werk Gottes zu vollbringen rein als Werk Gottes, mit der Kraft Gottes allein, ohne Einmischung irgend welcher fremdartigen Mittel, so dass Alles nur ein Theil der Gott allein dargebrachten Huldigung sei.“*

Fuerunt sane in his tentationibus nonnullae diaboli partes, sed quae fuerint nemo dixerit *).

Pie haec omnia disputata sunt, sed parum recte. Nam primum quidem hanc narrationem proprie intelligendam esse, pro arbitrio V. D. negavit. Allegoriam enim, aut parabolam ab Evangelistis tradi, quum hujus rei nullum totus locus contineat vestigium, temere statuitur. Quae v. 8 seqq. perscripta sunt *Neandro* aliisque nunc parum placere, non mirum est: sed Evangelistis eorumque aequalibus satisfacere potuerunt, quod interpreti sufficere debet. Deinde hujus narrationis argumentum mythicam s. geneticam interpretationem non recipere, confidentius quam verius p. 93. V. D. contendit. Nam quae h. l. de Satanâ ejusque malâ in Jesum voluntate leguntur, cum Judaeorum, qui Jesu aetate vixerunt, opinionibus prorsus congruere, supra vidimus. Denique tota de hâc narratione sententia ex vano hausta est. Rem longe aliter gestam esse, quam Evangelistae enarraverint, V. D. perhibuit. Sed unde rescivit, ita rem evenisse, ut sibi persuasit, quum Evangelistarum auctoritatem deseruerit, indicia autem, quae, Evangelistas vera cum falsis commiscuisse et narrationem ex historiâ et parabolâ mire temperatam conflasse, ostendant, attulerit nulla? Eas diaboli partes fuisse, quas Evangelistae ei dederunt, V. D. negat, *aliquas fuisse*, asseverat. Sed si Evangelistae eas Satanae partes dederunt, quas non egisset, unde tandem tibi constat, *aliquas* illum tum partes obiisse? Eodem jure, *nullas* ab eo tum partes susceptas fuisse, affirmes.

Porro *Neandri* sententia Evangelistarum narratione multo obscurior est. Quaenam Satanae in Jesu tentando partes fuerint, Evangelistarum auctoritatem sequuto perspicuum est, quod prorsus nescit *Neander*, qui *aliquas* Satanae partes fuisse jacit. Et fac, *Jesum* hanc historiam ita, ut eam Evangelistae literis consignarunt, discipulis hoc consilio narravisse, ut, quae sibi in ipsis muneris auspiciis pie proposuisset, iis per ambages traderet, ne sic quidem omnes difficultates sublatae sint. Nam parum sapienter Jesus narrationem, quae partim historia, partim parabola habenda esset, ita

---

*) P. 101. „*In wiefern und auf welche Weise nun aber auch wirklich jener abgefallene Geist hierbei mitwirkte, um Denjenigen, der gekommen war, das Reich des Bösen zu zerstören, von dem rechten Wege seiner Wirksamkeit, ehe er dieselbe begann, abzuführen, darüber können wir nichts weiter bestimmen.*"

conformasset, ut auditores, eam totam nihil nisi historiam complecti, non possent non existimare. Omitto alia. Non enim sibi consentit V. D., quum miraculum in Satanae congressu, colloquio et itineribus positum respueret, alia miracula mordicus tueretur, Satanam *esse*, concederet, sed eum talem esse, qualem libri sacri esse docent, negaret. Et quam V. D. sententiam ex v. 8 seqq. extricavit, ea ejusmodi est, ut ex Evangelistae verbis erui nequeat. Hoc non est interpretari, sed philosophari, non docere, sed pro arbitrio sumere, quae opinionibus tuis conveniant.

Sed quod Ven. *Ullmannus* Servatori ἀναμαρτησίαν utique tribuendam esse quum in hoc libro, tum alibi (vide *Studien und Kritiken* 1835. part. III seqq.) disputavit, omnino probo. Nam est Jesu ἀναμαρτησία Evangelii fundamentum. Neque enim generis humani Servator Jesus esset censendus, qualem Apostoli summo consensu describunt, h. e. unicus et qui nunquam non se Deum inter et homines interponat mediator, peccatorum expiator, aeternaeque salutis auctor, nisi peccatorum plane immunis fuisset, nec summa bona ab eo recte speraremus, ejusque merito jure niteremur. Accedit, quod Evangelium tam fructuosum esse tantumque ad beandos innumerabiles homines valere, ut non minimam generis humani partem prorsus immutaret, non potuisset, nisi hominum christianorum animis firma semper sententia insedisset, Servatorem nullum peccatum patrasse, nullumque improbum verbum ore emisisse 1 Pet. II, 22. Sed haec disputatio dogmaticum refert, non historicum. Quamquam argumentis dogmaticis in hâc quidem disquisitione nos supersedere non posse, *Ullmannus* quoque his verbis observavit: *obwohl hier die historische Betrachtung, wie diess beim Apologetischen nicht wohl anders sein kann, in das speculative Dogmatische hinübergreift.*

Ἀναμαρτησίαν quidem magistrum sibi non tribuisse, supra vidimus. At Apostoli eam disertissimis verbis Servatori vindicarunt: quare rei cardo in eo vertitur, ut idonea argumenta suppetant, quibus ducti Apostolorum verbis fidem habeamus. Quae suppetunt, si divinâ Servator auctoritate splendet, qui legatos suos decretorum divinorum interpretes esse voluit ab errandi periculo, quoniam a spiritu divino regerentur, liberos. Splendet autem ille divinâ auctoritate, si prophetarum vaticinia et Jesu miracula idonea, quibus divina Christi legatio comprobetur, argumenta sunt. Hâc igitur

omnia redire, constantissime affirmo, quamquam non ignoro, haud paucos hodie reperiri theologos, profundos etiam atque ejusmodi viros, quos tum rationalistas mysticos, tum allegoretas rationalisticos apte nomines, quibus hoc argumentum *obsoletum* et non satis dignum theologi personâ, qualis hodie esse debeat, videatur. Qui si sibi constare volunt, ipsum Evangelium *obsolevisse*, fateantur necesse est. Quid enim? num aliis argumentis, se Messiam esse, Servator docuit, num aliis Apostoli, ut, Jesum Messiam fuisse, ostenderent et Evangelio fidem facerent, uti *potuerunt?* Minime. Nam doctrinae christianae fundamentum hoc dogma est: *Jesus est Christus, Servator ille hominibus per prophetas promissus.* Num hoc aliter doceri poterat, nisi sic, ut Jesu facta, fata, vitam denique ipsam messianis oraculis accuratissime respondisse demonstraretur, cf. Act. II, 22 seqq. cap. XIII, 29 seqq. all.? Originem coelestem auctoritatemque filii Dei sibi vindicavit Servator. Num alio argumento hanc rem confirmare poterat, quam patrandis miraculis, quae nemo patrare potest, *ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ* Joh. III, 2? Num argumentum doctrinae christianae cum humanae rationis legibus amicissime conspirans summaeque veritatis laude commendatum eo nos perducere potest, ut divinum magistrum sane *Dei filium, qualis Jesus in Novo Testamento fuisse perhibetur,* fuisse credamus? At inepta est conclusio: qui praestantissimae doctrinae auctor exstiterit, ei divini legati et filii Dei, *qualis Jesus in Novo Testamento fuisse perhibetur*, dignitas utique competit. Minime vero, quin confirmanda erat divina Christi auctoritas miraculis, quibus editis Deus Jesu divinam fidem adjecit eique tanquam regium sigillum impressit, Joh. VI, 27. Non sum nescius, Servatorem etiam argumentis, quae ratio suppeditat, uti, v. c. in refutandis malevolorum hominum calumniis, ut Matth. XII, 25 seqq., tum ad sensum moralem hominibus naturâ insitum provocare, cf. Matth. VII, 12., eundemque Joh. VII, 17. dicere, vim divinam doctrinae ab se traditae unumquemque experiundo cognoscere posse, modo voluerit voluntati divinae obsequi*); verum

*) Hic locus iis minime adnumerandus est, ubi Servator doctrinae suae commendationem inde petit, quod sua praecepta cum *rationis* humanae legibus amicissime concordent. Imo quicunque Dei praeceptis parere animum suum induxerit, eum doctrinam ab se traditam non se excogitasse, sed a Deo accepisse facile cogniturum, Jesus affirmat. Quippe vir sanctus sancta Dei praecepta ab Jesu proposita nullo negotio agno-

enimvero ejusmodi argumentis adhibitis neque ipse, neque ejus Apostoli efficere voluerunt, Jesum omnino *Dei filium* colendum esse. Ubi enim dixit divinus magister, ideo sum Dei filius, *quia doctrina mea verissima est et rationi unice congrua*, aut ubi tale quid Apostoli affirmarunt? Ne multa, externa argumenta hâc in re *unice* valent, neque nos diutius genuinum, h. e. quale in ipsis libris sacris traditur Evangelium habebimus, quam haec argumenta valebunt. Quae si ab iis rejiciuntur, qui in fide christianâ omnia ad rationis dictamen referunt atque in N. T. decretis ea tantummodo valere, quorum veritas e rationis principiis doceri possit, sibi persuaserunt, non equidem nego, hos etiam in sententiâ de Servatore ejusque doctrinâ ferendâ perbene sibi constare posse. Hi vero uti summam Jesu Christi innocentiam et virtutem plane singularem maximis laudibus merito extollunt, atque sanctissimum omnium, qui unquam vixerint, Jesum Nazarenum praedicant, ita *ἀναμαρτησίας*, quae vere sic appelletur, ornamentum ab eo alienum esse ingenue fatebuntur.

Sed ut interpretatio loci, quem in hâc commentatione tractavimus, incerta sit, illud certissimum est, quod Apostolus summâ Christi familiaritate usus scripsit: *εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου*, 1 Joh. III, 8. Diaboli autem operibus vitiositatis vim indicari, negari nequit, quum Apostolus in proxime praegressis, diaboli progeniem esse, aut ejus indolem referre eum, qui peccet, contendat, quandoquidem diabolus inde a rerum primordiis peccet (*ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστιν, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει*). Verissime! nemo enim nescit, quaecunque Servator docuit, perpessus est, instituit, tum olim fecit, tum etiamnum facit, eo tendere, ut homines ad vitae integritatem, quâ destitutus nemo cum Domino versari ejusque aspectu frui possit (Hebr. XII, 14.), adduceret et piorum hominum familiam sibi veluti sponsam pararet venustam, omni maculâ, rugâ, aliâve labe carentem, sed quae sancta esset omnisque vitii expers (Ephes. V, 26. 27.). Vana est igitur fides, quae vitae integritate scelerisque puritate destituta sit, vana fidei professio, vana, quae

---

scit: videt enim ea cum iis legibus pulcerrime concinere, quas homo pius sanctitatis divinae reverentiâ sibi ipse imposuerit. Animum adverte ad verba *ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ποιεῖν, γνώσεται κτλ.* Item contra homo levis magistrum levem, homo improbus fraudulentum Satanae satellitem et optime intelligit et maxime probat.

sibi mirifice placet, orthodoxia et profunda eruditio, nisi quam morum vitaeque elegantia ornet. Nam regni divini salutem ii tantummodo consequentur, qui patri coelesti obsequium praestant, Matth. VII, 21.

Quod si tenemus, quomodo dies festi memoriae nati Christi recolendae consecrati celebrandi sint, nos praeterire nequit. Nimirum salutaris Dei gratia, quae mittendo filio se manifestavit, eo nos perducat oportet, *ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι*, Tit. II, 12.

Deus, pater Domini nostri, Jesu Christi piis nostris votis annuat benignissime!

P. P. Dom. III. Advent. MDCCCXXXVII.

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

COMMENTATIO

quâ

Utrum Pauli argumentatio Rom. VIII, 17. et Gal. IV, 7. hebraeo, an romano jure aestimanda sit, quaeritur.

Quum interpretes olim ad Rom. VIII, 17. et ad Gal. IV, 7. accurate de eo disputassent, utrum hebraei (v. *Grot.*) an romani (v. *Seldenus:* De successionibus in bona defunctorum c. I. p. 57. ed. Leidensis in 12.) juris P. rationem habuisset, recentissimi explicatores aut silentio praeterierunt hanc disputationem tanquam inanem, aut intelligere se negarunt (v. *Reich.*), cur ad romanum jus digitum intendisse Apostolus credendus sit. At enimvero Pauli argumentatio Rom. VIII, 17. εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι et Gal. IV, 7. εἰ δὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ lectorum animos non pepulisset, nisi aut in eorum civitate, ad quos literas dedisset, liberi *necessarii* patris sui *heredes* fuissent, aut saltem jus et notum lectoribus et magni ab iis aestimatum illud filiis ornamentum tribuisset. Itaque istam disputationem denuo ingredi statuimus, quum praesertim ita nonnulli de h. l. Rom. VIII, 17. nuper loquuti sint, ut ne rei quidem a P. declaratae, non solum juris, cujus ratio ducta est, gnari fuisse videantur. Contulimus autem cum viro doctissimo nobisque amicissimo, *Ferdinando Kaemmerero*, qui Academiae Rostochiensis decus est ac lumen summusque viri juris consultissimi benevolentiam multis in rebus saepe cognitam hîc quoque experti. — Errant qui Pauli vocem hebraeo jure metiuntur (v. *Grot.*). Nam jure he-

braeo filii ita patri heredes fuerunt, ut filius primo genitus duplo plus acciperet, quam fratres natu minores, filiae autem ab hereditate excluderentur, nisi si nulli viri mortui aut filii, aut posteri (nepotes, pronepotes, abnepotes) exstitissent (v. *Michaelis Mosaisches Recht* T. II. p. 76 sqq.). At hereditatem, de quâ P. Rom. VIII, 17. exponit, patris *liberi* adeunt (*εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι*) Deique liberorum jus, ad quod P. suam disputationem accommodavit, non maribus tantummodo, verum etiam feminis parabile est Gal. III, 28.. Adjice, quod Christus, filius Dei primo genitus Rom. VIII, 29., non duplicem hereditatem cernet, sed primun locum obtinebit inter pares 2 Tim. II, 12. 1 Cor. VI, 2.. Imo romani juris rationem duxit Apostolus. Hoc vel propterea credibile est, quod P. civis romanus fuit Act. XXII, 28., cives autem romani civitatem romanam suumque jus civile ex illâ civitate nexum summi facere soliti sunt Act. XXII, 25.. Fortasse recte addas, Paulum romani juris, quod quidem in rebus saepe fieri solitis scire posset qui non esset jureconsultus, non imperitum fuisse (v. *Stryk* de jurisprudentiâ Pauli Ap. Halae 1695. 4. in ejus Opp. Vol. XII. Diss. VII. p. 137—151.). Sed rem illud conficit, quod P., ut suâ argumentatione lectorum animos permoveret, ad jus àlludere debuit, aut lectoribus pernotum, aut cui ipsi subessent (v. supra), quod quidem in epistolâ Romam datâ esse non potuit, nisi romanum. Jam ut Pauli disputationem *εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι* recte intelligas, haec tenenda sunt. Lege XII. Tabb. hereditas primo *suis heredibus* obvenit (v. *Gaji* Com. Inst. III, §. 1. Intestatorum hereditates lege XII Tabb. primum ad suos heredes pertinent). Sane jureconsulti vehementer de eo disceptant, utrum lex XII. Tabb. filiosfamilias tantummodo, an praeterea alios suos heredes dixerit (cf. *Glück's Lehre von der Intestaterbfolge* §. 56.). Sed haec dubitatio ad hunc l. nihil pertinet, quia certum est, juris peritos multo ante Ciceronis tempora ita illam legem interpretatos esse, ut suos heredes censendos esse quotquot in morientis potestate fuissent contenderent, h. e. filios in matrimonio procreatos (non liberos spurios et ex concubinâ generatos, quum essent in liberorum jura a patre asserti; nam horum liberorum assertio inventum est Imperatoris Justiniani) et filias et liberos adoptivos (v. *Griesinger Geschichte u. neue Theorie der Suität. Stuttg.* 1807. 8. §. 38. 42 sqq.). Sic enim *Gajus* l. c. III. §. 2. pergit: „Sui autem heredes existimantur liberi, qui in potestate morientis fuerint, veluti filius *filiave;* — — nec interest, utrum naturales sint an *adoptivi.*" Quamquam enim haec v. in germani Gaji codice non

leguntur, recte tamen aliunde suppleta esse ex aliis locis, quae illo codice continentur, apparet, h. e. ex Com. Inst. II. §. 156. „Sui autem et necessarii heredes sunt velut filius *filiave*, — — deinceps ceteri, qui modo in potestate morientis fuerint," et Com. Inst. III, §. 41. ubi filius *adoptivus* diserte suus heres vocatur: „si vero intestatus moriatur *suo herede* rellicto *adoptivo* filio." — Adde Theophili Paraphr. Instit. graecam Lib. III. Tit. I, pr.: *Σοῦοι δὲ κληρονόμοι νομίζονται*, — — *οἱ* in potestate *ὄντες τοῦ τελευτήσαντος, οἷον υἱὸς, θυγάτηρ κτλ.*. Gaji auctoritas non eo elevatur, quod sub Antoninis vixit. Neque enim aliam de hâc re sententiam antea obtinuisse quidquam indicat, neque jureconsultus inventus est, qui ab ultimis rei publicae temporibus aliquando aliter de eâ re statutum esse affirmare auderet. Jus hereditatis *praetorium* praeter suos heredes etiam liberis *emancipatis*, quos jus hereditatis *civile* ab hereditate exclusisset, hereditatem assignavit aequitatem sequutum. Haec vero discrepantia nostrum locum idcirco non attingit, quia vox *κληρονόμος* in jure hereditatis *civili* suam sedem habet, in jure hereditatis praetorio non usurpatur. Tametsi autem jureconsulti de vi formulae *suus heres* valde inter se concertarunt, tamen unice vera eorum sententia est, qui illam ita ad patrem relatam esse, ut *naturalem patris heredem aut qui patri heres natus esset* significaret (v. *Glückium* l. c. §. 53. p. 181. et qui rem accurate demonstravit *Griesingerum* l. l. §. 8.). Quare apud Gajum Comm. Inst. II, §. 157. haec leguntur: „Sed *sui* quidem *heredes* ideo appellantur, quia *domestici* heredes sunt. Ceterum illa, quam exposuimus, de intestatorum hereditatibus lex non Romae tantummodo viguit, sed etiam in provinciis servata est, *in cives quidem romanos*. Nam jus Romanorum civile non nisi in cives romanos vim habuit. Recte tamen P. in ep. ad Gal. IV, 7. ad caput juris Romanorum civilis allusit, quod quia singulis prope diebus in usum convertendum erat, in provinciis romanis notissimum esse debuit, quum praesertim Graecorum, certe Atheniensium, jus de intestatorum hereditatibus idem fere sancivisset (v. *Bunsen* de jure hereditario Atheniensium Gottingae 1813. 4. p. 15.). Quae quum ita sint P. Rom. VIII, 17. verbis *εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι* juris Romanorum civilis rationem duxit, id quod vox *κληρονόμοι*, de suis heredibus, quos jus civile constituisset, poni solita ostendit (v. Theophili Paraphr. Instit. gr. supra), *τέκνα* patris *liberos* h. e. et filios et *filias* dixit recteque juris romani regulam in homines christ. transtulit, *adoptivos* Dei liberos Rom. VIII, 15. Pervertit Pauli locum *Stryk.* l. c. §. 7. sic

interpretatus: si *filii*, ergo heredes, fulsitque hanc enarrationem romani juris regulâ, quae filios *exclusis filiabus necessarios* patris heredes fecisset, antestatus locum Pr. J. de exhered. liber II, 19. (Inst. L. II. Tit. 19. pr.). At I. τέκνα et contra vim vocis (filii liberi sunt, sed liberi non continuo filii) et adversante Pauli sententiâ, qui Dei hereditatem etiam feminis destinavit (v. supra) *filios* interpretatus est. Non favet *Strykio* v. 19. τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ. Nam quos P. aut orationem variaturus aut ut vir, quemadmodum fit, in viros, sexum praepotentem, ut mulieres tamen exclusas nollet, potissimum intuitus v. 19. Dei filios diceret et perspicuum erat e vs. 16. 17. et ne quem lateret v. 21. iteravit vocem τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. II. Sunt sane sui heredes jure romano simul heredes *necessarii* (v. Gaji Comm. Inst. II. §. 156., quem I. supra citavi, adde ibidem §. 157. „necessarii vero ideo dicuntur, quia omnimodo *sive velint sive nolint* — heredes fiunt.“), sed quod *Stryk.* perhibuit, filias non in necessariorum heredum numero habitas esse, prorsus inauditum est clarisque Gaji verbis (II. §. 156.) refellitur. III. Locus, ad quem *Stryk.* provocavit, vi destitutus est. Agit enim de iis, qui *testamento* heredes instituendi fuerint dicitque antiquius jus postulasse, ut patres filios, non item filias, testamento heredes scriberent. At h. l. P. non de hereditate, quae testamento veniat, exponit (neque enim *si testamento heredes instituti estis heredes estis* disputat), sed de intestatorum hereditate tractat (nam *liberos necessarios esse heredes* argumentatur idque Christianorum, ad quos rem accommodat, conditioni consentaneum est. Nam homines Dei liberorum jura adepti riteque ea tuiti *necessarii* sunt Dei heredes aut sempiternâ felicitate piis hominibus divinitus destinatâ excidere nequeunt.). IV. Loco Gal. IV, 7. εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος temere nitaris, ut filios, non filias, hereditatem adiisse ostendas. Non equidem, ut εἰ δὲ υἱός bene habere ostendam, ad juris romani regulam provocabo, quâ sexus masculinus femineum sexum complectitur, nisi ubi femininum genus diserte exceptum sit, v. L. I. D. de Verb. Sign. L, 16. (Dig. L. I. Tit. 16. Fr. I.) et Intpr. ad L. 84. 116. 122. D. de verb. sign. Nam haec regula jureconsultis scripta est, ut in legum, testamentorum aliarumque forensium, quae quidem parum accurate conceptae sint, formularum interpretatione habeant, quo jus dirigant, non Theologis, quibus in epistolae familiariter scriptae explicatione hoc unum spectandum est, ut scriptoris mens eruatur. Illud contendo, debuisse Paulum υἱός h. l. scribere, τέκνον ne potuisse quidem exarare. Quippe argumen-

tatur e praegressâ disputatione, in quâ Judaeos *servos*, *δούλους*, v. 1. 3. vocârat, homines christianos *adoptivos* Dei filios redditos esse indicarat v. 5., sicut paullo ante aliam similitudinem persequutus Judaeos cum pueris, qui a paedagogo educantur III, 23. 24., Christianos cum maturis Dei filiis III, 25. 26. comparavit. Quibus similitudinibus liberorum Dei decus minime feminis ademit, sed viri virilis sexus rationem potissimum habuit, ut quum quovis tempore praevalentis tum illis temporibus ita auctoritate praepollentis, ut paene nulla feminarum ratio haberetur. — Male *Grotius* ad Rom. VIII, 17. „Regnabimus, inquit, sed cum Christo et per eum: nam ille diserte est *κληρονόμος πάντων* Hebr. I, 2., *nos fidei commissi titulo!*" Namque *κληρονόμος πάντων* Hebr. I, 2. *possessorem* aut *Dominum* (non *heredem*) omnium rerum denotat, neque summae rerum potestati, quae tanta Christo divinitus data est, ut mundum Dei mandatu conderet Hebr. I, 2., cum hereditate quidquam commercii est; quam Christus cum hominibus in Dei liberos adoptatis aliquando cernet. Ille enim honor Christo ante mundi primordia tributus est (Hebr. I, 2. Col. I, 15.); heres Dei cum fratribus natu minoribus Rom. VIII, 29. tum exsistet, quum de coelo reversus exercito judicio quinam sint Dei liberi censendi constituerit et beatum Messiae regnum condiderit Rom. XIV, 10. 2 Cor. V, 10. Rom. VIII, 18. sq. Eph. V, 5. Eo autem, quod tum primus regnabit inter pares 2 Tim. II, 12., illâ ante rerum primordia sibi concessâ majestate minime se abdicabit aut ejus tanquam fideicommissi possessione cedet piis Christianis. *Rückertus*, *Olshausenius* aliique Christum Rom. VIII, 17., quia Dei filius primogenitus sit Rom. VIII, 29., eum dici, cui *jure* ventura sit Dei hereditas; nos, Dei filios natu minores, non nisi Christi coheredes i. e. eos, quibuscum Christus suam hereditatem benigne communicet, appellari perhibuerunt. Qui se romani juris aeque ignaros praebuerunt, ac rei, de quâ h. l. disputatur. Neque enim patris intestato mortui filio primogenito largior venit jure romano hereditas, quam liberis minoribus. Nos autem incredibili Dei benignitate in Dei liberos adoptati, si hoc decus fortiter tuiti fuerimus, *sui ac necessarii* Dei heredes erimus (v. supra), minime autem divinae hereditatis cretio a Christi aut gratiâ aut malevolentiâ suspensa erit. Nam Christus, justus factorum nostrorum judex, quicunque pie vixerint fidemque sibi adjunctam morum integritate probaverint Dei liberos, qui Dei hereditatem *jure* adeant, pronuntiabit Act. XVII, 31. 2 Cor. V, 10 al. Deinde *Rückerti* expositio Pauli verbis repugnat. Est enim *συγκληρονό-*

μος τινός qui jure cum aliquo hereditatem adit, non *is, cui legitimus heres bonorum, quae hereditatis jure solus cepit, partem benigne donat.* Postremo *Christi sane beneficio et interventu* Dei heredes sumus (*Gal. IV*, 7.), verum non idcirco, quia Christus hereditatis, ab se solo captae jure, nonnihil nobis benevole impertiat, imo propterea, quod de coelo in terras legatus liberorum Dei jura adipiscendi potestatem nobis fecit (v. Joh. I, 12. et not. ad Rom. VIII, 15.), ut Dei liberi facti eorumque jura forti animo tuiti *jure* Deo heredes essemus. Quocirca, si Pauli similitudinem *persequi* placuerit, Christus et *adoptionis in Dei liberos conciliator* (Joh. I, 12.) et *hereditatis divisor*, qui patris bona fratribus minoribus dividet (2 Cor. V, 10.) recte vocabitur; suus et necessarius Dei heres non magis unus est, quam unicus Dei filius. Et potius ὁ πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς Rom. VIII, 29. Probavi autem (v. supra) Gal. IV, 7. lectionem vulgatam εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ rationibus diligenter subductis. Etenim I optimam fundit sententiam. Nam sumus *Dei heredes*, quoniam Dei bona nobis hereditate obveniunt, adimusque *Christi beneficio* Dei hereditatem, quia Christus nos *Dei liberos* fecit, heredes coelestis patris necessarios (v. supra). Deinde II variantes lectiones, quae a VV. DD. plausu exceptae sunt, parum aptae sunt. *Borgerus, Lachm.* et b. *Schottus* in comment. amplexi sunt εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος διὰ θεοῦ. At sumus κληρονόμοι θεοῦ διὰ Χριστοῦ, non διὰ θεοῦ (cf. supra). *Rinckio* Lucubr. crit. p. 175. et Usterio (cf. *Erasm.* et *Beng.*) impense placuit εἰ δὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος διὰ Χριστοῦ. Haec lectio nimis nuda est, quum P. nos Christo misso Dei filios redditos esse declaraverit v. 4 — 6., quod non reputavit Usterius. Sunt autem Pauli verba sic explicanda: εἰ δὲ υἱός (scil. θεοῦ), καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ. *Griesbachius* damnavit v. θεοῦ διὰ Χριστοῦ uno C*. confisus. Denique III. variantes lectiones vulgatam scripturam genuinam esse ostendunt. Nam quum scribae per oculorum errorem θεοῦ cum Χριστοῦ confudissent, omiserunt διὰ Χριστοῦ (Copt. Aeth. Arm.). Et quia διά medium locum inter θεοῦ et Χριστοῦ obtinuit, librarii facili lapsu tum διὰ θεοῦ exararunt omisso Χριστοῦ (A. B. al.) et novo vitio διὰ θεοῦ (F. G.), tum διὰ Χριστοῦ scripserunt neglecto θεοῦ (Hieronymus). Haec autem varietas fecit, ut nonnulli locum corruptum esse rati *neutrum* (h. e. neque διὰ θεοῦ, neque διὰ Χριστοῦ) exararent versumque voce κληρονόμος finirent (C*.). *Rinckii* et *Usterii* vocem θεοῦ ex Rom. VIII, 17. illatam esse arbi-

tratorum opinio vanissima est. Nam scripturae — *καὶ κληρονόμος μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμος δὲ Χριστοῦ* (76. Mt. d. Theophyl.), manifestae interpolationi ex Rom. VIII, 17. factae, cum lectionibus supra memoratis et quas solas critici recte suspexerunt, nulla cognatio est. — His lectis quanti Chrysostomi ad Rom. VIII, 17. disputatio facienda sit, facile intelligitur: „*Ὁρᾷς πῶς φιλονεικεῖ ἐγγὺς ἡμᾶς ἀγαγεῖν τοῦ δεσπότου; ἐπειδὴ γὰρ οὐ πάντα τὰ τέκνα κληρονόμοι δείκνυσιν, ὅτι ἡμεῖς καὶ τέκνα καὶ κληρονόμοι· ἐπεὶ δὲ οὐ πάντες κληρονόμοι μεγάλων εἰσὶ κληρονόμοι πραγμάτων, δείκνυσιν ὅτι καὶ τοῦτο ἔχομεν, κληρονόμοι ὄντες Θεοῦ· πάλιν ἐπειδὴ κληρονόμον μὲν εἶναι συμβαίνει Θεοῦ, οὐ πάντως δὲ τῷ μονογενεῖ κληρονόμον, δείκνυσιν ἡμᾶς καὶ τοῦτο ἔχοντας* (cf. Theophyl.). Non *historicam* haec disputatio Paullinae orationis interpretationem continet, sed nugas complectitur, quales oratores sacri comminisci solent, ut auditores et lectores suos pietatis sensu perfundant. Sed nimirum tales nugae tenebrionibus *longe perfundissimae* videntur!

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

De potestate vocabulorum ἀποκαραδοκεῖν, ἀποκαραδοκία et ἀπεκδέχεσθαι commentatio.

(vide quae in commentariis ad Rom. VIII, 19. disputavimus.)

Quamquam antiquitus non defuerunt, qui de verbi καραδοκεῖν originibus ridicula quaedam comminiscerentur *), plerique tamen καραδοκεῖν aut e κάρα et δοκεῖν **) aut e κάρα et δοκεύειν ***) compositum esse affirmarunt. Illorum vera sententia est. E δέκομαι, ionica verbi δέχομαι formâ, quod accipiendi, excipiendi, observandi et exspectandi notiones complectitur, ducta verba sunt

*) Sic Pollux VI, 204. καραδοκεῖν cum καιροφυλακεῖν composuit verbique natales in voce καιρός quaesivit, Timachidas apud Etym. M. 490, 33 sq. contendit, ὅτι σύνθετόν ἐστι παρὰ τὸ κ ά τ ω (hoc verbi elementis precario addidit) κάρα φέρειν τὸ καραδοκεῖν et fuisse, qui καραδοκεῖν a κέαρ derivandum esse suspicarentur ex his Etymologi l. c. verbis apparet: μήποτε τὸ κέαρ ἔγκειται.

**) Etym. M. 490, 33. καραδοκεῖν, τὸ τοῦ πράγματος κεφάλαιον ἐπιτηρεῖν ὅπη χωρήσει· (idem habet Timaeus Gloss. Platon. et Hesychius s. v. καραδοκεῖ) παρὰ τὸ κόρα (at τὸ κάρα nusquam metaphorice *rei summam* declarat) καὶ τὸ δοκῶ, τὸ ἐπιτηρῶ, ἢ τὸ τῇ κεφαλῇ προβλέπειν καὶ ἐλπίζειν ἐκδεχόμενον. Pollux II, 41. τάχα δὲ καὶ τὸ καραδοκεῖν εἴη ἂν ἀπὸ τοῦ κόρα πεποιημένον· κυρίως ἐπὶ τῶν παραφερόντων τὴν κεφαλὴν ὡς μὴ βληθεῖεν. (Hic quoque καραδοκεῖν *capite observare* interpretatur dicitque de iis proprie usurpari, qui ictum devitaturi caput declinent). Theophylactus ad Phil. I, 20. ἀποκαραδοκίαν τὴν βεβαίαν ἐλπίδα καὶ ἀμετάθετόν φησι παρὰ τὴν κάραν ὅλην δοκεῖν (ex eo quod caput totum observet; male *Suic.* Thes. eccles. I, 452. δονεῖν conjecit) καὶ ἐπινεύειν πρὸς τὸ βεβαίως ἐλπιζόμενον.

***) Suidas s. v. ἐκαραδόκησεν et Oecumenius ad Phil. I, 20. ἀποκαραδοκίαν φησὶ τὴν σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην ἐλπίδα, ἣν τις καὶ αὐτὴν ἐπικινῶν τὴν κεφαλὴν δ ο κ ε ύ ε ι καὶ περισκοπεῖ. Hanc sententiam nunc plerique VV. DD. defendunt.

δοκέω, *δοκάω*, *δοκείω*, et *δοκάζω*, quae has ipsas notiones exprimerent. Verbo *δοκέω*, quod Atticis *existimare* notat (cf. Germanorum *annehmen* i. q. *meinen, glauben*) Jonibus *observare* declarasse, indicio est Epicorum *δεδοκημένος observans, speculans*, Hom. Il. o. 730. *ἔνθ' ἄρ' ὅγ' ἑστήκει δεδοκημένος*. Cf. *Buttmanni Ausf. gr. Sprachl.* II, 33. et 106 sq. Verbum compositum est *προςδοκέω exspectare* Herodot. 7, 156., pro quo Atticos *προςδοκάω* dixisse nemo ignorat. Sed formae *δοκάω* nulla memoria exstat, nisi apud Hesychium *δοκάειν*] *τηρεῖν, φυλάσσειν, επιτηρεῖν*. Tum *δοκεύειν observare, captare, insidiari* valet (Hom. Jl. 13, 545. 16, 313. 23, 325.). Sed a *δοκεύω* male duci *καραδοκέω* ex eo cognoscitur, quod Substantivum a verbo formatum non *ἡ καραδοκεία*, sed *ἡ καραδοκία* sonat (v. *Buttmanni* l. c. p. 317.). Est igitur *καραδοκεῖν* ex *κάρα* et *δοκέειν* conflatum et Substantivum *ἡ καραδοκία* sic a *καραδοκέειν* ductum est, quemadmodum *ἡ προςδοκία* a *προςδοκέειν*. Jam *καραδοκεῖν capite observare*, et *ἡ καραδοκία capitis observationem*, proprie denotat. Hinc *καραδοκεῖν attendere* (Eur. Troad. 93.), *oculos animumque ad rem advertere* (Xenoph. Mem. 3, 5, 6. — *οὐ μόνον τὰ κελευόμενα πάντα ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ σιγῶσι καραδοκοῦντες* [nautae] *τὰ προςταχθησόμενα* —. Aristoph. Eq. 663. *ἐκαραδόκησεν εἰς ἔμ' ἡ βουλὴ πάλιν*.), *diligenter aliquid observare* (Polyb. 10, 42, 6. 11, 13, 2.), *captare aliquid, rei imminere* (Polyb. 1, 33, 11. — *ἔμενον ἐν κόσμῳ καραδοκοῦντες τὸν καιρὸν τῆς ἀλλήλων ἐπιθέσεως* 2, 52, 6. *'Αντίγονος δὲ πάλαι μὲν ἦν ἐν παρασκευῇ, καραδοκῶν τὸ μέλλον* —.) *suspenso animo aliquid exspectare* (Eur. Med. 1117.), postremo simpliciter *exspectare, opperiri, praestolari* acris et sollicitae exspectationis cogitatione prorsus seclusâ designat (Eurip. Rhes. 144. Iph. A. 1433. *ἐλθὼν δὲ σὺν ὅπλοις τοῖςδε πρὸς ναὸν θεᾶς καραδοκήσω τὴν ἐκεῖ παρουσίαν* Hel. 739. Polyb. 3, 13, 3. — *τὸ μὲν πρῶτον ἐκαραδόκουν* [Carthaginienses] *τὰς τῶν δυνάμεων ὁρμάς*. Diod. Sic. 14, 60. *κρίναντες οὖν ναυμαχεῖν διέταττον τὰς ναῦς* [Carthaginienses] *καὶ τὸν τῶν πολεμίων ἐπίπλουν ἐκαραδόκουν*.) Venio nunc ad verbum compositum *ἀποκαραδοκεῖν* et Substantivum inde ductum *ἡ ἀποκαραδοκία* (cf. *πολιορκεῖν, ἡ πολιορκία*), de quorum vi inter VV. DD. parum convenit. Alii enim *ἀποκαραδοκεῖν* et *τὴν ἀποκαραδοκίαν* a *καραδοκεῖν* et *τῇ καραδοκίᾳ* nihil differre et simplicem *exspectandi* et *exspectationis* notionem continere autumant (v. c. *Fischerus* D. V. L. N. T. p. 128 sq., *Krebsius* Observ. p. 279 sq., *Schleusnerus* Lex. N. T. I, 300.,

Morus, *Rückertus*, *Reichius* ad Rom. VIII, 19. al.), alii, et plerique quidem, ἀπό ita augere verbi simplicis vim putant, ut ἀποκαραδοκεῖν *vehementer exspectare* et ἡ ἀποκαραδοκία *vehemens desiderium*, *attentam* et *sollicitam exspectationem* denotet (v. c. *Erasmus*, *Lutherus* „*das ängstliche Harren*“ *Beza*, *Grotius*, *Turretinus*, *Koellnerus*, *Meyerus* et multi alii ad Rom. VIII, 19., *Tittmannus* De Synonymis in N. T. I, 106 sqq.*) *Wahlius* et *Bretschneiderus* in Lexx. N. T. al.). Qui tribus potissimum argumentis moti sunt. Nam primum quidem ἀπό in multis verbis notionem verbis simplicibus subjectam intendere sciverunt, ut in ἀποκομπάζω, ἀπομαρκάω, ἀποθηριόω, ἀποψεύδομαι. Deinde graecorum interpretum, qui τὴν ἀποκαραδοκίαν Rom. VIII, 19. Phil. 1, 20. partim *magnam exspectationem*, partim *firmam spem* exposuerunt, auctoritas eos movit. *Chrysostomus* ad Rom. VIII, 19.: ἀποκαραδοκία — ἡ σφοδρὰ προςδοκία ἐστιν. Theophyl. ibid.: — ἡ κτίσις πᾶσα ἀποκαραδοκίαν ἔχει, τουτέστι μεγάλην προςδοκίαν ἔχει —. *Oecum.* ibid. ἡ ἀποκαραδοκία] οἷον ἡ ἐπιτεταμένη καὶ σφοδρὰ προςδοκία. Schol. Matth. ἀποκαραδοκία] ἡ ἐπιτεταμένη προςδοκία. Adde quae a *Theophylacto* et *Oecumenio* ad Phil. 1, 20. observata supra notâ 2. et 3. attulimus. Denique Pauli locum Rom. VIII, 19. *vehementis* desiderii aut *sollicitae* exspectationis notionem postulare versus 20 — 22. contuiti putarunt. Qui certissime falluntur. Nam ne verisimile quidem est quod sumitur, ἀποκαραδοκεῖν et ἡ ἀποκαραδοκία *acris* et *vehementis* ex

---

*) Hanc quoque de verborum ἀπεκδέχεσθαι et ἀποκαραδοκεῖν potestate disputationem b. *Tittmannus* raptim conscripsit. Recte quidem ἀπεκδέχεσθαι valere *constanter exspectare* observavit et ἀποκαραδοκεῖν cum vernaculo v. abwarten comparavit p. 106 sq. Sed praeterquam quod non unica haec illorum v. vis est, et male *constantis* exspectationis significatum ex eo oriri dixit, quod ἀπό verbo composito additum ejus vim augeat p. 106., et perperam τὴν ἀποκαραδοκίαν Phil. I, 20. *prosperum eventum* — appellari et Rom. VIII, 19. *sollicitam et anxiam futuri exitus curam* denotare ex *constantis* exspectationis significatu, qui illis v. proprius et tanquam cum iis natus sit, collegit p. 108. Aliud est enim rem *constanter* exspectare; aliud *ardenter et sollicite* aliquid exspectare. Et plerumque qui perseveranter aliquid exspectant aequo et sedato animo sunt, contra impatientiâ excruciantur qui ardenter rem cupiunt vehementerque eam exspectant. Porro exspectatio tum constans tum sollicita in eo posita est, ut rem eventuram *opperiares*. Quare eventus *exspectatio eventum ipsum*, sive tristis sit sive prosper, designare nequit. Omitto alia festinationis indicia.

spectationis notionem continere, tum quia verbum simplex *suspenso animo* exspectare declarat, ut, si ἀπό hanc cogitationem augeret, ἀποκαραδοκεῖν et ἡ ἀποκαραδοκία *gravissima* vocabula essent et quae ibi tantummodo collocari potuissent, ubi *acerrimae* exspectationis notionem exprimendam fuisse quivis sentire deberet, tum quoniam ἀπό in finitimis verbis ἀπεκδέχεσθαι, ἀποτηρεῖν, ἀποσκοπεύειν, ἀποβλέπειν, ἀπαυγάομαι aliam potius quam augendi potestatem habet. Accedit, quod magnae exspectationis notionem vix unus alterve locus, in quo ἀποκαραδοκεῖν et ἡ ἀποκαραδοκία legitur, admittit, plerique eam respuunt. Hûc non solum Phil. 1, 20. κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου, ubi τὴν ἀποκαραδοκίαν nihil nisi *exspectationem* notare manifestum est, sed etiam Rom. VIII, 19. pertinet. *Acrem Mundi Exspectationem eventum, quum Dei filii patescant, acriter exspectare* h. e. duplici prosopopoeiâ detractâ *valde opus esse, ut Mundus (tum in integrum restituendus quum Dei filii beentur) renovetur* apte h. l. Paulus diceret, si docere vellet, quod ostendere noluit: majestatem in pios homines conferendam *jam prope abesse* (v. Comment. m. ad VIII, 18. 19.). Neque veteres grammatici *magnae* exspectationis vim in ἀποκαραδοκεῖν et ἡ ἀποκαραδοκία agnoverunt. Hesychius: ἀποκαραδοκία] προςδοκία, ἀπεκδοχή. Suidas: ἀποκαραδοκία, προςδοκία, καὶ ἀποκαραδοκῶν, προςδοκῶν. Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων in *Bekkeri* Anecd. 428, 14. ἀποκαραδοκία] προςδοκία. Quod *Fischeri* l. l. p. 128. argumentum *Tittmannus* l. c. p. 108. non eo elevavit, quod veteres Lexicographos synonymis plerumque ad glossam explicandam uti observavit. Nam si illi τὴν ἀποκαραδοκίαν acrem et vehementem exspectationem denotare credidissent, vocabulum τὴν σφοδρὰν, μεγάλην, ἐπιτεταμένην προςδοκίαν interpretati essent, quibus vocibus Patres graeci usi sunt. Denique errasse videntur, qui Patres graecos τὴν ἀποκαραδοκίαν *ingentem* exspectationem propterea explicuisse crediderunt, quod praepositioni ἀπό *augendi* vim tribuissent. Imo illis praeverbium ἀπό premere in mentem non venit, sed nixi verbi elementis κάρα et δοκέειν compositae voci eam potestatem dederunt, quâ verbum simplex pollere scirent, quia contexta oratio id postulare videretur. Hanc rationem Chrysostomum iniisse in promtu est, qui quum Rom. VIII, 19., Paulum τὴν κτίσιν σφόδρα ὠδίνειν ἀναμένουσαν καὶ προςδοκῶσαν τὰ ἀγαθά dicere opinatus, τὴν ἀποκαραδοκίαν τὴν σφοδρὰν προςδοκίαν exposuisset, Phil. 1, 20. in aliâ verborum complexione τὴν ἀποκαραδοκίαν simpliciter spem explicuit: κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν

καὶ ἐλπίδα μου] *οὕτω γὰρ ἐλπίζω.* Ambigua sane *Theophylacti* et *Oecumenii* verba sunt, quae loco Phil. 1, 20. adscripserunt (v. not. 2 et 3.). Sed ne hoc quidem, quum ille — *παρὰ τὸ τὴν κάραν ὅλην δοκεῖν καὶ ἐπινεύειν πρὸς τὸ βεβαίως ἐλπιζόμενον*, hic — *ἐλπίδα, ἥν τις καὶ αὐτὴν ἐπικινῶν τὴν κεφαλὴν δοκεύει καὶ περισκοπεῖ* scriberet, praeverbii *ἀπό* rationem habuisse, credibile est, multo credibilius, eos vim, quam *κάρα* in *καραδοκεῖν* et *ἡ καραδοκία* haberet, exaggerasse, quum praesertim graeci interpretes praepositionum in verbis compositis momenta ponderare non soleant, nisi ubi dogmaticas aut homileticas argutias persequuntur. Nunc quaeritur, utrum vera an falsa eorum opinio sit, qui *ἀποκαραδοκεῖν* et *τὴν ἀποκαραδοκίαν* nihil praeterquam *exspectare* et *exspectationem* valere affirmarunt. Haud dubie errarunt, qui *ἀπό* in his vocabulis otiari sibi persuaserunt (v. e. *Krebsius*, *Schleusnerus*; *Ruickertus* et *Reichius* ll. cc.). Nullum est enim in totâ linguâ graecâ verbum compositum, in quo *ἀπό* omni vi et ratione destitutum sit. Sed non fuit in hâc opinione b. *Fischerus*, qui l. c. p. 130. circumspecte haec scripserit: „ — neque enim verbum *ἀποκαραδοκεῖν* a verbo *καραδοκεῖν* differt, nisi eo, quod cogitare lectorem jubet de loco, unde quis converso exsertoque capite aliquid spectat. — “ Sane *ἀπό* in *ἀποκαραδοκεῖν*, *ἀπεκδέχεσθαι*, *ἀποτηρεῖν*, *ἀποβλέπειν*, *ἀποσκοπεύειν*, *ἀπαυγάομαι* locum aut tempus declarat, unde actio verbo enuntiata proficiscatur. Sed quoniam non unum idemque *καραδοκεῖν* ubique significat, pro diversâ hujus verbi potestate *ἀποκαραδοκεῖν* diversa significet necesse est. Esse nonnunquam *καραδοκεῖν τι diligenter aliquid observare* supra monuimus. Hâc igitur vi *καραδοκεῖν* praeverbio *ἀπό* locupletatum *e loco, ubi constitutus sis, attente aliquid observare* notat. Diligentis observationis notio in verbo *καραδοκεῖν*, loci, ex quo observes, cogitatio in praeverbio *ἀπό* posita est. Joseph. B. J. 3, 7, 26. — *αὐτὸς δὲ* (Josephus) *πρὸ τῶν ἐῤῥιφθέντων ᾗ ἔλαχε παρῄει· τοῖς μὲν οὖν καθ᾽ ἕτερα προςφέρουσι τὰς κλίμακας οὐ προςεῖχεν* (ad eos, qui ex alterâ parte scalas applicabant [idcirco a Vespasiano missos, ut nonnulli eos prohibituri dejecti muri custodiam temere relinquerent vide ibid §. 24.] animum non appellebat), *ἀπεκαραδόκει δὲ τὴν ὁρμὴν τῶν βελῶν* (sed **inde** [ubi erat h. e. *πρὸ τῶν ἐῤῥιφθέντων*, quo loco hostes murum diruerant] telorum impetum [ne muri dejecti propugnatores magnâ telorum a sagittariis et funditoribus missorum vi obruti loco cederent: cf. §. 24.] diligenter observabat. Tum *καραδοκεῖν captare* valet. Est

igitur ἀποκαραδοκεῖν e loco, in quo constitutus sis, et tanquam ex insidiis aucupari et captare, *ablauern*, ut ἀπό providae et callidae circumspectionis notionem afferat. Polyb. 18, 31, 4. — ᾧ [τῷ Φιλίππῳ] καὶ συμμίξαντες [οἱ περὶ Γναῖον τὸν Κορνήλιον] πρὸς τοῖς Τέμπεσι — — συνεβούλευον αὐτῷ πρεσβευτὰς πέμπειν εἰς τὴν Ῥώμην ὑπὲρ συμμαχίας, ἵνα μὴ δοκῇ τοῖς καιροῖς ἐφεδρεύων, ἀποκαραδοκεῖν τὴν Ἀντιόχου παρουσίαν. Eadem verbi ἀποτηρεῖν ratio est Diod. Sic. 14, 21. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι φανερὸν οὔπω τὸν πόλεμον ἐπανῃροῦντο, κατέκρυπτον δὲ τὴν προαίρεσιν, ἀποτηροῦντες τὴν ῥοπὴν τοῦ πολέμου. Sequitur *exspectandi* significatio, quam καραδοκεῖν habet. Quâ vi retentâ ἀπό in ἀποκαραδοκεῖν tria maxime designat: primo simpliciter locum, unde aliquid opperiaris, deinde constantiam, perseverantiam, securitatem et similes notiones, quae e cogitatione, exspectari rem aut rei eventum ex aliquo loco facile fluunt (cf. vern. *abwarten*), postremo locum, unde rem praestoleris, sed ita ut haec notio delitescat. Quidquid enim exspectes alicunde te id exspectare oportet. Potest igitur ἡ ἀποκαραδοκία de unaquaque spe et exspectatione collocari. Ad primum locorum genus refer Polyb. 16, 2, 8. — — αὐτὸς [ὁ Φίλιππος] ὑπὸ τὰς νησίδας ἀναχωρήσας μετά τινων λέμβων τὰς μεταξὺ τοῦ πόρου κειμένας ἀπεκαραδόκει τὸν κίνδυνον. (inde quo se receperat, rerum discrimen exspectabat). Infra 16, 6, 1. verbum simplex legitur, quia loci, ubi Philippus proelii eventum exspectabat, notio alio modo enuntiata est: — καὶ συναγγιζόντων ἤδη πρὸς τὰς νησίδας, ὑφ' αἷς ὁ Φίλιππος ὥρμει καραδοκῶν τὰ συμβησόμενα. Ad secundam locorum classem haec l. pertinent: Polyb. 22, 19, 3. — οὗς προσδεξάμενος ἐνέβαλεν [ὁ Γναῖος] εἰς τὴν τῶν Σαγαλασσέων γῆν καὶ πολὺ πλῆθος ἐξελασάμενος λείας ἀπεκαραδόκει τοὺς ἐκ τῆς πόλεως, ἐπὶ τίνος ἔσονται γνώμης: locus a Suida s. ἀποκαραδοκία allatus: ὁ δὲ καθῆστο ἐν τῇ παρεμβολῇ ἀποκαραδοκῶν, ὅπου καὶ τύχης χωρήσει τὰ πράγματα, in quibus ἀποκαραδοκεῖν *securam* exspectationem infert, praeterea Rom. VIII, 19. et Aq. Ps. XXXVI [XXXVII], 7., ubi exspectationis *constantia* et *perseverantia* vocabulis compositis exprimitur. Verisimile est enim, Aquilam quum l. c. לו והתחולל ἀποκαραδόκει αὐτόν verteret formae Hithpael fortiorem *constantis* exspectationis vim subjecisse: *constanter eum praestolare* (v. *Ewaldi Krit. Gramm. der hebr. Spr.* p. 203.). Denique loci notio Phil. 1, 20. delitescit, ubi ἡ ἀποκαραδοκία nihil est nisi *exspectatio*.

Confirmat quae de verbi ἀποκαραδοκεῖν ex ἀπό et καραδοκεῖν ex-

spectare compositi rationibus modo disputavimus verbum ἀπεκδέχεσθαι. Quod primo ex aliquo loco exspectare ita denotat, ut loci, in quo locatus aliquem exspectes, cogitatio utique tenenda sit. Phil. III, 20. Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν — (de coelo venturum Christum exspectamus *ex* orbe terrarum, domicilio nostro). Sed multo frequentius exspectatio ex loco in v. ἀπεκδέχεσθαι, quemadmodum in vernaculo voc. *abwarten*, exspectationis *securitatem*, *incuriam*, *constantiam*, *patientiam* et similes notiones adsignificat. Heliod. Aeth. 6, 23. Πάλαι ταῦτα, ἔφη, δι' ὑποψίας ἔχων, ὦ μῆτερ, ἐγὼ καὶ συνεὶς ἐσιώπων τὸ μέλλον ἀπεκδεχόμενος (*animo aequo et securo* exspectans). Cf. ibid. 2, 35. 1 Petr. III, 20. — ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία (Dei patientia *patienter exspectavit* poenasque distulit) 1 Cor. I, 7. — ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ. (sollemnem Christi reditum *constanter, amotâ cupiditate et impatientiâ*, opperientes). Idem valet de Rom. VIII, 19. 23. 25. (nempe quod P. v. 23. uno verbo ἀπεκδέχεσθαι enuntiavit, id v. 25. planius dicit pluribus verbis δι' ὑπομονῆς ἀπεκδέχεσθαι) et Gal. V, 5. Ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα. Explica: Prorsus dimoti a Christo estis, quicunque *legis mos. obsequio* integritatem, ut vobis videtur, *adipiscimini*: div. gratiâ excidistis (v. 4.). Nam nos (Christi discipuli et quibus divina gratia destinata sit) mente per fidem (non obedientiâ legi mos. praestitâ) spem quae in integritate cernitur *constanter et dum veniat* exspectamus (v. 5. Ergo eorum opinio falsa est, qui *factis* rem *fide* parabilem assequi conantur quique decus a Christo judice olim dandum ideoque mente a τῷ πιστῷ constanter sperandum nunc ab ipsis dum vivant bene factis comparari posse fingunt). Loquutio ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδέχεσθαι non pleonastica est pro ἐλπίδα δικαιοσύνης ἔχειν (v. *Wineri*, *Usterii* et b. *Schotti* comment. ad h. l.), sed elata et poëtica (Eur. Alcest. 130. νῦν δὲ τίν' ἔτι βίου ἐλπίδα προςδέχωμαι;). Sane spes sperat, non speratur; sed *rei spes* (h. e. res quae speratur) sperari potest. Denique ἀπεκδέχεσθαι nihil praeterquam *exspectare* declarat (v. supra). Ita vox Hebr. IX, 28. capi potest. Superest, ut de Rom. VIII, 19. ἡ γὰρ Ἀποκαραδοκία τῆς Κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται pauca verba addam: Soni similitudinem in v. ἡ Ἀποκαραδοκία ἀπεκδέχεται quaesitam esse (v. Commentar. nost. ad II, 18. cl. Gal. IV, 14. Eur. Hec. 649. ἀμφὶ τὸν εὔροον Εὐρώταν) patet. Ambobus vocabulis *attentae* exspectationis

cogitationem exprimi non recte dixit *Reich.* II, 189. Nam quod neutro vocabulo continetur ambobus vocabulis quum ea conjunxeris inesse nequit. Imo *constantis* et *perpetuae* exspectationis cogitatio amborum verborum, quibus et formae et significatus cognatio est, compositione acuitur (expende v. v. 22. *ἄχρι τοῦ νῦν* cl. v. 21 et 22.). Nam *constans*, inquit P., Mundi *Exspectatio* eventum, quum Dei filii patescent, *constanter exspectat* (quia nimirum mundus tum in integrum restituendus est). Duplex hîc est prosopopoeia, quum non solum *Mundo*, verum etiam Mundi *Exspectationi* personae partes tribuantur. Hâc prosopopoeiâ demtâ locus sic resolvendus est: *ἀποκαραδοκοῦσα γὰρ ἡ κτίσις τὴν ἀποκάλυψιν τ. υ. τ. θ. ἀπεκδέχεται* (nam *perpetuo exspectans* Mundus Dei filiorum natales *perpetuo exspectat*, scil. quia tum temporis ipse renovabitur), ut recte *Grotius*, modo ne Hebraismum nescio quem immiscuisset (v. Eur. Rhes. 143. — *ἐὰν δ' ἀπαίρωσ' ἐς φυγὴν ὁρμώμενοι,* | *σάλπιγγος αὐδὴν προςδοκῶν, καραδόκει* | *ὡς οὐ μενοῦντά μ'.*); utraque autem prosopopoeiâ sublatâ et oratione in pedestre sermonis genus conversâ hoc dicit Ap.: *ἔκπαλαι* (2 Pet. II, 3.) *γὰρ ὥρισεν ὁ θεὸς τὴν κτίσιν ἀποκαταστῆσαι* (Act. III, 21.) *ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ* (jam dudum enim Deus mundum tum renovare decrevit, quum filios suos tanquam in solem productos amplissimis beneficiis ornaverit). Sic optime vincta oratio est. Nam pios Christianos summam felicitatem, quâ ornentur, jure exspectare (v. 18.) Ap. ex eo certum esse affirmat, quod *Deus* mundum Dei filiis ornatis et honestatis renovare jam dudum apud animum suum constituerit (v. 19.); Dei autem decreta ad eventum adduci necesse sit; ceterum illud consilium tum a Deo captum esse, quum mundum olim *τῇ Ματαιότητι* subjiceret, P. v. 20. 21. declarat.

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

De nonnullis Pauli ad Galatas epistolae locis

COMMENTATIO I *).

Pauli ad Galatas epistolam, ut quid ingenio possent et eruditione ostenderent, tot VV. DD. **) explicandam sibi nuper sumserunt, ut qui nunc illam interpretari instituat ei verendum sit, ne aut in temeritatis aut in arrogantiae crimen apud imperitos incurrat. Verum enim vero tanta est ejus epistolae difficultas, ut mirum videri debeat, si omnis laus novo interpreti praerepta sit neque vel erroribus castigandis eorumque fontibus patefaciendis, vel vero subtilius eruendo accuratius muniendo elegantius explicando, vel rebus quae hucusque nimis neglectae jacuerint studiose investigandis operae pretium facere ei liceat. Accedit quod in his quoque literis permulti nunc majore scribendi quam discendi meditandique impetu feruntur ambitiosique magistri exorti, quos immodestos discipulos ferendos non putares, immaturos animorum suorum literis vix imbutorum fetus in lucem trudere properant. Tanta est enim hujus

*) Edidit hanc commentationem scriptor Rostochii a. MDCCCXXXIII, Academiae Rostochiensis tum Rector.

**) Ut priores epistolae ad Galatas explicatores taceam nemini ignotos, tres hoc anno novi exorti sunt interpretes, *L. J. Rückert (Commentar über den Brief Pauli an die Galater. Leipzig* 1833. 8.), *Leonh. Usteri* (*Commentar über den Brief Pauli an die Galater. Zürich* 1833. 8.) et *Conr. Steph. Matthies* (*Erklärung des Briefes Pauli an die Galater. Greifswald* 1833. 8.).

seculi sapientia, ut non qui multa cognoverit, didicerit, mente agitaverit, sed qui multa volumina sedulo compleverit, eum unice admiretur calamoque honorem habendum esse prudentissime judicet, quem ingenio, doctrinae, eloquutioni, denique virtuti majores nostri, antiqui viri, male tribuissent. Quare haud scio, an novitiorum interpretum multitudo virum ingenio et doctrinâ abundantem ut et ipse explicatoris munere fungatur etiam invitet; me quidem, quamquam meae me mediocritatis poenitet, non deterruit, quominus per gravissimum munus quod nunc obeo aliquam scribendi opportunitatem, raram illam quidem Rostochii, sed tanto nobis omnibus jucundiorem, nactus de paullo obscurioribus epistolae ad Galatas locis disputare exordirer.

Proficiscor a l. Gal. c. II, v. 1 — 10., qui in difficillimis N. T. locis jure meritoque numeratur. — Quod Paulus c. I, v. 11. et 12. contendit, doctrinam christianam Galatis traditam non ab homine se, sed a Christo accepisse, his argumentis probat. Dum Judaeus fui, inquit, Christianorum coetum ad internecionem persequutus sum, unde non hominem me, ut in Christi disciplinam me traderem, induxisse facile intelligas (c. I, v. 13. 14.). Deinde postquam Dei beneficio et Christianus factus sum et paganorum hominum Apostolus constitutus, continuo non fragilium hominum consilia habui, neque Hierosolyma ad Apostolos ante me tanto muneri praepositos, a quibus institui potuissem, profectus sum, sed in Arabiam contendi, quo facto me Damascum recepi (v. 16. 17.). Quare eo tempore, quo me magistro maxime eguisse aliquis existimet, Apostolum non conveni, qui me erudiret. Tum exacto triennio Hierosolyma veni, non ut Christi doctrinam discerem, sed ut Petrum de facie cognoscerem. Ibi autem Apostolos me non finxisse ex eo elucet, quod non nisi quindecim dies apud Petrum commorarer intra tam paucos dies non alium praeter Petrum vidi Apostolum, nisi quod Jacobum, Jesu fratrem, vidi (v. 18. 19.); *) id quod jurejurando interposito confirmo (v. 20.). Relictis Hierosolymis non in Judaeâ substiti, ut nimirum Apostolorum doctrinam ex occulto exciperem, sed in Syriae et Ciliciae tractus veni, ubi ita

---

*) Hanc interpretationem proposui in Comment. ad Matth. p. 482. Quam qui amplecti noluerit, is Jacobum, Domini fratrem, sensu latiore, quo Apostoli dicuntur *magistri christiani, non ab Jesu edocti et constituti* (v. Act. XIV, 4. Rom. XVI, 7. cl. Comment. m. ep. ad Rom. p. 4.), Apostolum vocari fateatur necesse est.

tum degi, ut famâ, non facie coetibus judaicis notus essem (v. 21 — 24.). Deinde post aliquot annos rursus profectus sum Hierosolyma cum Barnaba et Tito, Dei quidem admonitu; ubi quum doctrinam christ., quam paganis tradere soleo, primariis Apostolis exposuissem, me non operam ludere aut lusisse intellexi (c. II, v. 1. 2.). Nam praeterquam quod ego et Barnabas Apostolorum jus et auctoritatem eo obtinuimus, quod doctrinae christ. veritatem vobis, Galatis, conservaturi, ut Titus circumcidi cogeretur, passi non sumus (v. 3 — 5.); Jacobus, Petrus et Johannes, summi Apostoli, nos socios suos gentiliumque magistros dextris datis declaraverunt (v. 6 — 10.). Quare ille ego, Christi, non Apostolorum discipulus (c. 1, v. 11. 12.), quum ad divinitus datum beneficium hoc quoque ornamentum mihi accesserit, ut a primariis Apostolis Apostolus et ipse consalutarer, quidnam tandem obstat, quominus germanus Christi Apostolus a vobis judicer?

Sed nunc de singulis v. accurate disputandum est. — Cp. II. v. 1. 2. *διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν*] *Grotius* *διὰ τεσσάρων ἐτῶν* scribi vult, si qui Cdd. pro *δεκατεσσάρων* habeant *τεσσάρων*. Item *Ludov. Capellus*, *Bertholdtus* (*Einl.* T. V. p. 2711 sq.), *Kuinoelius* (ad Acta Apost. Proleg. p. XXV sq.), *Schottus* (Isagoge historico-critica in libros N. T. sacros p. 196.) aliique Paulum *τεσσάρων* posuisse existimant, chronologicis maxime rationibus adducti. De quibus peculiari Excursu, quem versus decimi interpretationi subjiciam, sigillatim dicam. Possunt enim impediti loci explicatione absolutâ et paucioribus verbis comprehendi et minore negotio dijudicari. Praeterea periculum est, ne et rerum actarum tempus notare et verba dilucidare eadem operâ conatus ad praejudicatam opinionem, quam singulis vocabulis nondum diligentissime excussis habuerit, nonnulla etiam verba cupiditate, ut fit, provectus nolens et insciens detorqueat, quod haud scio an nonnullis acciderit. Quamobrem rebus historicis et chronologicis ei quod dixi tempori reservatis Criticum nunc agam et interpretem, quidnam Paulus h. l. dixerit amotâ cupiditate exquisiturus. Jam si temporis rationes, ut illis VV. DD. visum est, v. *δεκατεσσάρων* respuant et *τεσσάρων* unice recipiant, quaeritur, utrum Codicum lectio sit an interpretum conjectura. Atqui *διὰ τεσσάρων ἐτῶν* nusquam repertum est, nisi in Eusebii Chronico paschali, ubi *τεσσάρων* *non e Cdd. haustum afferri*, ne cuiquam in dubio sit, verba nunc examinare placet. Sunt autem haec (ed. *du Fresne* Venetiis 1719. fol. p. 186.): Ὑπ. *Ἀσιατικοῦ καὶ Σιλάνου. Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἀνῆλθε πάλιν εἰς*

'Ιεροσόλυμα Παῦλος, ὅθεν γράφει Γαλάταις περὶ ταύτης τῆς ἀναβάσεως οὕτω· Διὰ ιδ' ἐτῶν πάλιν ἀνῆλθον εἰς 'Ιεροσόλυμα. Καὶ ὃ εἶπε Πάλιν δηλονότι ἑτέρα ἐστὶν ἀνάβασις αὕτη. Τῷ εἰπεῖν αὐτὸν Διὰ ιδ' ἐτῶν δοκεῖ μοι τοὺς χρόνους τῶν ἀποστόλων τοὺς ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως ἀριθμεῖν αὐτόν. 'Απὸ γὰρ τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου ἕως ταύτης τῆς ἀναβάσεως πληροῦνται τῶν ἀποστόλων ἔτη ιδ', μῆνες ι. Καὶ εἰ μὴ τοῦτο δῶμεν εὑρεθήσεται ὁ χρόνος ἀφ' οὗ ἐβαπτίσθη καὶ ἀνέβλεψεν, ὡς περιέχουσιν αἱ Πράξεις, ἔτη δ'. Καὶ τοῦτο οὐ μόνον καθὼς αἱ Πράξεις φέρουσιν, ἀλλὰ καὶ 'Ιώσηπος, λέγων, τρία ἔτη Κλαυδίου ζῆσαι τὸν 'Ηρώδην, καὶ εὐθέως μετὰ τὴν τελευτὴν 'Ηρώδου κληθῆναι Παῦλον καὶ Βαρνάβαν εἰς ἀποστολήν, τουτέστι τετάρτου χρόνου Κλαυδίου, ὡς καὶ αἱ Πράξεις δηλοῦσι. Καὶ οὐ ταῦτα μόνον πείσουσί τινα, ἀλλὰ καὶ εὑρεθήσεται ὅλος ὁ χρόνος τῆς διδασκαλίας Παύλου, ἀφ' οὗ εἰςῆλθεν εἰς ἀποστολὴν ἔτη θ' ἕως οὗ ἐβλήθη εἰς φυλακὴν ὑπὸ Φήλικος μέλλων εἰς 'Ρώμην ἐπὶ Νέρωνος ἐκπέμπεσθαι, ὡς τὰ ἐφεξῆς τῶν Πράξεων δηλοῖ καὶ οἱ χρόνοι τῆς βασιλείας πάλιν. Quae verba si incorrupto animo expenderis, duo concedas necesse est: unum, Chronici scriptorem *δεκατεσσάρων* in Cdd. N. T. invenisse, quod quum ad *secundum* Pauli iter (Act. XI, 30. cl. XII, 25.), de quo h. l. exponi credidisset, alio modo accommodare nescivisset, Apostolum annorum *a Christi in coelum abitu* usque ad secundum suum iter Hierosolyma susceptum exactorum, qui quattuordecim fuissent, numerum exsequutum esse finxisse: alterum, quum sui commenti vanitatem ipse sensisset (attende ad v. *καὶ εἰ μὴ τοῦτο δῶμεν κ. τ. λ.*), ut secundo Pauli itineri tempus constaret, *τεσσάρων conjecisse.* Male *Bertholdtus* l. c. p. 2738. scriptorem *τεσσάρων* e Cdd. petivisse autumat propterea, quod se non nisi conjectando in id incidisse non diserte affirmavit. Satis enim perspicue se *conjecturam* quandam suam proferre eo indicavit, quod si non concedamus quod incredibile esse videatur, Paulum quattuordecim annos a Christo in coelum sublato ad secundum suum iter Hierosolyma factum numerasse, hoc unum restare dixit, ut *quattuor* annos ab Apostoli ad Christianorum coetum transitione (Act. IX, 17 sq.) usque ad secundum iter hierosolymitanum (Act. XI, 30.) Actorum apostolicorum argumento et Josephi testimonio moti computemus. Hoc igitur consilium, in quo lectoribus impense commendando vehementer laboravit (cf. v. *καὶ οὐ ταῦτα μόνον πείσουσί τινα, ἀλλὰ καὶ κ. τ. ἑ.*), gravissimo Cdd., qui *τεσσάρων* tuerentur, testimonio firmare non potuit, debuitque, ut illud plausibile redderet, ita dis

putare: „si in epistolâ ad Galatas τεσσάρων hâc lege scribas, ut quattuor annos, qui a Pauli ad Christi disciplinam transitione usque ad secundum ejus iter Hierosolyma susceptum effluxerint, dici putes, verum teneas. Nam quae Act. IX, 18. — XI, 30. narrantur quattuor annorum spatio acta sunt. Favet huic sententiae etiam Josephus A. J. 19, 8, 2., Herodem Agrippam, qui eo fere tempore, quo Paulus iterum Hierosolymis versaretur, Caesareae mortuus est (Act. XII, 19 sq. cl. v. 25.) tres annos imperante Claudio regnavisse referens. Nam exstincto Herode protenus Paulum et Barnabam Apostolos constitutos esse scimus (Act. XIII, 2.) h. e. anno *quarto*, quo Claudius imperaret. Eo autem tempore quadriennium praeterierat, ex quo Paulus Christianus factus erat (v. supra). Id quoque mea sententia affert emolumenti, quod eâ probatâ Paulum per *novem* annos Apostoli munere functum esse, donec a Felice in vincula conjectus est, ut sub Nerone Romam deportaretur, constat. Hoc tum ex Apostolorum Actis cognosci potest (v. XXIII, 35 sq. cl. XIII, 2 sq.), tum ex eo intelligitur, quod Claudius *tredecim* annos imperavit (v. Joseph. A. J. 20, 8, 1.)." Non igitur Cdd. auctoritate τεσσάρων nititur, aut fide antiquitatis, sed Chronographi conjecturâ. Quamquam Criticus paullo circumspectior, ut jure se διὰ δ' ἐτῶν pro διὰ ιδ' ἐτῶν conjecisse ostenderet, alteram conjecturam διὰ ἰ ἐτῶν, quae alicui incidere posset, intolerabilem esse diligenter docuisset. Sed si temporum rationes, ut illam conjecturam amplectamur, utique efflagitent, haud sane desunt argumenta dictu speciosa, quibus exornetur. Facili enim errore librarii, si qui literarum compendiis numeros notarunt, pro διὰ δ' ἐτῶν scripserunt διὰ ιδ' ἐτῶν. Item scribae, numeros suis conceptos nominibus indicare soliti in hunc errorem, ut pro διὰ τεσσάρων ἐτῶν exararent διὰ δεκατεσσάρων induci poterant praecedente voce διά, quum aut bis eam in Codice male scriptam invenissent, aut ibi lectionem ἔπειτα δὲ (v. Chrysost.) διὰ τεσσάρων ἐτῶν exoletis literis consignatam repeŕissent, quae eos ad hanc hariolationem abriperet: ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν —. Ne hoc quidem a fide prorsus abhorret, quamquam parum verisimile est, importunam hujus loci cum l. posterioris ad Corinthios epistolae, eodem fere tempore scriptae, XII, 2. (— πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων —.) collationem eo valuisse, ut δεκατεσσάρων pro τεσσάρων nostro loco temere obtruderetur. διὰ δεκατεσσάρων [τεσσάρων] ἐτῶν] i. e. *post* quattuordecim [quattuor] annos. Bene Chrysost.: — δεκατεσσάρων παρελθόντων ἐτῶν —. Cf. Xenoph. Cyr. 1, 4, 28. et 5, 5, 13. διὰ χρόνου interjecto

tempore h. e. post aliquod tempus, Aristoph. Plut. v. 1045. *διὰ πολλοῦ χρόνου post* magnum temporis intervallum, LXX Deut. IX, 11. *διὰ τεσσαράκοντα ἡμερῶν καὶ διὰ τεσσαράκοντα νυκτῶν* [מִקֵּץ אַרְבָּעִים יוֹם וְאַרְבָּעִים לַיְלָה] i. e. exactis quadraginta diebus et noctibus, quas impransus in monte transegi (v. v. 9.), *Raphel.* ex Herod. et *Borger.* ad h. l., et notam meam ad Marc. II, 1. p. 50. Neque *διά* nisi *post* in iis quoque l. significat, cujusmodi est Aristoph. Plut. v. 584. *εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ἂν ποιῶν τὸν Ὀλυμπικὸν αὐτὸς ἀγῶνα, | ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι' ἔτους πέμπτου (post* annum quintum h. e. quinto quoque anno) *ξυναγείρει, | ἀνεκήρυττεν τῶν ἀσκητῶν τοὺς νικῶντας στεφανώσας| κοτινῷ στεφάνῳ;* *) *Oederus* apud *Wolfium, Theilius* in *Wineri*

---

*) Si quaeras, qui factum sit, ut *διά* cum Genitivo de tempore positum Graecis *post* significaret, S. V. *Hermanno* ad Vig. 6. 856. assensus hunc usum a notione *per*, quod ad confectum temporis spatium referretur, profectum esse existimo. Ita *διὰ πολλοῦ χρόνου σ' ἑώρακα* valet *longo temporis spatio decurso* (quo te non vidi) *te vidi* i. q. *post* longum temporis intervallum te vidi. Contrariam viam Romani ingressi sunt, quum notionem *post* praeverbio *ex* enuntiarent. Neque enim rem post temporis intervallum factam animo conceperunt ejusmodi, quae *decurso* temporis spatio fieri inceperit, ut Graeci, sed talem, quae, postquam *ab* aliquo tempore facta non sit, jam fiat. Cf. v. c. Liv. 27, 34. Tum (M. Livius) *ex tanto intervallo auditus* convertit ora hominum in se — . i. e. tum ex tanto intervallo, *quo stans sententiam in senatu non dixerat* (v. praecedentia), [primum] auditus convertit ora hominum in se — . Non recte *Matthiae (Ausf. gr. Gr.* II. p. 1150.) illum usum ex iis l. manasse putat, in quibus *διά* cum Genitivo de locorum distantiâ dicitur. Nam quum mens humana temporis et locorum intervalla aeque distinguat, vocabula quae intercapedinis notionem exprimunt de utroque pariter usurpari neque ita collocari solent, ut a locis tanquam suâ sede convulsa ad tempus velut in alienum domicilium transferantur. Herodot. 7, 30. *ἔπειτα (Λύκος ποταμός) διὰ σταδίων ὡς μάλιστά κῃ πέντε* (*confecto* quinque stadiorum spatio, quo fluvius non compareat [v. praecedentia] i. e. *post* quinque stadiorum intervallum) *ἀναφαινόμενος ἐκδιδοῖ καὶ οὗτος ἐς τὸν Μαίανδρον.* 7, 198. *ἀπὸ δὲ τούτου δι' ἄλλων εἴκοσι σταδίων* (si totidem alia stadia percucurreris h. e. *ex* totidem aliorum stadiorum intervallo) *ἄλλος ποταμός ἐστι, ὃς καλέεται Μέλας.* Postremo *Winerus* Gr. p. 326. ed. 4. p. 363. acriter virum quendam doctum impugnavit, qui *διά* cum Genitivo ita de tempore poni contenderit, ut non rem *post* tempus, sed *cogente tempore praeterlapso* factam indicet. Qui si usus originem aperire voluit, longinqua consectatus rem confinxit parum credibilem (qui enim res raro dicenda, aut invitante aut cogente elapso temporis spatio aliquid factum esse, eo valuerit, ut *διὰ χρόνου post* aliquod tempus, in

Neuem krit. Journ. T. VIII. p. 175., *Paulus* in Comment. p. 34. et *Schottus* in l.: *Erörterungen einiger wichtigen chronologischen Punkte in der Lebensgesch. des 'Ap. Paulus u. s. w. Jena* 1832. 8. p. 20. 21 cl. p. 108. exponunt: *intra quattuordecim annos, qui a meâ ad Christi sacra transitione usque ad praesens tempus effluxerunt.* Male. Vere enim monuit *Winerus* Comment. p. 162. ed. 3., Paulo *διὰ τούτων τῶν δεκατεσσάρων ἐτῶν* hoc pacto scribendum fuisse [v. Act. I, 5. V, 36. XXI, 38. Cic. pro M. Caelio c. 32. 78. — quâ in civitate *paucis his diebus* Sex. Clodius absolutus sit. — Commentat. meam de Confessionis Augustanae usu hâc aetate. Rostochii 1830. 4. p. 15 sq. et *Wineri* Gr. p. 140. ed. 3.], quam quam majorem etiam eum verborum perspicuitatem adhibiturum fuisse (v. c. *ἐν τούτοις τοῖς δεκατέσσαρσιν ἔτεσιν, ἐν οἷς διὰ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ κληθεὶς Χριστοῦ δοῦλος γέγονα.*) credo propterea, quoniam ita h. l. cum Galatis disputat, ut res suas primum accurate narrare iis hominibus videatur, qui parum eas in promtu haberent. Accedit, quod praeverbium *διά* illi explicationi obstat. Quod qui cum Genitivo consociatum et de tempore locatum *während intra* temporis spatium designare l. Hebr. II, 15. *διὰ παντὸς τοῦ ζῆν* Xen. Cyr. 2, 1, 19. *διὰ παντὸς τοῦ αἰῶνος,* Mem. 1, 2, 61. *διὰ παντὸς τοῦ βίου* et similibus l. collatis perhibent [v. *Win.* Gr. p. 363. ed. 4.], formulae sensum (*per* totam vitam i. q. dum vivo) cum praepositionis *διά per* significatu perperam confundunt neque sapientius faciunt, quam si quis in formulâ *die ganze Lebenszeit hindurch* vocem *hindurch* idem notare), quod *während* contendat. Deinde Graeci nunquam *διά* cum Genitivo de tempore sic posuerunt, ut temporis spatium indicarent, intra quod *aliquamdiu* nescio quid factum sit, sed constanter *totum aliquod tempus* istâ loquutione complexi sunt. Aristoph. Ran. v. 265 — *κεκράξομαι γὰρ | κἄν με δῇ δι' ἡμέρας* (per *totum* diem) |, *ἕως ἂν ὑμῶν ἐπικρατήσω τοῦ κοάξ* —. Item Athen. ed. Dind. II, p. 921. — *ἐσθίειν δι' ἡμέρας.* Ibid p. 598. *Εἶτα πῶς δειπνήσομεν τοσαῦτα δεῖπνα; ἴσως διὰ νυκτὸς ὡς ὁ χαρίεις Ἀριστοφάνης ἐν Αἰολοσίκωνι εἶπεν, οὕτως λέγων οἱονεὶ δὲ ὅλης νυκτός.* Herodot. II, 155. — *σὲ γὰρ ἐχρῆν ἐν θρόνῳ σεμνῷ σεμνὸν θωκέοντα δι' ἡμέρης* (per totum diem) *πρήσσειν τὰ πρήγματα.*, ubi vid. *Wes-*

Graecorum consuetudinem veniret?); sin *διὰ πολλοῦ* et similia nunquam non Graecis tempus, quod ut aliquid aut fieret aut eveniret effecerit, notare sibi persuasit, vehementer erravit.

sel. p. 188. Alciphr. ep. 1, 2. init. *Μάτην ἡμῖν πάντα πονεῖται, ὦ Κύρτων, δι' ἡμέρας* (per totum diem) *ὑπὸ τῆς εἵλης φλεγομένοις, νύκτωρ δὲ ὑπὸ λαμπάσι τὸν βυθὸν ἀποξύουσι.* a quo loquendi usu Lucas ita descivit, ut *διὰ τῆς νυκτός* passim non de totâ nocte, sed de noctis parte collocaret, v. c. Act. XVI, 9. *καὶ ὅραμα διὰ τῆς νυκτὸς ὤφθη τῷ Παύλῳ·* (nam visionem non per totam noctem, sed noctu, h. e. per aliquam noctis partem, Paulo oblatam esse, res docet) cl. Act. V, 19. XVII, 10. XXIII, 31. (male *Schottus* l. c. p. 20. et *Win.* l. c. eodem contulerunt Act. I, 3. *δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα* i. e. per *integros* quadraginta dies.)*). Quae quum negligentia sit popularis sermonis, quâ susceptâ etiam Germani *den Tag (die Nacht) über* s. *hindurch* de rebus dicunt *interdiu* (noctu), non per totum diem (per totam noctem) factis, ex isto Lucae usu, seu potius abusu, non minus recte *διὰ τούτων τῶν δεκατεσσάρων ἐτῶν* hoc sensu: *temporis spatio his quattuordecim annis incluso* poni temere colligas. Nemo enim *διὰ τούτων τῶν δεκατεσσάρων ἐτῶν* et similia ambiguum, contortum rationeque destitutum loquendi genus amplexus isto sensu collocaverit, quum perspicue et usitate *ἐν τούτοις τοῖς δεκατέσσαρσιν ἔτεσιν* dicere potuisset. Nunc quaeritur, quo modo Paulus quattuordecim (quattuor) annos computaverit. Qui aut a trium annorum I, 18. memoratorum fine profectus est, aut a suo ad Christi disciplinam transitu, sive, ut rectius dicam, a suo ex Hierosolymis abitu et itinere Damasceno, quo pacto tres anni I, 18. commemorati quattuordecim annis comprehenduntur, v. Gal. I, 15. cl. Act. IX, 3. Utrum verum sit, non grammaticae rationes demonstrant, sed chronologicae evincunt. Illud totius l. perpetuitas docet, tres annos Gal. I, 18. non ab Apostoli reditu ex Arabiâ, sed ab ejus discessu ex Hierosolymis computandos esse. Nam ut P. humanae institutionis suspicionem ab se removeat, ut rem gravem hoc commemorat, se Christianum factum non *continuo* (*εὐθέως* I, 16. 17.) Hierosolyma redisse. Unde qui

---

*) Scilicet *ὀπτάνεσθαί τινι* h. l. *ad tempus se alicui conspiciendum praebere*, quod angeli facere consueverunt (v. Tob. XII, 19. cl. 22.) designat *(Jemandem erscheinen)*, quemadmodum *ὀπτασία* de visione *ad tempus* tibi oblatâ usurpatur. Nempe Servator priusquam vitâ receptâ in coelum profectus est et subito amicis se obtulit et subito evanuit Luc. XXIV, 13 — 43. Hoc igitur dicit Lucas, Jesum per *integros* quadraginta dies Apostolis se passim in conspectum dedisse, quo tempore exacto cum nemine eum congressum esse, ut qui relictâ terrâ sublimis in coelum abiisset.

a partium studio alienus hunc l. consideraverit, εὐθέως I, 16. 17. et μετὰ ἔτη τρία I, 18. sic invicem opponi, ut utriusque formulae terminus Pauli abitus ex Hierosolymis constituatur facile fatebitur. πάλιν ἀνέβην] D. E. F. G. It. ἀνέβην πάλιν | Iren. Chrys. ἀνέβην omisso πάλιν. Hinc *Millio* Prol. §. 479. πάλιν ex ante dictis I, 18. irrepsisse videtur. Crederem, si major esset subsidiorum πάλιν excludentium et numerus et auctoritas. Nunc apparet, πάλιν, quum aut fortuitu post ἐτῶν et ante ἀνέβην in nonnullis libris excidisset, aut per negligentiam ut vocabulum ad sententiae integritatem minus necessarium ab interpretibus praetermissum esset, e fugâ retractum scribas passim loco non suo posuisse. Ceterum frustra disputant, qui, quoniam πάλιν non idem valeat quod τὸ δεύτερον, h. l. de secundo itinere Hierosloyma facto agi e Pauli v. recte colligi negant. Licuisse enim Apostolo, quum secundum iter, aut quod non diu tum Hierosolymis versatus esset, aut quod nihil ibi eo tempore memoriâ dignum gessisset, silentio transisset, hîc de tertio itinere hierosolymitano sic loqui, ut se post quattuordecim [quattuor] annos *rursus* Hierosolyma profectum esse cum Barnaba, assumto etiam comite Tito, contenderet. Certe eum *rursus* Hierosolymis fuisse, non solum quum secundum, sed etiam quum tertium aut quartum eo venisset. At quum P., ne se ab Apostolis institutum esse Galatae suspicarentur, se Christianum factum *non continuo*, sed *exacto triennio*, Hierosolyma contendisse, ut Petrum de facie cognosceret, ibique paucos dies versatum esse monuerit I, 15 — 20., deinde se in Syriae et Ciliciae tractus inde profectum ita ibi vixisse, ut christianis per Judaeam coetibus famâ, quae eos laetitiâ affecerit, non facie notus esset, adjecerit I, 21 — 24., proxima v. II, 1. hanc sententiam contineant necesse est: tum non prius fui Hierosolymis, quam quattuordecim [quattuor] exactis annis, quo tempore cum Barnaba et Tito eo profectus sum. Τίτον] Mt. e Τῖτον. Item vs. 3. 2. 4. 7. ap. *Wetst.*, Mt. e et edd. *Erasmi*, *Colinaei*, *Stephani* 1. 2., *Bogardi* al. Τῖτος. Male. Est enim Τίτος paenultimâ brevi. V. 2. Explicat nunc P., quâ re motus Hierosolyma tum profectus sit. Nam δέ, ut *autem*, vim habet exponendi, velut Matth. XXIII, 5. Rom. I, 12. III, 22. Gal. III, 17. Phil. II, 8. al. ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν] h. e. *contendi autem Hierosolyma Dei monitu* (non meo consilio usus), ut recte tantum non omnes interpretes v. Gal. I, 12. Eph. III, 3. 2 Cor. XII, 1. 7.). Quum P., quem multis saepe modis a Deo admonitum esse constat, Dei oraculum non accuratius h. l. descripserit,

utrum in somnis obversatam monentis speciem (Act. XVI, 9. XVIII, 9. XXIII, 11.), an divini spiritus mandatum (Act. XVI, 6. 7.), an divinum furorem, quo extra se raperetur (Act. XXII, 17. 2 Cor. XII, 1. 7.), an nescio quam aliam divinationem dixerit frustra quaeras. Quare sobrium interpretem responsi divini, quod praeter naturae ordinem legemque P. tulisset, notione contentum esse decet. Sunt autem verba ejusmodi, ut *ipsi Apostolo* oraculum datum esse appareat. Nam si cuipiam alii evenisset, ne Galatae suarum rerum parum gnari incerti essent veri, illud perspicue dicere debuerat. Unde si h. l. de secundo P. itinere Hierosolyma suscepto sermo instituatur, v. *κατὰ ἀποκάλυψιν* ad divinum afflatum, quo Agabus futuram famem praedixit Act. XI, 28., referri nequeunt, sed res sic animo concipienda est, ut P. Hierosolyma proficisceretur pecunias in Christianorum palaestinensium usum Antiochiae collectas eo cum Barnaba deportaturus Act. XI, 30., motum eum esse aliquo sibi dato Dei oraculo, quo admoneretur, ut hâc occasione oblatâ Christi doctrinam, sicut eam inter paganos tradere soleret, quandoquidem ejus vim veritatemque jam experiri luberet, quum Christianis hierosolymitanis exponeret tum quorum summa esset existimatio collegis enarraret; sin de tertio Apostoli itinere Hierosolyma facto hîc agatur, sic statuendum est, ut legationem a coetu Christianorum antiocheno sibi delatam obiret Act. XV, 2 sq. divinum responsum effecisse, quo suae docendi formulae vim ac robur cogniturus Hierosolyma abire juberetur. *Car. Schraderus* in l. (*Der Apostel Paulus.* T. I. p. 74. Lips. 1830. 8.) et S. V. *Hermannus* (Progr.: *De Pauli epistolae ad Galatas tribus primis capitibus.* Lips. 1832. 4. p. 6.), cui S. V. *Schulzius* (Progr.: *De aliquot N. T. locorum lectione et interpretatione.* Uratislaviae 1833. 4. p. 18.) nuper assensus est, v. *ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν* in hunc modum interpretati sunt: *profectus autem sum Hierosolyma* *explicationis causâ* h. e. (v. v. sq.) *ut et Christianis hierosolymitanis et Apostolis patefacerem rem opertam, verâm esse disciplinae christ. formulam, quam inter gentiles doctor sequi soleo.* Dissentio cum *Hermanno*, viro summo et dum vivam pie mihi colendo. Nam quod ut vulgatam explicationem infringeret Paulum propter divinum quoddam monitum Hierosolyma tum abisse, Act. XV, 2. antestatus, negavit, pro exploratâ re sumsit rem nisi decipior falsam, certe valde ambiguam, ad tertium iter hierosolymitanum h. l. respici; quod ut verum sit, nihil tamen impedit, quominus v. *ἀποκαλύψεως* de divinâ admonitione intelligamus (v. supra). Deinde

quod vir summus addidit: „Illud, quod *Lutherus* expressit, Graece quoque dicendum erat *κατά τινα ἀποκάλυψιν*. Nam etsi etiam *κατὰ ἀποκάλυψιν* significare potest *secundum admonitionem divinam*, tamen id linguae leges non aliter ferunt, quam ubi distincte divina admonitio ab aliâ causâ discernenda est eique opponenda." iis hoc objecerim, discriminari h. l. Dei monitum, quod ad iter cohortaretur, ab eundi consilio, quod ipse capere potuisset (cf. supra). Accedit, quod si Ap. *κατά τινα ἀποκάλυψιν* scripsisset, Dei admonitionem, quam admirari debuerat, elevasse videretur. Simplicissime enim v. *ἀνέβην δὲ κατά τινα ἀποκάλυψιν* aut sic exponeres: — secundum aliquod, *cujus rationem reddere nequeo* (2 Cor. XII, 2.), Dei monitum, quo consilio supervacaneam *obscurae* Dei admonitionis cogitationem in hunc l. inferres, aut ita enarrares: — secundum aliquod, *nescio quod*, Dei monitum —. Sic vero de insigni Dei decore contemtim loqueretur*). Sed *Hermanni*

---

*) Obiter hic de Act. XIII, 25. dicere placet, ubi *Winerus* Gr. p. 145. (ed. 4. p. 157.) eorum rationem, qui v. sic interpungunt: *τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι, οὐκ εἰμὶ ἐγὼ, ἀλλ', ἰδού, ἔρχεται μετ' ἐμὲ οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι*, ut *τίνα* idem quod *ὅντινα* valere putent, (*quem* me esse suspicamini, non sum ego, sed —.) tribus l. prolatis, in quibus *τίς* pro *ὅςτις* inveniatur, prorsus condemnandam esse negat. Equidem ne tum quidem, si barbarismus, quo *τίς* pro *ὅς* ponitur, in N. T. reperiri posset, male ille a *Fischero* ad Well. II, p. 230. ibi quaesitus, quod ad Marc. p. 242. infitiatus sum, aliam praeterquam hanc distinctionem ferendam existimarem: *τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγώ, ἀλλ', ἰδού, κ. τ. ἑ.* Nam et elegantem fundit sententiam et ad N. T. usum optime respondet. Quum autem, inquit Lucas, Johannes baptista in cursu esset haec dixit: *quemnam me esse suspicamini? Non ego sum qui in hominum exspectatione est* (i. e. Messias: cf. Joh. VIII, 24. 28., not. meam ad Marc. XIII, 6. p. 561. et vocem vernaculam: ich bin's.), *sed, ecce, post me venturus est, cujus calceos qui solvam dignus non sum*, i. e. qui tandem altissima quaeque et excelsissima de me suspicari vobis in mentem venit? Scitote igitur, non me esse Messiam, sed eum post me proditurum esse. Neque aliter hunc l. antiquitus explicatum esse, documento est lectio A. *τί ἐμὲ* pro *τίνα με*. Jam quod *Win.* l. c. Soph. Electr. v. 1167. *τί δ' ἔσχες ἄλγος; πρὸς τί τοῦτ' εἰπὼν κυρεῖς;* post *ἄλγος* virgulam collocavit *πρὸς τί* explicans per *ὅ, τι*, haud dubie erravit. Duplicem enim vim habet *ὅςτις*, *demonstrativam*, ubi *ὅς* plus valet, *τίς* autem additur ut in re haud certâ quod fere est *qui*cunque, et *interrogativam* in oratione quidem obliquâ, non rectâ, ubi *τίς* poni oportet, *quis*, ut: *nescio quid dicas*, *οὐκ οἶδ' ὅ, τι λέγεις*. Posterius optimi quique scriptores etiam sic enuntiarunt: *οὐκ οἶδα, τί λέγεις*, minime vero illud prius. Vitiosissimum mihi videtur *οὐκ εἶδον ἄνδρα, τοῦ πυθοίμην*

interpretationi hoc fortasse vere obtendas, sicut recte et usitate dicatur ἐκπλώω κατὰ λῃΐην (Herodot. 2, 152.), ἥκω κατὰ θέαν (Thucyd. 6, 31.) et similia, ita miram videri loquutionem ἀνέβην κατὰ ἀποκάλυψιν, *ich bin hinaufgereist* *n a c h e i n e r E r k l ä r u n g* i. e. ut rem obscuram patefacerem. Equidem non dubito, quin P. sententiam, quam S. V. *Hermannus* verbis ἀνέβην δὲ κ α τ ὰ ἀ π ο κ ά λ υ ψ ι ν subesse existimavit, ita enuntiaturus fuerit: ἀνέβην δὲ ἀ π ο κ α λ ύ ψ α ι (1, 15, s. γνωρίσαι Eph. VI, 19.) αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω κ. τ. λ. s. ἀνέβην δὲ ἵ ν α ἀ π ο κ α λ ύ ψ ω (Joh. III, 17. s. ἵνα γνωρίσω) αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω κ. τ. ἑ. ἀνεθέμην] *enarravi.* Formula ἀνατίθεσθαί τινί τι (v. Act. XXV, 14. et, *Wetst.* ad n. l., qui Aristoph. Nub. v. 1454. male hûc retulit) a loquutione ἐκτίθεσθαί τινί τι (Act. XXVIII, 23.) non sententiâ differt, sed sententiae informatione et tropo. Utraque *alicui rem m a n i f e s t a r e* notat; sed illa *alicui rem t a n q u a m e x a n g u l o i n l u c e m p r o t r a c t a m p r o p o n e r e* *) significat, haec *alicui rem tricis i m p e d i t a m e t c o m p l i c a t a m e x p l i c a r e s. e x p o n e r e* declarat. Nihil est difficultatis in loquutione ἀνατίθεσθαι π ε ρ ί τ ι ν ο ς 2 Macc. III, 9. proponere *de* re (*einen Vortrag halten ü b e r etwas*) et ἀνατίθεσθαί τι π ρ ό ς τ ι ν α Alciph. ep. 3, 59., ubi ἀνατίθεσθαι ut verbum dicendi struitur (*einen Vortrag über etwas a n jemand richten*).

---

pro ὅτου π. non vidi virum, ex quo quaererem. Recte igitur S. V. *Hermannus* in Soph. Aj. v. 781. conjunxit ὥςτε μ' ὠδίνειν, τί φῄς ita ut discrucier *quid* dicas. Nonnulla hujusmodi exempla collegit *Erfurdtius* ad Soph. Oed. T. v. 74., ubi τί semper est *quid*, nunquam *quod.* At in Electrâ *Wineri* interpunctione susceptâ τί non valet *quid*, sed *quod*: quid vero est moeroris, ob *quem* id forte dixeris? Verissime igitur vulgo distinguitur: — ἄλγος; πρὸς τί —; In Callimacho epigr. 29. ed. *Blomf.* Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελεύθῳ | χαίρω, τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει. *Bentlejus* de lectione dubitat, monens tamen, Callimachum etiam alio in loco scripsisse putari τίς pro ὅς., *Blomfieldus* e conjecturâ reposuit τῇ πολλοὺς — . Recte, opinor, quamquam a Callimacho istum barbarismum non omnes abjudicant. Cf. v. c. *Schaeferum* ad Demosth. III, p. 85. Denique locus Platonis rep. p. 537. B. καὶ ἅμα μία καὶ αὕτη τῶν βασάνων οὐκ ἐλαχίστη, τίς ἕκαστος ἐν τοῖς γυμνασίοις φανεῖται, nihil habet miri. Obtinet enim percontatio *obliqua*, plane ut in Soph. Ajace — ὥςτε μ' ὠδίνειν, τί φῄς.

*) Simili tropo Germani dicunt *jemandem etwas v o r t r a g e n;* neque enim graecae dictioni prorsus respondet formula *jemandem etwas v o r s t e l l e n.*

ἀνεθέμην] F. G. (Codd. foede interpolati) *ἀνεβαλόμην*. *Matthaeius* ed. min.: „Latinistae *contuli*. Sic plerumque reddunt *συμβάλλειν* [v. *Sabatier* ad Act. XVII, 18.]. Ergo Cdd. recensionis occidentalis F. G. servatâ primâ syllabâ ex *ἀ ν ε θέμην* conflarunt *ἀνεβαλόμην* loco *συνέβαλον*. Ne autem fraus appareret, in istis Cdd. non est *contuli*, sed *exposui* —." Hoc ipsum, quod ibi versio latina *exposui* habet, falsam esse *Matthaeii* opinionem, vel per se satis coactam atque ejusmodi, ut unde Medium *ἀνε β α λ ό μ η ν* fluxerit, non satis intelligas, demonstrat. Imo est *ἀνεβαλόμην (rejeci* ad eos evangelium quod —.) scripturae vulgatae *glossema*. Nam *ἀναβάλλεσθαί τι ἐπί τινα* rem *ad aliquem rejicere, alicujus judicio permittere* denotat (v. Lucian. Pisc. c. 15.) *αὐτοῖς*] Christianis *hierosolymitanis*. Sic recte *Pelagius*, *Grotius*, *Flattus* al. Nam et simplicissimum est *αὐτοῖς* ita ad *Ἱερόσολυμα* v. 1. referri, ut Hierosolymorum incolas dici putes*), et recte opponuntur *οἱ Ἱεροσολυμῖται* (gregarii Christiani) hominibus auctoritate florentibus (*τοῖς δοκοῦσι*) i. e. Apostolis, et nihil impedit, quominus P. suum evangelium Christianorum vulgo tum Hierosolymis proposuerit (v. infra). Qui *αὐτοῖς* exponunt *τοῖς ἀποστόλοις (Oecum. Kopp.* al.), ut ab iis discernantur *primarii* Apostoli, qui in magnorum virorum dignationem prae illis pervenerint (*οἱ δοκοῦντες*), Paulum, quia Hierosolymorum mentione injectâ de nemine nisi de Apostolis cogitasset, eos voce *αὐτοῖς* suo nimirum animi fervore abreptum indicasse contendere debent. Quod consilium sperno, non solum quia Apostoli proximis vs. non commemorati sunt (v. I, 19.), sed etiam propterea, quod P. cum principalibus Apostolis arcana colloquia, a quibus ceteros Apostolos excluderet, de suâ docendi formulâ fecisse mihi persuadere non possum. Multo minus eorum sententiam probo, qui Pronomine *αὐτοῖς* coetus hierosolymitani *presbyteros* et *antistites* significare censent (v. *Matthies*). Sunt enim hi neque Pronomine neque membro opposito satis perspicue indicati, ut P. hoc pacto *καὶ ἀνεθέμην τοῖς πρεσβυτέροις τὸ εὐαγγέλιον κ. τ. λ.* scripsisse malles, ne et de presbyteris h. l. agi et ab iis Apostolos distingui dubitaremus. Praeterea vix erat, quod P. *presbyteros* arbitros aversatus suam formulam Apostolis seorsum enarraret (Act. XV, 6.).

---

*) v. *Hemsterhus.* ad Luc. Nigrin. init. *Ἡ μὲν παροιμία φησί. Γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, ὡς γελοῖον ὂν εἴ τις ἐκεῖ κομίζοι γλαῦκας, ὅτι πολλαὶ παρ' αὐτοῖς εἰσιν*, Act. VIII, 15. 2 Cor. II, 13. et not. m. ad Matth. IV, 23. p. 190.

τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι] Non Christi doctrinam, quâ initiati erant Hierosolymitani, sed doctrinae christ. formam, quam inter gentiles sequi soleret, Hierosolymitis tum proposuit. Hoc autem fuit Paulo peculiare, quod neque nationem, neque fortunam, neque circumsectum praeputium aut judaicas caerimonias, sed fidem et pietatem hominem christ. efficere graviter et constanter docuit (v. Rom. I, 16. Gal. VI, 15. Col. III, 19 sq. al.). Ceterum ex h. l., si eum cum v. 7. contenderis, non nisi hoc recte colligas, jam tum, quum Hierosolymis cum Barnaba et Tito versaretur, suam Paulum doctrinae christ. formulam tenuisse atque ex ea paganos instituisse (v. 7 sq.). *Κατ᾽ ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι*] *seorsum* (Matth. XVII, 19.; nonnulli *in primis, prae ceteris* contra usum loquendi) *autem* (scil. *ἀνεθέμην τὸ εὐαγγ. ὃ κ. ἐ. τ. ἔ.*) *viris qui magni aestimantur* *). Dicuntur Apostoli, quorum non nisi tres Hierosolymis tum temporis fuisse videntur (v. v. 9.) **). *Ruickertus* post *Cameronem* ***) Paulum adversariorum suorum, qui quum ipsum premerent ceteros Apostolos laudibus cupide efferrent Petrum ejusque collegas *auctoritate valere* dicerent, orationem imitatum Apostolos stomachose *τοὺς δοκοῦντας* et similibus vocibus v. 6. et 9. nuncupasse perhibet. At hunc sarcasmum ex P. verbis vix v. 6., nullâ machinâ v. 3. et 9. exsculpas et male P. eo l. acerbius in Apostolos inveheretur, quo se Christi discipulum esse hoc ostendere constituisset,

---

*) Certatim interpretes h. l. afferunt Eurip. Hec. v. 292. *Herm.* *λόγος γὰρ ἔκ τ᾽ ἀδοξούντων ἰὼν | κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.* Eodem usu et חָשַׁב sine ullo additamento Hebraeis significat *magni aestimare* (Mal. III, 16.), et חָשׁוּב apud Rabbinos *magni aestimatum* denotat (v. *Buxtorf.* Lex. talm. p. 840.) et media Latinitas *opinatum* dicit *probatum, spectatum, magni aestimatum* (v. *Salmas.* ad Historiae Augustae scriptores VI. T. II. p. 265. Lugd. Batav. 1671. 8.).

**) *Chrysostomi* interpretationem: — et *communicavi* cum Apostolis evangelium quod inter paganos trado, *seorsum autem cum viris qui magni aestimantur* (h. e. Apostolis) i. q. *et seorsum quidem cum Apostolis evangelium communicavi* non ut minus simplicem (v. *Ruickert.*), sed ut falsam et quae non cadat in v. graeca rejicio. Haec enim sententia ita fere enuntianda fuerat: *καὶ ἀνεθέμην τοῖς δοκοῦσι τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι, κατ᾽ ἰδίαν δὲ* (scil. *ἀνεθέμην αὐτὸ*), *μήπως* —. Nunc P. v. sic comparata sunt, ut eum aliis hominibus publice, aliis familiari colloquio, evangelium suum aperuisse emergat.

***) *Cameron*: — „haud dubie *διασυρτικῶς* dictum est *iis qui videbantur*: reprehendit enim tacite Paulus praeposteram multorum de quibusdam in ecclesiâ prae reliquis magnis viris opinionem.“

quod Hierosolymis et se collegam agnovissent et suam institutionem comprobassent Jacobus, Petrus et Johannes, honoratissimi Christi Apostoli. Ceterum P. non adeo aut suam virtutem admiratus est aut aliis laudes invidit, ut celeberrimorum Apostolorum auctoritatem pervelleret *). At cur seorsum Apostolis suam P. doctrinam enarraverit, quaerat aliquis. De quâ quidem re, quam alii aliter expedire conati sunt**), mihi sic videtur. Exposuit P. suam doctrinae christ. formulam tum Christianis hierosolymitanis publice, ut magister discipulis, tum seorsum Apostolis, ut collega collegis. Scilicet Christianorum vulgus a magistro, cui quomodo sua doctrina ab eo excipiatur experiri placuerit simpliciter instituendum est, ut ei dicat, quid verum et falsum, quid honestum et turpe, quid expetendum et fugiendum existimet; doctorem doctori suam disciplinam commendaturum non solum quidnam sibi videatur, verum etiam subtiles et abditas rationes, quibus suam sententiam superstruxerit, aperire decet, quae quoniam non sunt captus popularis, imperita plebs a doctorum hominum colloquio arcenda

---

*) 2 Cor. XI, 5. non sinceri Christi Apostoli, ut Petrus aut Johannes, acerbâ ironiâ perstringuntur, sed supposititii Apostoli, homines avari, fraudulenti et improbi (v. 6 — 15.). Cf. ibi *Billroth.*

**) Multis sententia probata est, quam *Clarius* his verbis conceptam retulit: „*Seorsum* autem ait [P.], ne quum disputaret esse abrogandam circumcisionem, ii qui nuper ex Judaeis crediderant offenderentur." Ita ne vulgo quidem hierosolymitano *doctrinam, quam inter gentiles tradere soleret,* exponere debuerat. Hujus enim caput erat quod supra dixi, hominem christ. censendum esse, cujus purus scelere animus sit, etiamsi praeputium gerat, quod Judaeis spurcum temere videatur (Rom. II, 28. 29.). Eodem argumento finitima *Theophylacti* opinio convellitur: „*Διὰ τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς σκανδαλιζομένους κατ᾽ ἰδίαν ὁμιλεῖ τοῖς περὶ Πέτρον ὁ Παῦλος, ἵνα μὴ στάσις γένηται καὶ μεῖζον ἀρθῇ τὸ σκάνδαλον. Μυριάδες γὰρ ἦσαν οἱ σκανδαλιζόμενοι, οὓς ἐν κοινῷ ἀκούσαντας, ὅτι ὁ Παῦλος περιτομὴν καταργεῖ, εἰκὸς ἦν ἀναθορυβῆσαι καὶ τὰ πάντα ταράξαι· διὰ τοῦτο τοίνυν ἰδίᾳ ὁμιλεῖ Τίτον καὶ Βαρνάβαν ἔχων μάρτυρας πᾶσιν ἀνθρώποις δηλοῦντας, ὅτι οὐδὲ τοῖς ἀποστόλοις ἔδοξεν ἐναντίον τι κηρύττειν.*" Postremo, ut me contineam, *Winerus* Comment. p. 54. in hunc m. disputat: *κατ᾽ ἰδίαν*] *privatim, seorsim* sc. ut ne, si his videretur *Paul.* castigandus, publicâ expostulatione ipsius auctoritas infringeretur." Neque eo, opinor, animo P. Hierosolyma venerat, ut metueret, ne ab Apostolis carperetur, et si illud veritus esset, frustra cum praeclaris viris privatim egisset, qui pro suo animi candore doctrinae christ. corruptori minime pepercissent, sed ut sibi ab homine nigro caverent Christianos palam monuissent.

est. Enarrat nunc P., quo consilio tum publice Christianis, tum seorsum Apostolis suam doctrinam proposuerit. Aptâ autem metaphorâ scriptor quid ipse contente vel agat vel egerit Apostolus, sicut Phil. II, 16., eorum contentioni assimilat qui stadium currerent. Alias acris *christ. hominum,* vitae ad Christi mandata conformandae, ut promissam felicitatem consequantur, studio ardentium contentio cum enixâ stadiodromorum operâ comparatur 1 Cor. IX, 24 sq. Gal. V, 7. Hebr. XII, 1.. *Εἰς κενόν* (cf. 2 Cor. VI, 1. Phil. II, 16. 1 Thess. III, 5.), ut hebr. לָרִיק Jes. XLIX, 4. [LXX *κενῶς*] et לָרִיק Lev. XXVI, 16. [LXX *διακενῆς*], Romanorum *in cassum*, Graecis *frustra* valere constat; v. *Kypk.* et *Borger.* ad h. l.. Recte plerique interpretes *μήπως* h. l. *ne forte* declarare arbitrantur. Quorum sententiae Subjunctivum Praesentis *τρέχω*, quo Aoristus *ἀνεθέμην* excipitur, minime obstare in promtu est. Continetur enim tempore praesente res, quum epistola ad Galatas scriberetur, adhuc perdurans [v. *Matthiae ausf. gr. Gr.* T. II. p. 993. ed. 2.]. Etiamnum enim P. isto tempore *cucurrit* h. e. demtâ similitudine *Apostoli munus fortiter et diligenter obiit.* Quocirca hoc dicit: explanavi Hierosolymis meae doctrinae formulam, ne forte frustra *nunc laborarem* Apostolus (fuisset enim mihi verendum, ne operam meam *nunc quoque* luderem, si formulâ meâ tum non Hierosolymis expositâ, an veram Christi doctrinam tenerem, hodieque non satis scirem). Tum Indicativus Aoristi *ἔδραμον* optime habet. Nam temporum praeteritorum Indicativi post conjunctiones finales rem exprimunt, quae vel accidisset vel non accidisset, si alia res aut omissa aut aliter instituta fuisset.*) Haec igitur est P. sententia: *proposui, — ne forte frustra cucurrissem. At si non proposuissem, — frustra fortasse ante iter hierosolymitanum gentilibus ad Christi disciplinam adducendis* (v. 7.) *operam navassem, quum verae Christi doctrinae ignarus errores iis objecissem.***) Pertinent

---

*) Aristoph. Pax v. 135 sqq. *οὐκοῦν ἐχρῆν σε Πηγάσου ζεῦξαι πτερόν, | ὅπως ἐφαίνου τοῖς θεοῖς τραγικώτερος.* i. e. *ἀλλ' οὐ Πηγάσου ἔζευξας πτερόν· οὔκουν φαίνει τοῖς θεοῖς τραγικώτερος.* Soph. Oed. T. v. 1378. — *τί μ' οὐ λαβὼν | ἔκτεινας εὐθύς, ὡς ἔδειξα μήποτε | ἐμαυτὸν ἀνθρώποισιν ἔνθεν ἦν γεγώς; At me non interfecisti; quare me ostendi — .*

**) Improbanda igitur est artificiosa *Wineri* Gr. p. 421. interpretatio, qui P. *μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον* idcirco scripsisse putavit, quia haec vocc. non verbi *ἀνεθέμην* regimini subjecisset (*ἀνεθέμην —, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ δράμοιμι* s. *δεδραμηκὼς εἴην.*), sed ea v. collocavisset, qui-

v. *μήπως* — *ἔδραμον* neque ad sola v. *καὶ ἀνεθέμην* — *ἐν τοῖς ἔθνεσι*, ut *Koppio* et *Knappio* visum est, qui *κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι* in parenthesin abdiderunt; neque tantummodo ad v. *κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι*, sed ad totam sententiam *καὶ ἀνεθέμην* — — *τοῖς δοκοῦσι*. Utique enim Paulo verbis *μήπως* — *ἔδραμον* reddenda ratio erat, quâ mente ea tum Hierosolymis egisset quae egisset. Sed in sententiâ enucleandâ cupiditate peccatum esse video, et quidem dupliciter. Nonnulli enim Paulum, parum videlicet doctrinae christ. adhuc gnarum et nullius auctoritatis virum, eo consilio Hierosolyma abisse voluerunt, ut a Petro, Christi vicario, institueretur, confirmaretur et Christi apostolus declararetur. Ita Pontificii, contra quos disputavit *Cameron*. Contra longe plerique Paulum animis informarunt virum, cui se non falli exploratissimum esset, qui Christo usus magistro doctrinam div. penitus nosset, denique perfectum hominem et qui nihil a Petro, Jacobo et Johanne addi-

---

bus haec, non alieno imperio subjecta, sed sui juris sententia exprimenda fuisset: *φοβοῦμαι, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον.* Cf. not. m. ad Matth. II, 18. p. 97. Sed male *Ruickertus* Indicativum *ἔδραμον* eo usu excusavit, quo Praeteritorum Indicativi post verba timendi ponuntur, ut indicetur putare metuentem id ipsum accidisse, quod ne acciderit vereatur (Gal. IV, 11. *Matthiae* l. c. p. 1001.). Neque enim verbum timendi in superioribus legitur, neque ut *δεδιώς* s. *φοβηθείς* ante *μήπως* cogitando addamus ulla ratio est. Quid quod huic opinioni sententia ipsa reclamat? Scilicet P. quum Hierosolyma contenderet animo fluctuatum esse et se *fortasse* errore duci existimasse facile largior; illud nego et pernego, eum in majore tum metu fuisse, ne errasset, quam spe, fore ut vera se paganis tradidisse ex Apostolis comperiret. Eodem incommodo istam *Wineri* rationem premi in promtu est. *Winerus* Gr. p. 472. ed. 4. quum meam interpretationem *aptam* esse dixisset, tamen conjecturam ab se propositam iis quae ego monuissem eversam esse negavit. Quae tota prostrata jacet, siquidem simplicia contortis, legitima pro arbitrio sumtis praeferenda sunt. Nam quum Modorum vicissitudo optime habeat, si sententias hic utique enuntiandas contuitus *μήπως* ab *ἀνεθέμην* mecum suspenderis (*ich habe vorgetragen — damit nicht etwa —*), non est, quod scriptorem ex oratione indirectâ in directam transitu esse statuas. Deinde *φοβηθείς* ante *μήπως* non solum sine idoneâ causâ, mente adjicias, quando quidem *μήπως* ab *ἀνεθέμην* aptum esse potest, verum etiam temere suppleas. Ne sententiam quidem hoc supplementum recipere V. D. ipse fatebitur, si *φοβοῦμαι μήπως ich besorge, dass etwa* 2 Cor. XII, 20.) notare meminerit sententiamque h. l. a Paulo declarandam expenderit. Postremo observatiuncula mihi, ut videtur, opposita: „*μήπως ist kein μή oder ἵνα μή*" quidnam sibi velit parum intelligo. Verti enim: — proposui — *ne forte* (2 Cor. II, 7.)

scere potuisset. Itaque hanc nostro l. sententiam subesse voluerunt: *proposui Apostolis meam formulam, ne frustra operam nunc insumerem aut ante insumsissem* scil. eorum judicio, qui meam doctrinam ab Apostolorum institutione abhorrere temere crederent; ergo *ut* nonnullorum me cum Apostolis dissentire arbitratorum opinionem mihi et muneri meo pestiferam everterem meâque Apostoli auctoritate ab Apostolis stabilitâ remoto impedimento cursum meum tenerem (sic *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Oecum.*, *Calvin.*, *Clarius*, *Grot.*, *Borger.*, *Jaspis.*, *Winer.* et multi alii). Hanc sententiam sequutus neque cur cum *gregariis* Christianis suam doctrinam Hierosolymis P. communicaverit, neque cur *seorsum* cum Apostolis de eâ egerit satis assequatur. Credas enim *publice* Paulo de doctrinâ rationem Apostolis reddendam fuisse, ut vir erroris temere postulatus a summis viris *publice* absolveretur. Deinde ut Paulum, quia divinitus institutus fuisset (I, 11. 12.), doctrinae christ. ratio nes ita perspectas habuisse, ut ei prorsus assentiri ceteri Apostoli cogerentur, fatear, merito tamen nobis in eo et ambitio displiceret, quâ tanquam de mortalium numero exemtus se nullâ in re errori obnoxium esse existimasset et fastidium improbaretur, quo se summis Christi Apostolis tantum non praeposuisset. At non erat P. tam ambitiosus, tam suâ sapientiâ fidens denique is, qui se hominem esse nesciret (v. 1 Cor. XV, 8 sq. VII, 40. Act. IX, 26 sq. al.). Quod illius sententiae propugnatores ad Gal. I, 8. 9. provocarunt, neque tantam sui fiduciam, quantam ibi gravissimis v. enuntiatam ostendit, ex Apostolorum assensu, quem Hierosolymis tulisset, Paulo nasci potuisse considerarunt, neque ibi Petrum aut collegas, sed supposititios Apostolos, qui demtum Christianis grave judaicarum caerimoniarum jugum Galatis denuo imponere ausi essent perstringi satis recordati sunt. Unde hanc sententiam hoc vs. comprehendi censeo: Paulum Dei admonitu Hierosolyma profectum gregariis Christianis suam docendi formulam, quam inter gentiles magister exprimere soleret, proposuisse, ut magistrum discipulis, seorsum Apostolis, ut collegam collegis, *ne forte frustra etiam tum quum epistolam ad Galatas scriberet Apostolus laboraret aut paganis ad Christi sacra adducendis ante iter jam laboravisset.* Nam ita eum secum puto cogitasse, quamquam sua formula unice vera sibi videretur, tamen quoniam homo esset qui falli potest tum demum id *pro certo* habendum esse, si et ipse inclyto Hierosolymitarum coetui magister placuisset et sua decreta Apostolis probata essent. Non sententia mutatur, sed sententiae

forma, si cum *Usterio* *μήπως* *an forte*, ut *τρέχω* sit Indicativus, explanes. Non enim nisi *lenius* P. se Hierosolymis publice coetui, seorsum Apostolis, ut se genuinam, non erroribus inquinatam, Christi doctrinam profiteri resciret, exposuisse hoc pacto effert: — *et proposui*, — — *ut cognoscerem, an forte frustra operam etiamnum Apostolus ponerem, aut ante iter posuissem.**)

---

*) Ironiam, quam *Usterius* in v. *μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον* rimatus est, nemo in iis deprehendet, praeterquam qui Paulum eo *animo* fuisse sibi persuaserit, ut eos rideret, qui se aliquando errore duci posse arbitrarentur. — Si cui in mentem veniat, *μήπως*, ubi ab Ap. positum est (*μήπως εἰς κενὸν τρέχω*) significare *ne forte*, ubi mente addendum est, h. e. ante *ἔδραμον*, denotare *an forte* (— *proposui* —, *ne forte vel nunc incassum laborarem et ut cognoscerem, an forte ante iter frustra laborassem)*, hanc interpretationem ut contortam repudio. Sed hoc modo l. 1 Thess. III, 5. sane expediendus est: *Διὰ τοῦτο* — *ἔπεμψα* (*Τιμόθεον*) *εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν*. *quare misi Timotheum, ut vestram fidem cognoscerem, an forte Satanas vos tentasset et ne forte labores mei irriti essent* h. e. misi Timotheum duabus de causis, et ut explorarem, an etiamnum in fide perstetis et ut impedirem, quominus ab eâ desciscatis (v. not. ad Marc. 588.). *Winero*, quum de h. l. Gr. p. 421. [ed. 4. p. 472.] disputaret, consilium parum processit. Ita autem locum convertit: „*ich sandte zu erforschen euern Glauben, (fürchtend) dass nicht etwa der Versucher euch versucht habe und meine Arbeit fruchtlos sein möge.*" Foret enim *μήπως ἐπείρασε* ne fortasse *tentasset*, *dass nicht vielleicht euch versucht haben würde.* Ad hoc quivis ita exspectarat *γενήσεται* pro *γένηται*. Nam quod V. D. haec adjecit: „*Die verschiedenen* Modi *rechtfertigen sich hier von selbst. Die Versuchung konnte bereits geschehen sein; dass aber dadurch die Arbeit des Apostels fruchtlos würde, hing von dem Erfolg der Versuchung ab und konnte noch bevorstehen,*" pace viri amicissimi dixerim, argutatus est. Quippe *πειράζειν τινά* h. l. esse (*immissis calamitatibus* v. v. 4.) *aliquem a fide Christo habitâ deducere* disputationis tenor docet. Namque *Thessalonicenses* calamitatibus a Satanâ, Messiae hoste internecino (v. Dissert. m. de nonnullis 2 ad Corinth. ep. l. II, p. 136. Lips. 1824. 8.), *ut Christi disciplinam desererent*, *afflictatos fuisse* Paulo constitit (v. 3. 4.); illud nescivit, utrum Satanae incepta successissent, an Thessalonicenses ejus impetu fortiter propulsato in fide mansissent (expende v. — *ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μήπως* —. cl. v. 3. 4.) Unde quominus *μήπως* exponatur *ne forte*, obstat *γένηται*, cujus loco Futurum *γενήσεται* locandum erat h. s.: *misi Timotheum* —, *veritus ne vos Satanas calamitatum mole impositâ a Christo abalienasset atque ita labores mei* (tam tristi nuntio de vobis mihi allato) *irriti essent futuri.* Frustra enim magister se laborasse intelligit a discipulorum coronâ desertus.

Optare per me licet, utrum cum *Usterio* sentire an rationem a me supra commendatam sequi malis. Sed parum mihi nunc interpretatio placet, quam a *Photio* apud *Oecumenium**) primum propositam aliquâ correctione adhibitâ in l. Conjectanea in N. T. Spec. I. Add. ad p. 50. Lips. 1825. defendi. Nempe plenâ interpunctione post τοῖς δοκοῦσι positâ voci Μήπως interrogandi vim subjeci h. m.: Compulsus divino afflatu Hierosolyma profectus sum ibique publice Christianis, seorsum Apostolis, meum evangelium proposui. *Num forte frustra operam meam in evangelium insumo aut insumsi?***) At ne Tito quidem, meo comiti, homini pagano, circumcisio ibi imposita est (v. 3.) i. e. me non frustra vel laborare vel laborasse Apostolum, quippe et coetui hierosolymitano et Apostolis probatum, ex eo satis apparet, quod ne Titus quidem meâ auctoritate munitus ad circumcisionem se adigi passus est Hierosolymis, nedum ut *ego* ab Apostolis vituperarer. Haec explicatio tametsi et sententiae quâ opus est summam praestat et v. 2. cum v. 3. arcto vinculo colligat, tamen nimis abruptam percontationem in hunc l. inducit. Superest, ut portentosam *Hombergii* et *Pauli* explicationem, commemorem, qui τοὺς δοκοῦντας *putantes* et μήπως *an forte* enarrarunt h. m.: — *seorsum autem meum evangelium iis proposui, qui* (ut homines judaicâ superstitione infecti) *putarent, an forte* (i. e. fieri posse, ut —) *frustra currerem aut cucurrissem* (quod judaicas caerimonias disturbarem). Horum vestigiis ita ingressus est *Matthies*, ut in v. δοκεῖν *existimare* notionem *verendi* (τῶν φοβουμένων s. ὑποπτευόντων), a quâ μήπως *ne forte* suspende-

---

*) *Photius* l. l.: — ἢ τὸ μήπως δύναται καὶ κατ' ἐρώτησιν εἰρῆσθαι ὡς διαβεβαιωτικὸν ὂν τοῦ ὅτι οὐκ εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον, ἀλλὰ πάντα σὺν ἀσφαλείᾳ ἔπραττον καὶ προνοίᾳ. At si percontationis Μήπως — ἔδραμον; hunc sensum feceris: *nihil non considerate et provide vel facio vel feci, unde me, quum meam formulam et publice et privatim Hierosolymis exponerem, aliquid sequutum esse facile conjicias*, tum Apostolum se omnia cogitate facere solere eo l. affirmasse recte aliquis miretur, ubi rerum Hierosolymis actarum aut consilium aut eventum narrare debuisset, tum nexum vs. 2. cum v. 3. aut sublatum aut certe obscuratum esse jure conqueratur.

**) Hanc interpretationem, quia eam artificiosam esse ipse sensissem, me Progr. I. in ep. ad Gal. p. 18. ne commemorasse quidem *Win.* Gr. *p.* 472. ed. 4. narravit. Commemoravi vero eam iis quae singula nunc retinui verbis commentationis meae paginâ 22.

retur, latere diceret*) h. s.: — seorsum autem evangelium meum iis explanavi, qui *vererentur, ne forte* frustra *in cursu essem* (τρέχω Conjunctivum fecit) aut cucurrissem. Verum enim vero τοὺς δοκοῦντας *viros magni aestimari solitos* dici ex v. 5. 6. et 9. longe est apertissimum. Deinde quod *Matthies* verbo δοκεῖν notionem *timendi* inesse contendit, id quibus simplicia quam arguta magis placebunt non admittent nisi necessitate coacti. Postremo in V. D. explicatione Indicativus ἔδραμον male comparatus est. Mirum enim videretur, si homines de quibus agitur ne frustra P. quum hanc epistolam consignaret *curreret* simpliciter metuissent, ne frustra olim *cucurrisset* ita veriti essent, ut se recte id metuere putassent (v. supra). V. 3 — 5. Se Apostolorum judicio non in cassum (εἰς κενόν) laborare aut laborasse Apostolum non diserte P. h. l., ut v. 6 — 9., affirmat, sed particulis ἀλλ' οὐδέ *at ne — quidem* in gradatione collocari solitis**) tecte eo indicat, quod res multo major et quae

---

*) Male *Matthies* in suam rem convertere conatus est Hom. Il. 10, 97 sq. δεῦρ' ἐς τοὺς φύλακας καταβείομεν, ὄφρα ἴδωμεν | μή τοι μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ | κοιμήσωνται, ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται. | Δυςμενέες δ' ἄνδρες σχεδὸν εἵαται· οὐδέ τι ἴδμεν, | μήπως καὶ διὰ νύκτα μενοινήσωσι μάχεσθαι. Ibi enim μή et μήπως est *an, an forte* (ut videamus an —. plane nescimus, an forte —) et quod V. D. *metuimus, ne* — pro formulâ *nescimus, an forte* substituit, licenter et pro arbitrio egit. Rectius contulisset ἐνθυμεῖσθαι, in quo v. sequente μή notio v. φυλάττεσθαι passim delitescit. v. *Heindorf.* et *Winckelmann.* ad Plat. Euthyd. p. 279. C.

**) Particularum ἀλλ' οὐδέ *at ne — quidem*, sive in orationis principio collocatae, sive mediae orationi interpositae compareant, vis in gradatione expromitur. Indicant enim, silentio oblitteratâ re leviore afferri graviorem (*ja nicht einmal — *). Act. XIX, 2. homines christ., an div. spiritus dotibus instructi essent, interrogati respondent: ἀλλ' οὐδὲ εἰ Πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν ἠκούσαμεν. *at ne esse quidem div. spiritum accepimus* i. e. non solum spiritus div. virtutem nullam *sensimus*, sed ne *esse* quidem spiritum s. audivimus. Luc. XXIII, 15, Ἀλλ' οὐδὲ Ἡρώδης scil. εὗρεν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ αἴτιόν τι ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ (cf. v. 14.) *at ne Herodes quidem in hoc homine aliquod eorum criminum, quorum eum postulatis, reperit* i. e. non solum ego, Romanus et rerum judaicarum parum gnarus, in hoc homine crimina, in quae eum vocatis, non agnosco, sed ne Herodes quidem ea agnovit, linguae, morum institutorumque judaicorum peritissimus. Demosth. Prooemia p. 1455. *Reisk.* οἱ γὰρ ἄρχοντες, ἤ τινες αὐτῶν, ἵνα μὴ πάντας λέγω, τῶν μὲν ὑμετέρων ψηφισμάτων ἀλλ' οὐδὲ τὸ μικρότατον φροντίζουσιν (i. e. οὐ μόνον οὐ μικρὸν, ἀλλ' οὐδὲ τὸ μικρότατον φροντίζουσιν), ὅπως δὲ λήψον-

salvo suo Apostoli jure fieri potuerit, facta non sit. Poterant enim Apostoli simul Pauli judaicam circumcisionem abolentis formulam probare, simul optare, ut Titus, ne imbecilli Christiani ex Judaeis offenderentur, tempori serviret seque Hierosolymis circumsecari pateretur. Item Titus, quamquam Pauli circumcisionem jud. abominantis disciplinam Apostolis placuisse viderat, tamen iis obsecundans, ne infirmis Christianis ex Judaeis offensioni esset, circumcidendum se praebere poterat. Quum ἀναγκάζομαι *cogor* et *cogit me aliquis* significare possit et *cogi me patior*, v. v. 3. duplicem interpretationem admittunt, tum hanc: *ne Titum quidem circumcidi Apostolos**) *coegisse* (sic *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Flatt.*, *Winer.*, *Schott.* l. c. p. 14. al.), tum hanc: *quum Apostoli ut Titus cir-*

ται (sc. φροντίζουσιν). Luc. Hermot. c. 7. καὶ οὗτοι δὴ ὑπὸ φιλοσοφίας — — εὐδαιμονοῦσι, πλούτου καὶ δόξης καὶ ἡδονῶν *ἀλλ᾽ οὐδὲ μεμνημένοι ἔτι* (h. e. οὐ μόνον οὐκέτι φροντίζοντες ἀλλ᾽ οὐδὲ μεμνημένοι ἔτι), καταγελῶντες δὲ τῶν οἰομένων ταῦτ᾽ εἶναι. Asinus c. 51. καὶ γὰρ ἐξ ὅτου ἐγεγόνειν ὄνος, συνουσίας *ἀλλ᾽ οὐδὲ τῆς ὄνοις συνήθους ἔτυχον ἐφαψάμενος* (h. e. συνουσίας οὐ μόνον τῆς ἀνθρώποις ἀλλ᾽ οὐδὲ τῆς ὄνοις συνήθους ἔτυχον ἐφαψάμενος), οὐδὲ γυναικὶ ἐχρησάμην ὄνῳ. Adde Aristoph. Nub. v 1396. ed. *Dindorf.* Male *Wahl.* Cl. maj. I, 47. particulis ἀλλ᾽ οὐδὲ Gal. II, 3. significatum *neque tamen* affinxit. *Ruickertus* autem hic quoque lapsus est. Nam p. 66. Gal. II, 3. sic exposuit: *ne Titus quidem, comes meus et socius circumcidi coactus est, multo minus alii, qui me non comitarentur aut adjuvarent* et paucis interjectis v. in hunc modum: *ne Titus quidem, comes meus, ut circumsecari pateretur coactus est, multo minus mihi quisquam molestiam facessivit.* Tum rursus p. 74. οὐδέ enarravit *neque, auch nicht: „Auch Titus wurde damals zur Beschneidung nicht gezwungen.“*

*) *Calvinus* ad v. 4.: „Duplex potest esse sensus: quod non fuerit circumcisus, quum tamen *improbe id flagitarent falsi fratres* et cogere eum vellent: vel quod datâ operâ non circumcidit eum Paulus, quia videbat statim fore ut illi traherent in calumniam. – Hic *secundus sensus mihi placet*: quod Paulus animadversis eorum insidiis noluerit Titum circumcidere.“ Recte vero. Nam priorem interpretationem neque verba v. 4. διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους recipiunt (ἀλλ᾽ οὐδὲ Τίτος — ὑπὸ τῶν παρεισάκτων ψευδαδέλφων ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι, οἵτινες —. hoc pacto Paulus scripsisset), neque sententia. Quum enim v. 3. hoc vinculo cum v. 2. contineatur, ut plus se Hierosolymis obtinuisse, quam propositum fuisset, P. affirmet, labores autem suos τοῖς δοκοῦσιν ibi probari voluerit, τοὺς δοκοῦντας, i. e. Apostolos, et Pauli evangelium comprobasse et id contendisse, ut Tito se circumcidendi necessitatem imponerent, utique consequitur.

cumsecaretur jussissent, eum rem quae obtruderetur constanter detrectasse (ita *Bengel., Paulus* al.). Illâ ratione probatâ sententiae h. m. decurrunt: *proposui meum evangelium Apostolis, ne operam meam frustrarer aut frustratus essem* (v. 2.). *At ne Titus quidem, comes meus, quum esset paganus* (Rom. I, 16.), *ut circumcideretur Apostoli postularunt* (v. 3.) i. e. me circumcisionis mosaicae rituumque judaicorum oppugnatorem doctrinae christ. non frustra operam tribuere aut tribuisse visum esse Apostolis, ex eo elucet, quod, ut rem *majorem* commemorem, ne Titum quidem, *comitem meum et hominem paganum*, circumsecari voluerunt. Sed si hanc explicationem ratam duxeris, Pauli disputatio sic procedit: *explanavi Apostolis meum evangelium, ne frustra operam in Christi doctrinam conferrem aut contulissem* (v. 2.). *At ne Titus quidem, comes meus et homo gentilis, ut circumcideretur, ab Apostolis se perpelli passus est* h. e. non eum me declaratum esse ab Apostolis, qui quod judaicas caerimonias antiquarem frustra laborarem aut laborassem ex hoc, quod multo majus est, liquido intelligas. Nam ne Titus*) quidem, comes meus et homo praeputiatus, ut circumcideretur, quum Apostoli flagitarent, cogi se passus est meâ et Barnabae auctoritate munitus (v. v. 5.). Posteriorem interpretationem unice veram esse, ex v. 4. et 5. cognoscitur. Quod si vere contendimus, Hierosolymis sic acta res est. Quamquam Apostoli liberiorem Pauli judaicos ritus abrogantis institutionem comprobarunt, tamen, ut eorum Christianorum, qui legem mos. valde adhuc adamarent, infirmitati aliquid tribueretur (Act. XXI, 20 sq.), vel optarunt vel postularunt, ut Titus, Pauli comes, circumsecaretur. Quorum aut consilio aut imperio quominus Titus cederet, illud obstitit, quod verendum erat, ne falsi quidam Christiani, insidiarum quibus Christianorum libertatem opprimerent locum quaerentes, quod *obsequium* fuisset, *officium* interpretarentur. Itaque Paulo et Barnaba auctoribus (v. 5.) non morem gessit Apostolis. Alioquin eodem Paulo auctore, ad praejudicatas infirmorum hominum opiniones descendere sueto (Rom. XIV, 21. 1 Cor. VIII, 13. IX, 19 sq.) quin circumcideretur non recusasset. Sequuntur vs. (4. et 5.) quum ob lectionis inconstantiam, structurae difficultatem verborumque conci-

---

*) Temere *Sam. Battierius* in Biblioth. Brem. VII. p. 56 sq. pro *Τίτος Τιμόθεος* omisso v. *οὐδέ* legendum esse conjecit. Cf. Act. XVI, 1 — 3.

sionem, tum propterea subobscuri, quod de rebus tum Hierosolymis actis, strictis illis potius h. l. quam explicatis, alias nihil memoriae proditum est. Quare singula v., sicut vulgo, et recte quidem ut arbitror, leguntur dilucidabo, priusquam de sententiâ disputem. Perperam *Erasmus* ed. 4. et 5. δέ omisit, vocem in omnibus Cdd. lectam. Nullam enim vim habet, quod *Theodoretus* et *Hieronymus*, quum v. 4. arcto vinculo cum v. 3. connecterent, et ille quidem h. m.: *ne Tito quidem circumcidendi praeputii necessitatem Apostoli imposuerunt propter falsos fratres,* (h. e. *quoniam falsi fratres id poposcerunt, quibus male gratificati essent)* hic in hunc s.: *ne Titus quidem se ad circumsecandum praeputium cogi passus est propter falsos fratres, qui id fieri cuperent (alioqui scilicet passus esset)* voculam δέ supervacaneam censuerunt. Quippe salvo δέ suam interpretationem tueri utrique licuisset, si voci δέ, ut v. 2., vim explicandi tribuisset. Equidem *Hieronymi* sententiam sic probo, ut ad v. διὰ δὲ τοὺς π. ψ. e v. 3. mente repetam οὐκ ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι: propter falsos *autem,* qui clam irrepserunt, fratres (sc. circumcisionem sibi injungi passus non est).*) In quo si meus me animus non fefellit, male vulgo interpungitur: — περιτμηθῆναι. Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους· οἵτινες —., quum ante διά colon et post ψευδαδέλφους virgula collocari debuisset. Cur δέ h. l. *sed* exponi nequeat infra disputabitur. Vocabulum παρείσακτος, quod nunc quidem non nisi hic et Prol. Sir. πρόλογος παρείσακτος ἀδήλου *prooemium irreptitium* (adulterinum) *ignoti,* quem l. *Schleusnerus* Lex. V. T. IV, 228. attulit, compareret, olim a pluribus scriptoribus usurpatum esse videtur**), eadem lege a παρεισάγω formatum est, quâ ἐπείσακτος

*) Monstra narrant, qui (v. *Chrys., Theophyl., Photius* ap. *Oec.* et *schol. Matth.)* δέ pro οὐδέ (nam negationem e vs. 3. supplendam esse: v. schol. Matth.) h. l. positum esse crepant h. s.: *ne propter falsos quidem fratres, qui libertatem christ. ex insidiis observantes tum adessent, Apostoli Titum circumcidi jusserunt.* Hanc sententiam his fere v. enuntiandam fuisse apparet: ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ Ἕλλην ὢν οὐδὲ διὰ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι, οἵτινες κ. τ. λ.

**) *Hesychius, Photius* et *Suidas*: παρείσακτον: ἀλλότριον. Zonaras p. 1504. παρεισάκτους: ἀλλοτρίους. Idem p. 1510. παρεισάκτους: ἀλλοτρίας, ξένας. Qui certe alios etiam, non nostrum dumtaxat l. respexerunt. Adjunge, quod iidem voce παρείσακτος alia passim vocc. illustrarunt; v. Hesych. s. παρένθετος et Suid. s. σύγκλυδες.

ab ἐπεισάγω, ἐπακτός ab ἐπάγω et ἀντείσακτος ap. Cic. ad Quint. fr. 2, 10, 1. (si lectio vera) ab ἀντεισάγω ducta scimus. Significat *furtim introductum**) i. e. tum quem alii in locum clam introduxerunt, tum, ut h. l. (cf. v. sq.), qui se ipse in locum insinuavit, sicut ἐπείσακτος et *ab aliis importatum* (cf. Demosth. Or. adv. Lept. 466., 22. *Reisk.* ἐπείσακτος σῖτος) et *qui se ipse aliquo intulit* (v. Plat. Cratyl. §. 79. ed. *Heind.*) denotat. Ψευδάδελφοι (2 Cor. XI, 26.) vocantur qui nomine sunt, non re aut animo *sodales* i. e. homines firmo fidei in Christo repositae vinculo tecum conjuncti. Etiamsi ὅστις unquam idem valeret quod ὅς, **) hoc certe l. temere pro ὅς acciperetur cum *Usterio*, ubi qui ὅστις, ut saepe (v. c. Joh. VIII, 53. Rom. I, 25. 32.), *rationi reddendae* inservire (v. *Herm.* ad Soph. Oed. T. ed. 3. praef. p. XIII.) non videat, eum festinare, ne caecutire dicam, existimo. Quippe P. v. οἵτινες παρεισῆλθον — ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωσιν non eo consilio adjecit, ut perplexum videlicet et inusitatum v. παρείσακτος lectoribus planum faceret, quae *Usterii* opinio est, sed ut homines, quos vellicat, recte se τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους appellasse ostenderet: *idque propter furtim ingressos falsosque sodales Titus fieri non passus est, quippe qui* (i. q. quos recte *clam*

---

*) Tertullianus adv. Marcionem l. 5. c. 3.. praeverbium παρά in v. παρείσακτος *accessionem* notare male opinatus, τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους aliquoties convertit: *superinductitios* fratres.

**) Ὅστις ab ὅς passim non differre *Matthiae Ausf. gr. Gr.* II, p. 906., *Schaeferus* ad Demosth. IV, p. 238 et 662. aliique perhibuerunt. Neque mirum est, hanc nonnullis V. D. opinionem in mentem incidisse. Nam quum Germani non magis quam Romani peculiari vocabulo, quod Graecorum voci ὅστις prorsus respondeat, destituantur, acumen voce ὅστις comprehensum illi desiderare non solent. Illud miror, quod *Schaeferus* l. l. suam sententiam ejusmodi l. firmatam voluit, in quibus ὅστις, ut in ep. ad Galatas, manifesto *rationem* reddit, v. c. Demosth. Or. contra Timocr. p. 734, 2. *Reisk.* ἢ πῶς οὐχὶ κάκιστος ἁπάντων ἀνθρώπων δικαίως ἂν νομίζοιο, ὅστις, ὦ κατάρατε, περὶ πλείονος φαίνῃ τοὺς κλέπτας καὶ τοὺς κακούργους καὶ τοὺς ἀστρατεύτους τῆς πατρίδος ποιούμενος, καὶ διὰ τούτους καθ' ἡμῶν νόμον τιθείς. ibid. 734, 26. Orat. c. Nausim. et Xenopith. 989, 18. Isocr. Paneg. c. 37. Contra quid inter ὅστις et ὅς discriminis intercedat acutissime nuper aperuit summus *Hermannus* Praef. ad Soph. Oed. T. ed. 3. p. VI — XV. N. T. l., in quibus *Wahl.* Cl. m. II, 194., min. p. 237. et *Usterius* ad h. l. ὅστις i. q. ὅς valere sibi persuaserunt, ne longius a proposito oratio mea aberret, pertractabo alias.

ingressos et falsos fratres nuncupavi, quum —) *clam irrepserint libertatem per Christum nobis partam speculatorum do observaturi, ut nos in servitutem abducant.*

εἰςῆλθον] *clam irrepserunt* *) scil. in Christianorum coetum, non ecclesiam hierosolymitanam (v. infra). Verissime *Winerus* **) cum *Theodoreto* multisque aliis libertatem eam dici censuit, quâ homines christ. Mosis legibus soluti sumus. Quomodocunque enim hunc vs. interpreteris, de Christianis sermo h. l. instituitur legis mos. studiosissimis, qui ut pagani homines mosaicâ circumcisione (Levit. XII, 3.) suscepâ et libertate quam Christus peperisset minime usurpatâ servile rituum mos. jugum a Christo exutum denuo acciperent

---

*) Praeverbium παρά hanc saepe vim verbis addere, fieri aliquid *clam, furtim* et *subdole*, in vulgus constat; cf. παρειςάγω 2 Petr. II, 1., παρειςδύω Jud. 4, (ubi v. *Wetst.*), παρειςπορεύεσθαι 2 Macc. VIII, 1. et de v. παρειςέρχεσθαι *Raphel.* Annot. ex Polyb. et Arriano ad h. l.

**) *Wineri* sententiam nuper impugnavit *Matthies.* Qui quum libertatem a. P. memoratam, si nihil sit aliud praeterquam legis mos. immunitas, rem inanem esse *ad nihilum* recidentem philosophando exsculpsisset, duabus eam rebus absolvi credidit, judaicae legis immunitate et vitâ ad Christi praecepta compositâ (Joh. VIII, 32.). At magnopere vereor, ut *Matthiesii* philosophiae unquam addictae fuerint gentes. Neque enim homines inanem aut adumbratam rem unquam judicavisse video malorum absentiam, sed semper eos multum se adeptos censuisse reperio, si incommodis non afficerentur. Sic servi in libertatem vindicati gaudio exsultarunt. Jam enim suo arbitrio vivere iis licuit, neque erat metuendum, ne ab heris sub furcâ caederentur. Item rectissime P. praecipuam quandam felicitatis nostrae partem in eo posuit, quod Christus Mosis lege antiquatâ tales nos praestitit, qui permolestas, vanas et quae animos a pietate facile averterent caerimonias obire non amplius teneamur. Quid, quod ipsa libertatis notio *negativa* est, quae Cicerone interprete sit *potestas vivendi ut velis?* Nam indicat libertas conditionem hominis aliquibus vinculis non constricti, quae vincula utrum voluntate suo arbitrio carente, an funibus et carcere, an morbo corpus lecto affigente, an turpi cupiditatum dominatu, an molestis legibus, an aliis rebus contineantur, res de quâ singulis l. agitur docere debet. Ceterum quum *Matthies* ad legis mos. immunitatem vitam Christo dicatam adderet, duas diversas res in unam conflavit. Quippe P. in homines rituum mos. perstudiosos invectus non dixit nisi legis mos. immunitatem; contra Christus durum et imperiosum libidinis et impietatis dominatum contuitus (Joh. VIII, 34.) libertatem eum animi habitum vocavit, quo libidine et turpitudine, improbissimis dominis, principatu dejectis recta sequaris, officium colas et div. mandatis pareas volens ac lubenter Joh. VIII, 32. (ut Stoici; v. Cic. Parad. V.), de legis mos. immunitate ne cogitavit quidem.

quantum possent niterentur (v. V, 1. 2. 13. cl. Act. XV, 1. 10. 24. 28.). ἣν ἔχομεν ἐν Χρ. Ἰ.] i. e. *quam libertatem per Chr. J. habemus, quam l. Christo J. acceptam referimus.* Hanc explicationem l. Gal. III, 13. V, 1. non magis muniunt, quam *Wineri, Ruickerti, Usterii* al. interpretationem: *quae libertas nobis est ut hominibus, qui societatem cum Christo J. habeamus* rescindunt*). ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται] Praeverbium κατά vim

*) Verba hanc enarrationem sane recipiunt. Cf. Phil. IV, 2. 1 Cor. XV, 18. 2 Cor. XIII, 4., ubi de hominibus exponitur, qui aliquid vel faciant vel experiantur ἐν Χριστῷ s. κυρίῳ. Vide quae in commentariis ad Rom. VIII, 1. disputavi. Sed praeverbium ἐν cum Dativo tum de personis, tum de rebus sic poni, ut *per* significet sensuque aut cum Dativo instrumentali aut cum διά cum Genit. prorsus conve iat, negari nequit. V. Demosth. Or. pro Phorm. p. 952. 10. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὑμῖν ἡττηθεὶς (*per* vos, i. e. vestris suffragiis victus) τάχ' ἂν εἴποι ὡς ἐξηπατήθητε ὑμεῖς. c. Timocr. 710, 17. τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν νομοθέταις (*per* legumlatores, i. e. eorum consilio). Act. XVII, 28. 31. Ibid. IV, 9. — εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωσται —. (h. e. *per* quem hic servatus sit. Male *Win.* Gr. p. 333. ed. 3. cum h. l. contendit Soph. Aj. v. 515. *Herm.* — ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σώζομαι. h. e. *in te* uno omnis salus mea *reposita* est.) Antig. v. 692. — τὸν αὐτάδελφον ἐν φοναῖς πεπτῶτ' —. Lucian. D. M. 23, 3. Οὐκοῦν — τὸν Ἑρμῆν κέλευσον, ἐπειδὰν ἐν τῷ φωτὶ ἤδη ὁ Πρωτεσίλαος ᾖ, καθικόμενον ἐν τῇ ῥάβδῳ, νεανίαν αὖθις καλὸν ἀπεργάσασθαι αὐτὸν, οἷος ἦν ἐκ τοῦ παστοῦ., ubi ἐν, quod abest ab 2954., *Hemsterhusius* et *Seagerus* defendunt. Apoc. VI, 8. Cum fructu sane de hujus usus causis disputes, modo ne aut loquendi usum ipsum in dubitationem voces, aut discrimina, quae inter ἔν τινι et διά τινος intercedant, argute excogites, ut *Winerus* l. c. p. 333. ed. 3. fecit, cujus disputationem vix intelligas: *überhaupt steht ἐν niemals (mit Personen) für διά. Letzteres bezeichnet eine blosse Vermittlung, die auch äusserlicher Art sein kann, ἐν aber bezieht sich immer auf das Innere und Geistige und drückt zugleich den Grund, auf welchem das Vermittelnde ruht* (?), *aus. Ζῆν ἐν θεῷ ist mehr als διὰ θεοῦ.*" Fortius esse Act. VII, 28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν, quam foret δι' αὐτοῦ rursus dixit, non ostendit V. D. gr. p. 371. ed. 4. Gravius enim illâ loquutione hanc notionem: *hominem in Deo* h. e. *in vi divinâ radices egisse*: enuntiari, quam hâc formulâ exprimeretur, sibi videri *Winerus* narravit. Sensus Virum Doctissimum, quo nihil fallacius est, delusit. Sane eo ἔν τινι a διά τινος primitus distabat, quod illud aliter quam hoc mente concipiebatur. Ἐν σοὶ βασιλεύς εἰμι proprie valet: quod sum rex *in te positum est*, regia mea dignitas *in te sita est*: διὰ σοῦ βασιλεύς εἰμι notat: *per te* rex sum, *tuâ operâ* regiam dignitatem obtineo. Ἐν τῷ θεῷ μου ὑπερβήσομαι τεῖχος (LXX Ps. XVII, 30.) est: in Deo meo situm est, ut saltu super murum venturus sim; διὰ τοῦ θεοῦ μου ὑπερ-

auget verbi simplicis: δουλοῦν τινά *aliquem servum facere*, καταδουλοῦν τινά *aliquem in* *c e r t i s s i m a m* *servitutem abducere (ver-*

βήσομαι τεῖχος hoc dicit: per Deum meum (ejus operâ et vi) saltu murum superabo. Sed usus eo valuit, ut in ἔν τινι nihil nisi *per* aliquem cogitaretur, v. c. Act. XVII, 28. nihil nisi hoc enuntiatur: *per* Deum (ejus vi et beneficio) vivimus, movemur et sumus. Quod qui negabit suamque industriam in eo collocabit, ut nunquam notionem *in* prorsus oblitteratam esse doceat, in inanes argutias delabatur necesse est. Minime autem si de scriptorum usu quaeritur, ἔν τινι a διά τινος differre haec, opinor, I. satis ostendunt: Joh. I, 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Col. I, 16. ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα. Paullo post eadem sententia his verbis repetitur: τὰ πάντα δι' αὐτοῦ — ἔκτισται. *Winerus* p. 371. ed. 4. sic explicuit: omnes res *in Christo* procreatae sunt (quid hoc?) aut *ei quasi affixae sunt (sie haften gleichsam an Jesu Person.)* Ephes. I, 7. ἐν ᾧ (τῷ Χριστῷ) ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ubi verbis διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ vocc. ἐν ᾧ accuratius constituuntur *(per quem* i. e. *eo quod sanguinem effudit)*. (Num hoc quoque sic enarrare placet: *cui affixam* habemus redemtionem per ejus sanguinem?) III, 6. — εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύσσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας [αὐτοῦ] ἐν τῷ Χριστῷ διὰ τοῦ εὐαγγελίου. Ibid v. 12. ἐν ᾧ ἔχομεν — διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. Col. I, 22. — νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου — In idem genus loca, quae *Win.* l. c. in suam rem detorsit, contribue: 1 Petr. I, 5. — εἰς ὑμᾶς, τοὺς ἐν δυνάμει θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν — qui *vi divinâ* asservamini (et quidem ut planius dicam) *per fidem* (i. e. si adjuvante Deo fidem retinueritis) ad beatitatem. Ibid. v. 12. τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας διὰ Πνεύματος — (si lectio vera): quum animos vestros lustraveritis *obsequio* divinae ac verae doctrinae *praestito per spiritum div.* (i. e. et quidem quum div. spiritus animos vestros flexerit v. Gal V, 22 sq.) Perperam *Win.* l. l. ed. 3. cum l. 1 Petr. I, 5. comparavit Plat. Gorg. p. 452. E. Καίτοι ἐν ταύτῃ τῇ δυνάμει *(bei dieser Kraft* h. e. ταύτην τὴν δύναμιν ἔχων) δοῦλον μὲν ἕξεις τὸν ἰατρόν, δοῦλον δὲ κ. τ. λ. cf. Xenoph. Cyr. 2, 3, 14. ἐν μεγάλοις φορτίοις (i. e. μεγάλα φορτία φέροντες) καὶ βαδίζειν καὶ τρέχειν ἠναγκαζόμεθα. Mire etiam *Winerus* gr. p. 371. ed. 4. de Joh. XVII, 10. καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς disputavit. Nam καὶ δεδόξασμαι δι' αὐτῶν *(per eos* ornatus sum) tum quoque recte dici potuisse, quum Apostoli *aliquid fecissent*, quo majestas in Christum conferretur, sed καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς declarare *in iis* ornatus sum, quatenus *ipsi* tales sunt, ut me illustrem reddant *(„sofern sie mit ihren Personen, an sich Christum verherrlichen")* V. D. putavit. Hoc inventum neque contexta oratio admittit et l. Joh. XIII, 31, 32. refellit. Esse enim καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς et majestatem *per eos* adeptus sum scil. eo, quod esse me augustam naturam, quae a Deo legata de coelo ad homines venerim, fide habitâ cognoverunt e vs. 8. perspicitur. In Johanne autem XIII, 31. 32. Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώ-

knechten). Cf. e. N. T. *καταπατεῖν* Matth. VII, 6., *κατακλίζειν* 2 Petr. III, 6., *καταφαγεῖν* Luc. XV, 30., *κατακαλύπτεσθαι* 1 Cor. XI, 6., *κατάδηλος* Hebr. VII, 15. al. Ita autem Medium ab Activo distat, ut *καταδουλοῦσθαί τινα aliquem sibi servum subjicere* declaret; v. *Hemsterhus.* ad Thom. Mag. p. 249. ed. *Bernard.* Atque aptam sententiam fundere *καταδουλώσωνται*, quod conformatio recepta tenet, frustra negavit *Usterius.* Ut enim falsi sodales homines paganos *legi mos.* obnoxios reddere voluerint, recte tamen P. quo loco istos homines acerbe perstringit id eos agere arguat, ut alios *sua* mancipia faciant. Nam quum quo modo homines gentiles libertate per Christum partâ uterentur exploratorum ritu observarent, ut illi ad *se* respectarent et ad *suam* voluntatem se componerent efficere voluerunt. Sed quoniam Cdd. literis majusculis scripti Activum praebent et hoc dici satis est: insinuasse falsos sodales in Christianorum coetum, libertatem per Christum acquisitam ex insidiis observaturos, ut homines christ. *in servitutem redigerent* (h. e. ut iis libertatem eriperent), Medium a glossatoribus repeto, hoc illos paravisse, ut *sibi* alios obnoxios facerent, monentibus. Nisi forte *καταδουλώσωνται* propterea in hunc l. invectum est, quod *καταδουλοῦσθαι* saepe legitur in V. T., v. c. LXX Genes. XLVII, 21. Ez. XXIX, 18. 1 Macc. VIII, 10. 18.*). Jam quaeritur, utrum ex A. B. C. D. E. 26. 39. *ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσουσιν* (v. Apoc. XXII, 14. et IX, 5. varr. lect.)**) recipien-

---

που καὶ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. Εἰ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ καὶ ὁ θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν. verba *καὶ ὁ θεὸς δοξάσει αὐτὸν* postulant, ut vocabula *ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ* idem dicere, quod, si Jesus activam structuram passivae praetulisset, haec verba enuntiarent: *εἰ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τὸν θεὶν ἐδόξασε* fateamur. Non igitur *ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ sensu* distat ab *ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ὑπ᾽ (παρ᾽) αὐτοῦ.* *De Wettii*, qui horum versuum rationem plane non intellexit, explicatio: *ἐν αὐτῷ in eo, in seiner Person*, inepta est. Idem *ἐν ἑαυτῷ* exposuit *in sese* h. e. eum ad suam majestatem evehendo, eum suae majestatis participem faciendo (!!) h. e. *παρ᾽ ἑαυτῷ* Joh. XVII, 5. s. *πρὸς ἑαυτὸν* Joh. I, 1.

*) Falso *Wahl.* Cl. m. I, 808., min. p. 173.: „Ita [*καταδουλόω*] LXX pro הֶעֱבִיר Gen. XLVII, 21.“ Nam ibi est הֶעֱבִיר, quod LXX cum הֶעֱבִיר confusum verterunt *κατεδουλώσατο.*

**) In transcursu dicam de Gal. IV, 17. *Ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε* et 1 Cor. IV, 6. *Ταῦτα δέ, ἀδελφοί, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι᾽ ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν*

dum sit cum *Lachmanno*, an ex B**. F. G. 17, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωσιν scribi debeat. Ego καταδουλώσωσιν probo neque κα-

---

μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου. Utroque l. ἵνα esse Adverbium *ubi*, non conjunctionem *ut*, ad Matth. p. 836 sq. contendi. Cui interpretationi *Winerus* Gr. p. 266. ed. 4. tria argumenta, non satis, opinor, firma objecit: I. ἵνα in oratione pedestri valere *ubi* h. e. *quo in statu, quâ in conditione* se non credere: II. offensionem habere Praesens ζηλοῦτε et φυσιοῦσθε (quod non majorem habet, quam haberet ἵνα αὐτοὺς ζηλῶτε et ἵνα μὴ φυσιῶσθε: v. ad Matth. l. l.): III. 1 Cor. IV, 6. οὐ (ἵνα εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς οὐ φυσιοῖσθε), non μή scribendum fuisse. (Quasi vero v. ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου non rem *mente et cogitatione agitatam* contineant: quâ in conditione [i. e. *ubi* demisse de vobis statuere nostro exemplo *didiceritis*] nemo pro altero doctore in alterius detrimentum extollitur.). Imo, ut firmam rationem *Winero* ipse suppeditem, 1 Cor. IV, 6. ἵνα posterius *ubi* valere nequit propterea, quod si sana sint verba ἵνα μὴ εἷς κτλ, iis praecedentem sententiam ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν dilucidius exponi manifestum est. Contende v. c. Gal. III, 14. IV, 5. cl. 2 Cor. XII, 20. Hinc ἵνα posterius si a Paulo profectum sit idem notare, quod ἵνα prius efficitur. Jam Indicativum Praesentis Gal. IV, 17. et 1 Cor. IV, 6. Paulo fortasse tribuendum esse *Winero* non concedo. Nam hanc structuram seriores scriptores passim iniisse non certo ostendit loco. In Testam. XII Patriarch. (Fabric. Pseudepigr. V. T. I, 684.) haec sane leguntur: ἐάν τις ὑπὲρ ὑμᾶς εὐοδοῦται μὴ λυπεῖσθε, ἀλλὰ καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα τελείως εὐοδοῖται. Sed quamquam iste liber inquinate scriptus est, tamen ibi librarios εὐοδοῦται posterius e priori vs. membro temere repetiisse (nempe saepenumero istic ἐάν cum Indicativo consociatur), scriptorem autem ἵνα τελείως εὐοδῶται dedisse inconsulte negaveris. Et ut infimi scriptores ἵνα *ut* cum Indicativo praesentis copulaverint, ad Paulum tamen haec structura non pertinet. Scilicet qui sexcenties ἵνα cum Conjunctivo construxerit, eum ἵνα *bis* cum Indicativo Praesentis consociasse parum credibile est. Possunt fortasse qui ejusmodi delicias a Paulo non alienas esse sibi persuaserunt de loco Gal. IV, 17. dubitare, de quo infra (commentatione tertiâ) separatim disputabitur. In altero loco (1 Cor. IV, 6.) Paulum non ἵνα μὴ φυσιοῦσθε exarasse satis certum est. Quotusquisque enim existimet, Apostolum ἵνα primo cum Conjunctivo (ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε), deinde paucis verbis interpositis cum Indicativo (ἵνα — φυσιοῦσθε) struxisse? Pejus etiam *Billrothus* et *Ruickertus* ad 1 Cor. IV, 6. Paulum Conjunctivus ζηλοῦτε et φυσιοῦσθε pro ζηλῶτε et φυσιῶσθε barbare formasse statuerunt. Nam ad Pauli imperitiam ultimum est et desperatissimum perfugium. Scilicet in vetusto mendo hic l. cubat, quod nunc tollam, ut grammaticos molesto isto φυσιοῦσθε liberem. Simul et inopem esse grammaticum a criticis studiis aversum et infirmum Criticum, qui nonnullis subsidiis criticis se emancipaverit, ceterorum testimonia vel oculis potius perlustret quam

ταδουλώσουσιν quidquam esse existimo nisi καταδουλώσωσιν depravatum. Nam quod recentiores Cdd. paucis exceptis (Mt. f. m.

---

mente expendat, vel etiam superbe contemnat, novo exemplo docere placet. In verbis *ταῦτα δέ, ἀδελφοί, μετεσχεμάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν* sic variatur: *ἐν ἡμῖν*] D. a p. m. aliique *ἐν ὑμῖν*. Est frequentissimus calami error. Sententia enim poscit *ἐν ἡμῖν*. *τό*] omittunt F. G. 2. Aut absorpsit *τό* syllaba praecedens (*μάθητε*), aut praetermissa vocula est per librariorúm negligentiam ut ad sententiae integritatem minime necessaria. *ὃ*] *ἃ* A. B. C. 31. Mt. 7. Copt. Athanasius I, 474. | *οὗ* 67 ** (sic). *φρονεῖν*] omittunt A. D. * E. * F. G. 46. Vulg., It., Boern., Aug., Ambrosiaster, Beda. Quid Critici? Propagarunt lectionem vulgatam, nisi quod *Lachmannus*, quocum fecit *Rückertus*, *ἃ* pro *ὃ* recepit et *φρονεῖν* delevit. Idem jam dudum *Griesbachio* placuerat. Quorum consilium sequi cautus Criticus dubitabit, quum *ὃ* et *φρονεῖν* idoneis argumentis defendi possit (v. infra). In sequentibus verbis *ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου*, quae haud dubie corrupta sunt, ne *Griesbachius* quidem et *Lachm.* quidquam novarunt. Itaque Critici h. l., ut saepe alias, verba fortasse corrupta mutarunt, vocàbula cērto depravata relliquerunt. Discrepant autem subsidia critica in v. *ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῖσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου* sic: *ἵνα μὴ*] *μὴ* om. D.* E. | *ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς*] G. *κατὰ τοῦ ἑνός*. It. Vulg. Boern. *adversus alterum* i. e. *κατὰ τοῦ ἑτέρου*. Ante *φυσιοῦσθε* (s. *φυσιοῦσθαι*) *μὴ* addunt 7. 69. 89. 91. Mt. a. b. e. m. n. et alii. *φυσιοῦσθε*] *φυσιοῦσθαι* 73. Mt. f. *Athanasius* Orat. IV. contra Arianos I, 474. ed. Col. *Theodoret.* *φυσιῶσθε* Chrys. ms. et Mt. 2. | *κατὰ τοῦ ἑτέρου*] It., Vulg. *pro alio*, *ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς*. Sed maxime memorabiles hae scripturae sunt: It., Vulg., Aug., Ambrosiaster, Pelag., *Beda*: — ut in nobis [It., Beda: *vobis*] discatis, ne supra quam [Ambrosiaster *quod*] scriptum est unus adversus alterum [Ambrosiaster: pro uno] inflatur pro alio [Ambrosiaster: adversus alterum]. Theodoretus: — *ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. ἵνα ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθαι κατὰ τοῦ ἑτέρου*. Iam et molestum *φυσιοῦσθε* facile tollas et hunc l. ad aliorum locorum indolem conformes, si e paucissimis subsidiis *φυσιῶσθε* recipias, ceterum vulgatam lectionem tueare Gal. III, 14. IV, 5. Sed Paulum *φυσιοῦσθαι* scripsisse e multis rebus cognoscitur. Nam primum quidem *φυσιοῦσθαι* nonnulli continent (v. supra), in his Athanasius l. c., qui, quamquam hunc locum ut *ἐν ἡμῖν* esse *nostro exemplo* efficeret allatum ad hoc compendium contulit: *ταῦτα δὲ μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται φυσιοῦσθαι*, tamen haud dubie Infinitivum *φυσιοῦσθαι* in codice repperit. Deinde ii, qui *μή* ante *εἷς* oblitteratum (v. varr. lect.) ante *φυσιοῦσθε* collocarunt (v. supra) haud dubie *φυσιοῦσθαι* aut scripserunt, aut exarare voluerunt. Librarios autem *πλανᾶσθε* pro *πλανᾶσθαι* (Xen. Anab. 5, 1, 7.) et vicissim *ἀνέχεσθαι* pro *ἀνέχεσθε* (v. Hebr. XIII, 22. Rôm. XII, 2.) scribere in vulgus constat. Postremo ipsa scribarum, qui *φυσιοῦσθε* in hunc l. minime conveniens exararunt, constantia Infini-

καταδουλώσονται) e glossem. καταδουλώσωνται continent, id in Cdd. plerisque καταδουλώσωσιν antiquitus fuisse documento est. Ceterum F. G. Boern. μή inculcant post ἵνα h. m.: ἵνα μὴ ἡμᾶς καταδουλώσω-

---

tivum φυσιοῖσθαι in formâ φυσιοῦσθε delitescere indicio est. Ut paucis complectar, hic l. sic e Cdd. emendandus est: Ταῦτα δέ, ἀδελφοί, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθαι κατὰ τοῦ ἑτέρου. Ita plane *Theodoretus*, nisi quod μή ante φυσιοῦσθαι male collocavit (cf. infra). Et syntaxis optime habet (explicatur enim verbis ἵνα μὴ ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθαι κατὰ τοῦ ἑτέρου formula τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν), et sententia: haec autem (c. III, 5. — IV, 5.), carissimi, figuratâ oratione *in memet ipsum et Apollonium* transtuli [scil. *generatim* P. de Apostolis disputare potuisset et dicere: non sunt *Apostoli* nisi Christi ministri et mysteriorum divinorum dispensatores, quorum operâ ad fidem Christo adjungendam adducti estis: unus plantavit, alter irrigavit etc. III, 5. IV, 1; sed quae de Apostolis in universum dici poterant ad se et Apollonium III, 6. 22. accommodare maluit, ut ex se et Apollonio lectores modestiam discerent] propter vos, ut *nostro exemplo* disceretis non ultra normam supra scriptam [III, 5. IV, 1. non sunt Apostoli, nisi Christi *ministri*] sentire [de Apostolis et de vobis eorum discipulis III, 4.), hoc est unum non in unius emolumentum [v. c. Pauli III, 4 sq.] efferri in alterius detrimentum [ut Apollonii III, 4. 21 sq.]. Lectionem a nobis propositam genuinam esse scriptura It., Vulg., Aug., Ambrst., Pel. et Bedae docet, ex quâ si eam cum ceterorum librorum lectionibus contuleris perveterem esse hujus loci depravationem intelligas: — *ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est unus adversus alterum infletur pro alio.* Nempe hi haec v. in Cdc. inventa converterunt: — ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται ἵνα κατὰ τοῦ ἑτέρου φυσιοῦσθαι ὑπὲρ τοῦ ἑνός. Nam qui illos — ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται ἵνα εἷς κατὰ τοῦ ἑτέρου φυσιῶται (s. φυσιῶσθε) ὑπὲρ τοῦ ἑνός latine reddidisse, ut v. sic construxerint ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε, ἵνα μὴ ὑπὲρ ὁ γέγραπται εἷς κατὰ τοῦ ἑτέρου φυσιῶται ὑπὲρ τοῦ ἑνός, opinetur, fallatur. Praeterquam enim quod Latini verbum verbo subjicere solent, *ne supra quam scriptum est* esse τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται ex *Boern.* discimus, qui τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται vertit: *ne supra quod scriptum est.* Praeterea formae φυσιῶται nulla, formae φυσιῶσθε prope nulla h. l. in Cdd. memoria est. Reddunt igitur illi interpolationem, quâ postquam φρονεῖν sublatum erat, μή post ἵνα, quod non concoxisset, aliquis deleret et e duobus enuntiatis unum faceret, sed eo memorabilem, quod ἕνα ab Apostolo scriptum non attrectavit. Sed postquam ἵνα μή facili errore pro ἕνα μή exaratum est tum εἷς post μή addi tum φυσιῶσθε scribi debuit, quamquam haud pauci, ut fit, φυσιοῦσθε oscitanter propagarunt. En, cur ego ἕνα μή rescripserim, Theodoreti lectionem μὴ φυσιοῦσθαι repudiaverim. Facilius enim pro ἕνα ἵνα scribi potuit, si Apostolus ἕνα μή posuerat, quam si ἕνα ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθαι κ. τ. ἑ. exaraverat. Adde quod μὴ φυσιοῦσθαι haud dubie a scribis profectum est verbis intime cohaerentibus summam vicinitatem

σιν. De quâ scripturâ *Griesbachius*: „suspicor, inquit, in nonnullis lectum olim fuisse: *ἵνα μὴ ἡμᾶς καταδουλώσωνται* [*καταδουλώσωσι*], *πρὸς ὥραν εἴξαμεν*.“ Fieri sane potest, ut qui v. v. 5. *οἷς οὐδέ* oblitterata invenissent (v. infra) loco secus intellecto et scriberent et exarata v. struerent, sicut *Griesbachius* divinavit. Quis enim temeritati modum statuere audeat? Sed nimis tamen absurdam sententiam illi in hunc l. invexissent: *ne falsi sodales servos nos facerent, horae momento iis obsecundavimus* — . Nam ne illis se mancipárent, *semper* iis fortiter obsistere debuerant. Quare interpolatores v. *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους* (scil. *οὐκ ἠναγκάσθη ὁ Τίτος περιτμηθῆναι*) — *ἵνα μὴ ἡμᾶς καταδουλώσωσιν* (propter falsos autem sodales —, ne nos in servitutem abducerent, Titus ne circumcideretur recusavit) copulasse magis credo. V. 5. Si v. *οἷς οὐδέ* genuina sunt, ut sunt (cf. infra), minime h. l. obtinet Anacoluthon, quod *Winerus* Gr. p. 441 sq. ed. 4. p. 492. *Usterio* plaudente confinxit*), duas structuras, unam: *Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους ὁ Τίτος οὐκ ἠναγκάσθη ὑπ' ἐμοῦ περιτμηθῆναι*, alteram: *Τοῖς δὲ παρεισάκτοις ψευδαδέλφοις* — *οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν κ. τ. ἑ.*, parenthesi v. 4. *οἵτινες* — *καταδουλώσωσιν* Pauli animo mire perturbato, commistas esse opinatus, sed vocc. h. m. consocianda sunt: *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους* (sc. *οὐκ ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι ὁ Τίτος*) —, *οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν κ. τ. λ.* i. e. *propter irreptitios autem ac falsos sodales* — Titus se circumsecari passus non est,

---

dare solitis. Reliquum est, ut cur *φρονεῖν* et *ὅ* defendendum sit exponam. Nam quominus *φρονεῖν glossema* eorum esse existimem, qui verbum *mente* adjiciendum calamo addidissent (v. not. ad Rom. IV, 16. p. 235.) tribus potissimum rationibus impedior. Vix enim h. l. verbo *φρονεῖν* carere possumus. Deinde glossatores in uno eodemque verbo consentire, non aliud alii placere mirum est. Denique qui omitti potuerit liquet. Deletum est enim ab interpolatoribus, qui loco non intellecto quae duae sententiae sunt unam sententiam esse sibi persuaserunt, ut glossema verbi *φυσιοῦσθαι* (contende *Elsneri* Observ. s. II, 84 sq. et vide supra). Nam duas hujus vs. sententias jam antiquitus male pro una habitas esse ipsae Codicum lectiones planissimum faciunt: tum vero aut *φυσιοῦσθαι* aut *φρονεῖν* delendum erat; retinuerunt autem *φυσιοῦσθαι* ut verbum doctius. Fidentius etiam Singularem *ὅ* Paulo Pluralem *ἅ* librariis et interpretibus tribuo. Scilicet PP. graeci *ἃ γέγραπται* inepte ad *voces* rettulerunt, quibus modestia ab Jesu in Evangeliis commendata est. (cf. v. c. Chrysost. et Theophyl.).

*) Vide notam versus 6. explicationi subjectam.

quibus (i. q. iisque καὶ τούτοις) ne horae quidem spatium cessimus. *οὐδὲ πρὸς ὥραν*] *ne ad horae quidem momentum.* Cf. πρὸς ὥραν, *ad perbreve tempus* Joh. V, 35. 2 Cor. VII, 8. Philem. v. 15. εἴξαμεν] *cessimus*, np. Titus, ego et Barnabas (v. 1. 3.). Τῆς ὑποταγῆς vocabulo certum quoddam obsequium designari Articulus monstrat. Dicitur autem obedientia, quam Apostoli (v. ad v. 3.), non quam falsi sodales flagitarent. Τῇ ὑποταγῇ pervulgatus est Dativus, Ablativi potestate instructus (v. *Matthiä Ausfr. gr. Gr.* II, p. 731. 5.) Nihil igitur est obscuritatis in loquutione: οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ quibus ne horae quidem spatium *cessimus eo obsequio praestito, quod Apostoli postularent.* Possumus enim alicui cedere tum faciendis iis, quae aut ipse fieri jubeat aut alius ita flagitet, ut illi ea grata futura sciamus, ut h. l., tum iis omittendis, quae alicui displiceant*). Quo consilio P. cum collegis falsis sodalibus cedere noluerit, verbis ἵνα — πρὸς ὑμᾶς enuntiat: ut doctrinae div. veritas *apud vos* (v. not. ad Mr. p. 202.) permaneat h. e. ut nostrum exemplum imitati homines judaicas caerimonias impense commendantes *et ipsi* propulsetis et *in vero* Christi evangelio perstetis, contra quam facitis, de quo doleo; v. I, 6 sq. III, 1. IV, 9 sq. V, 7.**). Nam *veram* Christi doctrinam Paulo auctore in errorem convertunt, qui lege mos. quam Christus antiquavit, revocatâ judaicos ritus aut hominibus christ. injungunt aut sibi injungi patiuntur (v. I, 6. V, 1 — 10. 13.). διαμείνῃ] A. F. G. 1. 4. al. διαμένῃ. Διαμείνῃ confirmat τὸ κατάλληλον τῆς λέξεως (Aoristus εἴξαμεν), ad quod digitum aliquoties intendi in Comment. ad Marcum. Διανεμηθῇ inutilis est *R. Bentleji* conjectura. Superest ut *quo loco* falsi sodales, quos P. hîc taxat, fuerint disputem. Interpretes ita vulgo in hujus l. inter-

---

*) Non accurate *Winerus* εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ exposuit εἴξαμεν πρὸς τὴν ὑποταγήν et *Usterius* εἴξαμεν ὥστε ὑποτάσσεσθαι. Minus etiam perspicue *Matthies* de illâ formulâ disseruit, Dativo τῇ ὑποταγῇ antecedens οἷς definiri opinatus cl. Herod. 2, 18. Μαρτυρέει δέ μοι τῇ γνώμῃ —. testimonium dat mihi i. e. sententiae meae —. Cf. *Matthiae Ausf. gr. Gr.* II, p. 715 sq. Eurip. Iphig. T. v. 839. *Herm.* ἐγὼ δὴ μέλεος οἶδ', ὅτ' φάσγανον | δέρᾳ θῆκέ μοι μελεόφρων πατήρ. Ephes. III, 5. et Dissert. m. in 2 ep. ad Corinth. II, p. 135.

**) Male *Beza:* „πρὸς ὑμᾶς] — Galatas alloquitur, sed ita ut *gentes omnes* comprehendat, quarum par erat causa et quibus peculiariter destinatus erat Apostolus."

pretatione versantur, ut iis non dubium esse videatur, quin P. *Hierosolymis* in illos homines inciderit. Quâ sententiâ probatâ tum voci *παρειςῆλθον* v. 4. Plusquamperfecti vim subjicere (quippe qui *in coetum hierosolymitanum* irrepsissent), tum ἡμῶν et ἡμᾶς ad Barnabam et Paulum referre debueris cum *Winero.* At fuisse *Hierosolymis* homines tam subdolos, tam paganorum libertati inimicos, denique tam improbos, quam inventos esse P. h. l. conqueritur, ne tum quidem effeceris, quum de *tertio* P. itinere Hierosolyma facto h. l. exponi credideris. Nam qui tum Christianos ex paganis judaicis ritibus imbutos voluerunt, fuerunt illi quidem sinistri doctrinae christ. existimatores, sed simplices tamen homines, aperti et dociles veri; v. Act. XV, 5 sq. cl. v. 22*). Deinde ut ejusmodi homines Hierosolymis fuerint, jure tamen mireris, quod P. in ep. ad Galatas tam inclementer in eos invectus sit h. e. in eâ epistolâ, in quâ galaticorum coetuum corruptores, nimios legis mos. fautores et sibi inimicos acerbe pervellere solet (v. I, 7. IV, 17. 21. V, 7. 10 sq. VI, 12. 13.). Postremo v. v. 5. ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς, in quibus magnum pondus P. reposuit, alio ducunt. Itaque P. verbis διὰ δὲ τοὺς παρειςάκτους ψευδαδέλφους — καταδουλώσωσιν Mosis assectatores, qui tranquillum ecclesiarum galaticarum statum perturbarent, obtrectatores suos, notasse eumque hoc dixisse arbitror: se hominum, quales essent in Galatiâ, memorem Titum Apostolorum admonitu circumcidi minime passum esse, ut Galatae fortitudinis, quâ hominibus nequam obviam eundum sit, ab se exemplum caperent, secus quam facerent. Hûc igitur v. 3 — 5. sensus redit: At *ne Titus quidem*, comes meus quum esset gentilis, *ut circumcideretur perpelli se ab Apostolis passus est; idque propter falsos et irreptitios sodales,* hoc titulo dignissimos quum in Christianorum coetum irrepserint libertatem nostram a Christo Jesu nobis partam insidiose observaturi, ut nos ad suam voluntatem respectu habito libertate nostrâ non usos Mosis mancipia faciant, *quibus* ne ad horae quidem spatium obsequio Apostolis praestito cessimus, ut verum et sincerum Christi evangelium

*) Omnino Act. XV, 1. 24. cum P. epistolis conferenti perspicuum esse debet, homines Mosi addictos, qui in mixtis ex Judaeis et paganis coetibus motus cierent, fuisse illos quidem *Palaestinenses*, sed quum in *Palaestinâ*, Apostolorum credo auctoritate coerciti quievissent, turbas eos effecisse *apud exteros.*

(quod judaicis placitis et caerimoniis corrumpitur) vos, Galatae, constanter teneatis, falsis sodalibus et ipsi fortiter renitentes. — Proximum est, ut tum insignem quandam multorumque disputationibus nobilitatam nonnullorum subsidiorum lectionem examinem, tum potissima interpretum de h. l. consilia percenseam. Scilicet v. v. 5. οἷς οὐδέ praetermissa sunt in D. a p. m., ab *Irenaeo* c. Haereses 3, 13, 3., *Tertulliano* adv. Marc. 5, 3.*), *Hilario* (qui, sicut *Hieronymus* ad h. l., graecos Cdd. οἷς οὐδέ habere diserte monet) et in Cdd. latinis, *Hieronymo* in Comment. ad h. l., *Sedulio*, *Primasio* et *Claudio Altissiodorensi* (v. *Mill.* ad h. l.) testibus. Quare v. οἷς οὐδέ adulterina visa sunt *Semlero***), *Griesbachio*, *Koppio* et S. V. *Schulzio* l. c. p. 19., quum ea plerique interpretes, nuper *Winerus*, *Ruickertus*, *Usterius* et *Matthiesius*, recte tuerentur. Nam primum quidem eorum, qui v. οἷς οὐδέ inducunt, auctoritas cum graecorum Cdd. consensu collata exigua, vel nulla potius est. Deinde illos vocc. οἷς οὐδέ *e correctione* omisisse manifestum est. Nam quum δέ v. 4., pervagati, de quo ad v. 2. dictum est, hujus vocis usus immemores, contrarium ante dictorum (v. 3.) necessario inferre putavissent (v. *Tertullianum* et *Hilarium****), vocabulis v. 5.

*) Fortasse etiam *Pelagius* in Comment. v. οἷς οὐδέ non agnovit. Fieri tamen potest, ut vocc. οἷς οὐδέ retentis v. 4. post ψευδαδέλφους cogitando adderet περιετμήθη et v. 5. post οὐδὲ πρὸς ὥραν suppleret: Τίτου περιτμηθέντος. *Pelagii* v. haec sunt: *sed propter subintroductos falsos fratres*] Reddit causam, *cur circumcidit Titum:* non quia illi circumcisio prodesset, sed ut scandalum imminens vitaretur. — quibus *neque ad horam cessimus* subjectioni, ut veritas evangelii permaneat apud vos] *ut periculum vitaremus et essent in nobis qui veritatem evangelii confirmarent.*" Haberet ista explicatio hoc vitii, quod tum v. 5. mente ajectum Τίτου περιτμηθέντος diserte poni, tum ut εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ recte intelligeretur, falsos sodales nescio quae alia officia a Paulo ejusque comitibus exegisse plane ibi dici perspicuitatis rationes jussissent.

**) Non *Millio*, ut *Ruickertus* a *Wolfio* in Cur. ad h. l. deceptus asseveravit. Nam si V. D. utilissimum *Millii* librum attente legisset, virum ingeniosum unde eorum qui οἷς οὐδέ exsulare antiquitus jusserunt error natus sit erudite explicare vidisset, ut ante *Millium Hieronymum* et post eum *Borgerum* fecisse constat.

***) *Tertullian.* l. l.: „Quod si quando vultis Judaismi magis affines subintelligi, *quum nec Titum dicit circumcisum*, jam incipit ostendere solam et circumcisionis quaestionem ex defensione adhuc legis concussam ab eis, quos propterea falsos et superinductitios fratres appellat, non aliud statuere pergentes, quam perseverantiam legis, ex fide sine dubio integrâ

οἷς οὐδὲ **sententiam pessumdari sibi persuaserunt. Praeterea temporibus et hominibus male confusis (v. infra) eo offensi sunt, quod P. sua consilia ad aliorum hominum opiniones accommodare solitus (Act. XVI, 3. 1 Cor. IX, 19 sq.) hominibus judaicis praejudiciis imbutis cedere Hierosolymis noluerit (v.** ***Tertullian*** ***),** ***Hilar.*** **[cf.**

---

creatoris, atque ita pervertentes evangelium, *non interpolatione scripturae, quà Christum creatoris effingerent,* sed retentione veteris disciplinae, ne legem creatoris excluderent. Ergo: *propter superinductitios,* inquit, *falsos fratres, qui subintraverant ad speculandam libertatem nostram quam habemus in Christo, ut nos subigerent servituti, nec ad horam cessimus subjectioni.* Intendamus enim et *sensui ipsi et causae ejus* et apparebit *vitiatio scripturae.* Quum praemittit: *sed nec Titus qui mecum erat, quum esset Graecus, coactus est circumcidi:* dehinc subjungit *propter superinductitios falsos fratres et reliqua: contrarii* utique facti incipit reddere rationem, ostendens propter quid fecerit: *quod nec fecisset nec ostendisset si illud propter quod fecit non accidisset.* Denique dicas velim, si non subintroissent falsi illi fratres ad speculandam libertatem eorum, cessissent subjectioni? *Non, opinor.* Ergo *cesserunt, quia fuerunt propter quos cederetur;* hoc enim rudi fidei et adhuc de legis observatione suspensae competebat, ipso quoque Apostolo ne in vacuum cucurrisset aut curreret suspecto. Itaque frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem christianam, ne ante eam in servitutem abducerent Judaismi, quam P. sciret se non in vacuum cucurrisse —. Necessario igitur *cessit ad tempus.*" [*Ruickertus* in Comment. p. 70. „*Ferner sagt* Tertull. c. Marc. 5, 3., *dass an unserer Stelle Marcion den Text verdorben habe und man kann wenigstens errathen, dass er meine, durch Beifügung der Negation.*" Si V. D. Tertulliani v. legisset, orationem invertisset h. m.: „Dicit *Tertull.* l. c. nostrum l. voce [*οἷς*] *οὐδὲ* additâ depravatum esse eumque a Marcione id factum credidisse e totâ illius viri disputatione colligere licet."] *Hilarius:* — „Licet Graeci e contra dicant *nec ad horam cessimus* et hoc ajunt convenire causae —. Non solum *historia,* sed *et literae* hoc indicant, *quia cessit* P.. Nam supra dicit, Titum quum esset Graecus non esse compulsum circumcidi et subjicit dicens: propter subintroductos *autem* falsos fratres. Quid jam sonat, nisi *quia cessit ad horam,* propter subintroductos *autem* falsos fratres? Si quo minus, *quomodo verba aut sensus se sequerentur?* Titum certe negat *compulsum* circumcidi: propter subintroductos *autem* falsos fratres quid sonat, *nisi quia cessit?*

*) *Tertullian.* l. l.: „Et sic ratio ei (Paulo) constat: Timotheum circumcidendi (Act. XVI, 3.) et rasos introducendi in templum (Act. XXI, 26.), quae in Actis edicuntur adeo vera, ut Apostolo consonent profitenti: *factum se Judaeis Judaeum,* ut etc. (1 Cor. IX, 20 sq.): *sic et propter superinductitios illos et omnibus novissime omnia factum, ut omnes lucraretur.*"

not. praeced.] et Ven. *Schulz.* l. c. p. 19 sq.). Postremo demtis v. οἷς οὐδέ prava emergit sententia. Optime enim his v. exclusis praecipuam quandam vim verbo ἠναγκάσθη v 3. tribueres h. m.: ne Titus quidem — circumcidi *coactus est* ab Apostolis, sed propter falsos et irreptitios sodales — ad horae spatium (sponte nostrâ) cessimus eo quod postularetur obsequio praestito, ut doctrinae christ. veritas permaneat apud vos. At enim vero quominus in v. ἠναγκάσθη insigne quoddam pondus recumbere statuamus, illud impedimento est, quod vs. 3. v. οὐδὲ Τίτος eximiâ vi pollent. Deinde P. ad *infirmorum* hominum ingenium identidem se composuit (Act. XVI, 3. XXI, 26. Rom. XIV, 1. 1 Cor. IX, 20 sq.), sed eum in homines *malignos* et eo quidem tempore, quo verendum esset, ne intempestivo obsequio malum quo alumni sui corrumperentur exemplum statueret, indulgentem fuisse credi non potest. Sed etiamsi P. falsis sodalibus Hierosolymis male obsecundasset, perperam tamen *Galatis* levitatem suam narrasset quod ne quid tale, quale ipse fecisset, admitterent gravissime admonere statuisset (III, 1. V, 1 sq. cl. I, 6 sq.). Unde si falsis sodalibus morem gessisset Hierosolymis, saltem, ne inconstantiae a Galatis postularetur, se non aliter per tempora aut homines facere potuisse h. l. docere debuisset. Denique v. v. 5. ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς hoc pacto omni sensu destituuntur; quandoquidem veritas ad alios eo propagatur, quod fortiter defenditur, non quod ignave deseritur*). Quas difficultates multum vereor, ut Ven. *Schulzius* l. l. p. 20. hâc interpretatione sustulerit: Propter irreptitios autem ac falsos sodales — ad perbreve tempus *subjectioni cessimus* (quum Titum circumsecari pateremur), ut evangelii veritas apud vos permaneat (neque rixando aut concertando de rebus levibus [de ritibus judaicis] evertatur). Praeterquam enim quod mire et inusitate εἴκειν τῇ ὑποταγῇ dicas *subjectioni quam aliquis postulet cedere* pro ὑποτάσσεσθαι, unde Paulum hoc modo πρὸς ὥραν ὑπετάγημεν pro πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ scripturum fuisse consentaneum est, non recte V. D. Apostolum τὴν ἀλήθειαν

*) Cum eorum qui v. 5. οἷς οὐδέ deleverunt interpolatione subsidiorum solum οἷς omittentium [ita Codex Halensis apud *Seml.* Paraph. Prol. 117., 15 Cdd. a Luca Brugensi inspecti (v. *Mill.*), Vulg. MSC. et Syrus] scripturae nihil commercii esse videtur. Omiserunt enim οἷς v. 5., qui a v. v. 4. Διὰ δὲ — novam periodum orsi essent, ut molestum aut superfluum. Syrum certe, qui haec v. expresserit: Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλ-

τοῦ εὐαγγελίου capitalia et quae doctrinam christ. contineant evangelii decreta, a quibus res leves et minutae, cujusmodi fuerit circumsectio judaica, probe segregandae sint h. l. dicere putavit. Qui quum Galatas ut falsis sodalibus circumcisionem, caerimoniam a Christo antiquatam, impense commendantibus omnibus viribus et opibus resisterent, graviter cohortatus sit (V, 1 sq.), evangelii veritatem, ut sibi constaret neque praecepti gravitatem suo exemplo dilueret, sinceram et illibatam Christi doctrinam, minime illam mos. placitis et ritibus pollutam (v. V, 7. cl. V, 1. VI, 12 sq. I, 6. 7.) vocare debuit neque nihil prorsus ad rem attinere, utrum falsorum sodalium admonitu Galatae circumcidi se sinerent, an non sinerent contendere h. l. potuit; quâ re *Schulzii* explicatio corruit. Multo minus *Semleri* consilium alicui satisfaciat, qui *Hieronymum* ad h. l. sequutus v. v. 5. *πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ* ad iter instigantibus falsis fratribus a Paulo Hierosolyma susceptum (Act. XV, 1.) retulit h. m.: Propter falsos autem et clam ingressos sodales — ad perbreve tempus cessimus praestito quod flagitarent obsequio (h. e. itinere Hierosolyma facto) —. Cui enarrationi haec jure obtendas: I. pro certâ re *Semlerus* habuit rem dubitationis plenam, de *tertio* P. itinere Hierosolyma facto h. l. agi: II. id quamvis verum esset, tamen P. Lucae repugnaret, qui Paulum et Barnabam *Christianorum antiochenorum* consilio et auctoritate, non quia id optassent advenae judaici, Mosis assectatores, Hierosolyma abisse scripsit (nam Act. XV, 2. *ἔταξαν* de Antiochenis dictum est et *ἐξ αὐτῶν* pro *ἐξ αὑτῶν* scribi debet): III. P. aut sibi ipse parum constaret aut mire saltem disputaret, si quum v. 1. 2. ***Dei se admonitu*** Hierosolyma profectum esse, *ut suam docendi formulam tum Christianis hieros. tum Apostolis* ***exponeret*** graviter asseverasset, superius dicta explanaturus haec adjiceret: *falsi autem fratres itineris necessitatem mihi imposuerunt:* IV. talis expositio majorem etiam offensionem habet post v. 3. locata, in quo jam de itineris eventu, non de ejus consilio exponatur: V. itineris a clam ingressis sodalibus impositi notio verbis magis perspicuis quam haec sunt: *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους — εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ*, ut Galatae Pauli mentem perciperent, exprimenda fuerat. Adde quod v. *πρὸς ὥραν* idoneâ ratione destituta sunt. Satis erat, P. se falsis sodalibus suscepto itinere obsecun-

---

φους — οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ αὐτῶν — hoc sequutum esse quovis pignore contenderim.

dasse dicere; non erat, quod se iis *paullisper* facto itinere cessisse narraret. In quamcunque igitur partem interpolatorum, qui οἷς οὐδέ deleverunt, scripturam versaveris, non ea explet sententiam. — Ultimum est, ut nonnulla explicatorum, qui lectionem vulgatam retinuerunt, consilia censurae meae submittam. Et eorum quidem rationem, qui v. 4. post ψευδαδέλφους cogitando adjecerunt περιετμήθη et v. 5. post οὐδὲ πρὸς ὥραν suppleverunt Τίτου περιτμηθέντος cur ferri nequeat, jam supra p. 193. dictum est. *Zachariae*, *Strothius*, *Storrius* (Opusc. III, p. 293.), *Rosenmüllerus*, *Borgerus*, *Jaspisius*, *Schottus* al. v. 4. post v. διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους e vs. 2. mente repetunt ἀνέβην h. r.: propter falsos *autem* et clam ingressos sodales Hierosolyma *profectus sum* — quibus ne ad horae quidem momentum cessimus obedientiâ, quam postularent, praestitâ (h. e. eo, quod Titum circumcidi pateremur), *ut* —. At si hanc P. sententiam enuntiare voluisset, non solum v. ἀνέβην post tantum intervallum*) repetere, verum etiam quum v. 2. alio se auctore alioque consilio Hierosolyma abisse affirmasset, *καί* eum addere (ἀνέβην δὲ καὶ διὰ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες —.) oportuisset. Peringeniosa est summi *Hermanni* l. l. p. 6. hoc Apostolum dicere arbitrati interpretatio: „*petiisse se Hierosolyma* propter fratres non genuinos, qui irrepsissent ut observarent *quid doceret*, *quod eum doctrinam Jesu pro suo arbitrio diffingere suspicarentur*: illis vero se ne horae quidem spatium *Jesu obsequio segniorem fuisse.*“ Viro egregio quominus assentiar his rationibus impedior: I. nisi fallor, repetito opus erat post gravissima v. 2. vocabula verbo ἀνέβην (ἀνέβην δὲ διὰ etc.: abii autem Hierosolyma meam doctrinam et Christianis et Apostolis probaturus [v. 2.] propter fratres non genuinos, qui me Jesu doctrinam pro meo arbitrio diffingere suspicarentur.): II. τὴν ἐλευθερίαν h. l. vocari jus quae vera judicavisset docendi Paulo a Christo concessum propter l. Gal. V, 1 — 13. IV, 9 — 11. VI, 12. 13. parum mihi credibile videtur; III. Jesu obsequium vix nude posito vocabulo τῇ ὑποταγῇ exprimi potuit. Nisi enim decipior, P. aut — εἴξαμεν τῇ ὑπακοῇ τοῦ Χριστοῦ (2 Cor. X, 5.), aut — εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ (2 Cor. IX, 13.) aut similem formulam posuisset: IV. quamquam ultima v. 5. v. ἵνα — πρὸς ὑμᾶς sententiam prae-

*) Nam quod illi interpretes *ponderosum* vs. 3. in parenthesis latebram abdiderunt, male fecerunt.

bent bene cum antecedentibus cohaerentem (hoc enim, credo, *Hermannus* dici putavit: fratribus non genuinis ne horae quidem spatium Jesu obsequio segnior fui, ut vos veram Christi doctrinam a me traditam retineatis, quae vobis merito suspecta esset, si divino magistro me obedientiores fuissent adulterini fratres), quod temere *Rückertus**) p. 344. negavit, tamen et aemulatio, quâ cum *fratribus non genuinis* P. contenderit nonnihil offendit et tota sententia, quam *Hermannus* versui 4. et 5. indidit tum ob l. Gal. V, 1 — 13. IV, 9 — 11. VI, 12. 13. I, 6. 7. tum propterea minus placet, quod versum 3. proxime excipit, ubi *circumcisionem judaicam* Tito ab Apostolis injunctam esse legimus. Agmen claudat infelicissima *Rückerti* opinio. Is v. 3. potissimam vim in v. ἠναγκάσθη sitam esse ratus, v. 4. *δέ sed* explicat et post ψευδαδέλφους e vs. 3. περιετμήθη supplet, vs. autem 5. in Pronomine relativo *οἷς* sententiam adversativam (i. q. *ἀλλὰ τούτοις*: cf. *Kopp.*) latere ibique v. *οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ* verbis v. 4. *διὰ δὲ τ. π. ψευδαδέλφους π ε ρ ι ε τ μ ή θ η* graviter opponi autumat h. m.: *Titus quoque* (v. supra p. 179.) tum ut circumsecaretur *non c o a c t u s est* (v. 3.); sed propter clam ingressos et falsos sodales, quos insidias nobis parare animadvertissem, *circumcidi eum p a s s u s s u m* (v. 4.); *at iis s e r v i l e m i n m o d u m m e s u b m i t t e r e,* ut omnes homines christ. ex paganis utique circumcidendos esse confiterer, ne horae quidem momento animum meum induxi, ut evangelii veritatem vobis conservarem. At enim vero quum praecipua vis v. 3. in v. *οὐδὲ Τίτος* recumbat, v. *ἠναγκάσθη* habere eam nequit. Deinde quam oppositionem inter v. v. 4. *διὰ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους ὁ Τίτος περιετμήθη* et vocc. v. 5. *ἀλλὰ τῇ ὑποταγῇ ο ὐ δ ὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν αὐτοῖς* intercedere *Rückertus* opinatus est, vana ea est tres maxime ob causas. Nam primum quidem *τὴν ὑποταγὴν s e r v i l e m obedientiam, τὴν ὑπακοὴν obsequium, quod tuâ s p o n t e ac l u b e n t e r praestes* significare inconsulte dixit p. 69. et 344. Scilicet ἡ ὑποταγή et ἡ ὑπακοή, sicut ὑπακούειν τινί et ὑποτάσσεσθαί τινι potestate congruunt, tropo differunt. Nam ἡ ὑπα-

*) *I n j u s t u m Rückertus* p. 342 sq. et passim protervum de egregio S. V. *Hermanni* Programmate (cf. supra p. 167.) judicium fecit. Modestius et rectius de *Hermanni* libro existimavit *Usterius* p. 231 sq., praematurâ morte literis nuper ereptus.

κοή et ὑπακούειν τινί proprie *auscultationem* et *auscultare alicui* notat; ἡ ὑποταγή et ὑποτάσσεσθαί τινι *deditionem, in quam venias* et *alicui se dedere s. submittere* primum declarat; sed utrumque vocabulorum genus ita usurpatur, ut non nisi *obedientiae* et *obediendi alicui* notiones exprimat (v. 2 Cor. X, 5. IX, 13. Rom. X, 16. Jac. IV, 7. et 1 Petr. III, 5. 6., ubi ὑποτάσσεσθαί τινι et ὑπακούειν τινί eodem sensu copulata sunt). Nisi forte aut Christus puer parentibus paruit *invitus* (Luc. II, 51.), aut Christi Apostoli et mulieres maritis (Tit. II, 5. 1 Petr. III, 1. 5.) et homines christ. magistratibus (Rom. XIII, 1. 1 Petr. II, 13 sq.) obtemperare jusserunt nolentes nec nisi *metu* adductos. Deinde etiamsi τῆς ὑποταγῆς voc. *servile et necessitate expressum* obsequium designaret, tamen *Ruckertus* v. τῇ ὑποταγῇ precario ad illud a sodalibus non genuinis imperatum obsequium retulisset, quo ut omnes Christiani ex gentilibus circumsecarentur postulassent. Nam hoc ut fieret falsos sodales a Paulo flagitasse multo magis perspicue dicendum fuerat. Postremo si P. v. v. 4. διὰ δὲ τοὺς π. ψευδαδέλφους (ἐμοῦ συγχωροῦντος περιετμήθη ὁ Τίτος) et vocc. v. 5. ἀλλὰ τῇ ὑποταγῇ οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν αὐτοῖς invicem opposuisset, eum verbis v. 5. ordinem assignare debuisset, ex quo συγχωρεῖν περιτέμνεσθαί τινα et εἴκειν τῇ ὑποταγῇ τινι vere ex adverso posita esse cordatus lector intelligere potuisset (v. c. ἀλλὰ τῇ ὑποταγῇ [s. τῇ δὲ ὑποταγῇ] οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν αὐτοῖς]. Nunc potiorem vim v. 5. v. οὐδὲ πρὸς ὥραν, non vocc. εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ habent. Quare istam explicationem interpres minus perspicax comminisci potuit, Paulus recte ac subtiliter et cogitare et scribere solitus illud verbis v. 4. et 5. eloqui non potuit.

Sed haec hactenus. Superest, ut vestri vos, Commilitones Humanissimi, officii benigne admoneam. Proxime enim instant sacra natalitia *Jesu Christi*, quem Deus summo genus humanum amore complexus (Joh. III, 16.) unicum filium tanquam ex sinu suo dimissum (Joh. I, 18.) de coelo in terram legavit, ut mentes nostras luce (Joh. VIII, 12.), pectora pietate (Matth. XII, 50.) imbueret et quum perfectae virtutis pietatisque exemplum inter homines edidisset (1 Petr. II, 21 sq.), turpem cupiditatum dominatum evertisset (Joh. VIII, 32. 34.), vanas legis mos. caerimonias abolevisset (Gal. V, 1 sq.), denique morte suâ peccatis expiatis homines sceleratos a desperatione vindicavisset (Rom. III, 25. 1 Tim. I, 15.)

genus humanum et vivus et moriens immortalibus beneficiis sibi obstringeret. Quare per festos qui appetunt dies summa Christi merita nobiscum pie recolamus eamque optimo Servatori gratiam persolvamus, ut perfectam viri innocentissimi virtutem aemulemur et quum Pauli ingenium nobis induerimus (Gal. II, 5.) subdolis et falsis sodalibus fortiter et ingenue obsistamus, qui per posticum ostium in coetum nostrum nuper ingressi et literas, antiquas maxime, quas nimirum nesciunt, medii aevi barbarie mire delectati, exscindere, et lucem a Christo accensam in tenebras, veritatem a Servatore in medium prolatam in mendacium et libertatem quâ Sospitator ab hominum nos auctoritate vindicavit in turpem servitutem, in quâ formulae ab hominibus excogitatae pro divinis mandatis habendae sint, convertere parant. Ne vos, inquit Paulus, hominum mancipia estote (1 Cor. VII, 23.).

Scribebamus Rostochii, d. XX. mens. Dec. a. MDCCCXXXIII.

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

De nonnullis Pauli ad Galatas epistolae locis

COMMENTATIO II. *).

Ut quam nuper ingressus sum de loco Pauli ad Galatas epistolae c. II, v. 1 — 10. perdifficili disputationem nunc absolvam, de v. 6 — 10. mihi disserendum est. Et vs. quidem sextus, in quo perplexa verborum compositio offensioni fuit, incredibile dictu est, quantopere VV. DD. ingenia exercuerit. Quorum sententias priusquam percenseam de nonnullis hujus vs. vocc., quae explicatione indigere videantur, dicere placet. *Δοκεῖν εἶναί τι* valere *aliquid esse videri* (Cic. in Caecil. Div. 15, 48.) aut *sibi* (v. Plat. Euthyd. 303. C. Gal. VI, 3. i. q. *sibi multum tribuere*), aut *aliis* (i. q. *magni aestimari*, v. *Wetst.* ad h. l.), ut h. l., ubi *οἱ δοκοῦντες εἶναί τι* primarii Apostoli dicuntur auctoritate florentes (v. v. 2. et 9.) in vulgus constat. *ὁποῖοί ποτε ἦσαν*] Non recte b. *Schottus* (in l.: Epistolae P. ad Thessalonicenses et Galatas. Textum gr. recognovit et commentario perpetuo illustravit D. *H. A. Schottus.* Lips. 1834. p. 374.) cum *Vulg.*, *Luthero*, *Beza*, *Clario* al. *ποτέ* ad tempus rettulit h. m.: *quales olim* (i. e. vivo Christo) *fuerint nihil mea interest* h. e. quod Christo familiariter usi sunt (v. *Pelag.* et *Beza*), ab eo antequam in coelum tolleretur Apostoli

---

*) Edidit hanc commentationem scriptor Rostochii a. MDCCCXXXIII, Academiae Rostochiensis tum Rector.

constituti (Marc. III, 14. Matth. XXVIII, 19. v. *Schott.*) magnorumque portentorum testes adhibiti (Matth. XVII, 1 sq. v. *Hieronymum* ad h. l.) in nullo pono discrimine, nihil curo. Nam quum hanc explicationem propterea ineundam esse contenderet, quod v. ὁποῖοί ποτε ἦσαν vocabulis ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι opponantur, v. ὁποῖοί ποτε ἦσαν optime comparata esse, si hoc sensu *quiqui erant* ad illud tempus revocentur, quo P. cum summae famae et auctoritatis Apostolis Hierosolymis congressus esset (v. 2.), V. D. non satis expendit: *ab iis autem qui magni fiunt. Qualescunque essent* (i. e. quantiscunque quum Hierosolymis essem laudibus vulgo ab hominibus celebrarentur) *nihil mea interest.* Servaverant enim, opinor, Apostoli auctoritatem, quum P. ad Galatas scriberet, quâ quum Hierosolymis versaretur eos valere cognoverat. Equidem *Bengelio, Winero, Usterio* al. assensus non dubito, quin ποτέ h. l. vocis ὁποῖοι et ambitum dilatet et vim augeat *quales tandem, qualescunque.* V. Demosth. de Pace p. 60, 14. *Reisk.* ἀλλ' ὁποία ποτ' ἐστὶν αὕτη [ἡ εἰρήνη] μὴ γενέσθαι μᾶλλον εἶχε τοῖς πράγμασι καιρὸν, ἢ γεγενημένην νῦν δι' ὑμᾶς λυθῆναι. et de loquutione ποῖός τίς ποτε *Heind.* ad Plat. Gorg. p. 139. Quia enim summam fuisse Apostolorum existimationem P. identidem h. l. significat (v. 2. 6. 9.), rectissime sane sua nihil referre *qualescunque* famâ et dignitate essent aut *quantumvis* iis Hierosolymis tribueretur dicat. οὐδέν μοι διαφέρει] *nihil mea interest, mihi perinde est.* V. Demosth. Philipp. III. p. 124, 3. ed. *Reisk.* Aelian. V. H. 1, 25. et *Schaefer.* ad Dionys. Hal. p. 294 sq. Formula πρόςωπόν τινος λαμβάνειν hebraicae loquutionis נָשָׂא פְנֵי פ' repercussa imago est, quae proprie *vultum alicujus ad suum conspectum admittere* i. e. *alicui aditum dare* notat Genes. XXXII, 21. Mal. I, 8. Deinde sensu figurato *alicui favere,* quum recte Gen. XIX, 21., tum temere Ps. LXXXII, 2. valet. In N. T. loquutio πρόςωπόν τινος λαμβάνειν, ut προςωποληπτεῖν, προςωποληψία et προςωπολήπτης, nunquam non in partem deteriorem accipienda est, ut *temere alicujus vultum admittere* i. e. *favere indigno et quia sit ὁ δεῖνα partium studio adductum bene cupere* declaret. Cf. not. ad Marc. p. 515.*). πρόςωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει]

---

*) *Koppius:* „Ceterum fere suspicor, h. l. [np. verbis πρόςωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει] ad corporis inprimis, vultus, formae infirmitatem et exilitatem, quam saepius de se confitetur, Apostolum respexisse.“ Haec suspicio vanissima est, tum quoniam formula tralata πρόςωπόν τινος λαμβά-

D.F.G. *θεὸς ἀνθρώπου πρόςωπον οὐ λ.* | 46. *θεὸς πρόςωπον ἀνθρώπου οὐ λ.* | 37. Mt. f. *πρόςωπον ἀνθρώπου θεὸς οὐ λ.* | A. om. *ἀνθρώπου*. Scilicet librarii, qui vocc. *πρόςωπον ἀνθρώπου* sensu ac structurâ copulata interjectâ voce *θεός* divelli moleste tulissent, v. male, ut putabant, dissipata suo, sed alii alio loco reposuerunt. At de industriâ P. *πρόςωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει* scripsit, quo melius *hominem* admirari quantopere a *Dei* majestate abhorreret ipso verborum ordine admoniti lectores sentirent: „ornamenta *Deus hominis* non admiratur." (Cf. Eur. Bacchae v. 82. — *ἴτε Βάκχαι, Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ* | *Διόνυσον κατάγουσαι* —. Idem Fr. Incert. CIV [p. 386. ed *Matth.*] *Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χωρὶς ἀνθρώποις θεοῦ.*) Obscuratur haec gravis oppositio, si ex A. 17. 71. 73. Mt. d. h. *ὁ θεός* susceperis *Grotio* obsequutus. Unde *rhetoricâ* quam dixi ratione motus Articulum repudio. *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο*] Hîc illud primum observandum est, P. vocem *ἐμοί*, ut maxime ponderosam, primo loco collocasse. Quae una parvi momenti res a multis neglecta eo valuit, ut in totius vs. interpretatione laberentur. Deinde inconsiderate *Mill.* Prol. §. 1254. v. *οἱ δοκοῦντες* ex v. 2. irrepsisse contendit. Nemo enim praeter Syrum et qui ejus vestigia persequutus est Arabem Erpenii v. *οἱ δοκοῦντες* praetermisit. Quod si ille fecit, interpretis libertati, non Codicis quo uteretur bonitati id dandum est. Magnâ enim libertate locum difficilem more suo transtulit: ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܕܡܣܬܒܪܝܢ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܡܕܡ܆ ܡܢ ܕܝܢ ܐܝܬܝܗܘܢ ܠܐ ܒܛܝܠܐ ܠܝ܆ ܐܠܗܐ ܓܝܪ ܒܐܦܐ ܕܒܢܝܢܫܐ ܠܐ ܢܣܒ܆ ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܡܕܡ ܠܐ ܐܘܣܦܘ ܠܝ܆ i. e. *οἱ δὲ δοκοῦντες εἶναί τι* (*ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐ διαφέρει μοι· θεὸς γὰρ πρόσωπον ἀνθρώπων οὐ λαμβάνει·*) — *αὐτοὶ δὲ οὗτοι οὐδέν μοι προςανέθεντο.* *) Sed ne omisit quidem Syrus v. *οἱ δοκοῦντες*, quum eum, ne vocc. ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܕܡܣܬܒܪܝܢ

νειν non de alicujus *vultu* aut *formâ*, quâ quis delectetur, nos admonet, sed *pravo alicujus, quia Cajus sit aut Sempronius, studio teneri* significat, tum quod nihil dici potuisset jejunius. Neque enim aut Petrus eo opes et dignitatem consequutus erat, quod firmus, procerus et lacertosus esset, aut Paulus idcirco a Galatis elevatus, quod iis corporis imbecillitas et viri forma ac statura displicuisset.

*) Syri verba ejusmodi sunt, ut utrum hunc vs. Anacolutho affectum esse putarit, an *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι* *quod autem attinet ad* — male explicuerit (v. infra) non satis certum sit, quamquam illud est verisimilius.

ܐܝܠܝܢ ܕܡܬܚܙܝܢ moleste iterarentur, verborum οἱ δοκοῦντες vim vocabulis ܗܢܘܢ ܗܠܝܢ (αὐτοὶ οὗτοι cf. Syrum v. 10.) reddidisse in promtu sit. Quod autem F. G. Vulg., Boern., Ambrosiast., Pelag. οἱ δοκοῦντές τι εἶναι, Augustin. οἱ δοκοῦντές τι et Clar. Germ. οἱ δοκοῦντες εἶναι tenent, inde P. h. l. οἱ δοκοῦντες posuisse, quam formulam librarii ex v. antecedentibus ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι locupletare suum esse duxerint liquido confirmes. Restat v. προςανατίθεσθαι. Quod multi interpretes (v. c. Chrysost. schol. Matth. προςανέθεντο] περισσότερόν τι προςεδίδαξαν, *Bengel.*, *Kopp.*, *Borger.*, *Schott.*, al.) *praeter ea quae quis sciat aliquid proponere* designare putarunt. Ac potest haec enarratio ingeniosa videri. Nam dicent illi, proposuisse P. Apostolis suum evangelium (v. 2. ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον κ. τ. ἑ.); sed illos nihil habuisse, quod rebus a P. dictis explicatisque adderent (οὐδέν μοι προςανέθεντο). Duo tamen etiam atque etiam consideranda sunt: unum, quum nemo προςανατίθεσθαι ita usurpaverit, non nisi analogiâ (cf. v. c. ἀναγράφω, προςαναγράφω) istum significatum firmari posse: alterum, *novae rei cumuli loco ad eas, quas P. jam teneret,* adjectae notionem non necessario h. l. requiri, ubi hoc dici sufficiat, non magistros Paulo exstitisse Apostolos (v. I, 12.). Equidem ἀνατίθεσθαι et προςανατίθεσθαι sic differre censeo, ut ἀνακοινοῦσθαί τινι περί τινος (Xenoph. Anab. 3, 1, 5.) *communicare cum aliquo de re* et προςανακοινοῦσθαί τί τινι (Diod. Sic. 1, 16.) *alicui aliquid admovere idque cum eo communicare* distant. Ἀνατίθεσθαί τινί τι *alicui aliquid proponere* i. e. enarrare significat, contra προςανατίθεσθαί τινί τι *verba ad aliquem facientem ei aliquid proponere* (v. Comment. I. p. 169 sq.) declarat. Diod. Sic. 17, 116. — τοῖς μάντεσι προςαναθέμενος περὶ τοῦ σημείου —. *quum ad vates portentum attulisset iisque de eo dixisset.* Lucian. Jup. Trag. c. 1. ἐμοὶ προςανάθου, λάβε με σύμβουλον πόνων —. *mihi, quem alloquio dignatus sis, res tuas enarra, richte an mich eine Mittheilung,* i. e. ad sensum: mihi te committe. Gal. I, 16. — οὐ προςανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι *non mortales adii iisque rem proposui* h. e. si *sensum* quaeris *mortales non in consilium adhibui.* Quare οὐδέν μοι προςανέθεντο ab οὐδέν μοι ἀνέθεντο non nisi hâc notione discrepare judico: rem quae alicui proponatur *ad eum deferri.* Qui verbo προςανατίθεσθαι h. l. eundem significatum recte subjici, quo supra I, 16. legitur, negarunt, ut *Ruickertus,* rem ad aliquem deferri posse, non solum ut consulatur, verum etiam ut aut edoceatur aut admoneatur aut de eo

quod factum sit certior fiat, pro consilii autem, quo ductus rem ad aliquem perferas, diversitate formulae προςαναθέσθαι τινί τι diversum esse *sensum* minime considerarunt. Eorum explicatio, qui προςαναθέσθαι τινί τι *alicui aliquid opponere, contra aliquem aliquid monere* (v. *Reichard.* et *Jaspis. cl. Luthero: mich aber haben die so das Ansehn hatten* ***nichts anders*** *gelehret)* valere putarunt, usui loquendi repugnat. *Rückertus* eorum opinionem nuper revocavit, qui προςαναθέσθαι τινί τι ***novum*** *alicui onus injungere* explanassent. Sed praeterquam quod hoc pacto προςαναθέσθαι Medium nonnihil offendit (est enim προςαναθέσθαι Xenoph. Mem. 2, 1. 8. ***sibi*** *novum onus imponere),* quamquam προςαναθέσθαι τινί τι ***in suum emolumentum*** *novum onus in aliquem conferre* valere aliquis affirmet, *Rückerti* sententia intolerabilis est propterea, quod quae illa fuerint onera, quibus P. premeretur et ad quae non accesserit novum onus, nemo dixerit (v. infra). Nunc quum de singulorum vocc. potestate satis dictum videatur, sequitur ut de totius vs. compositione et structurâ disseram. Male *Hombergius* Parerg. p. 275. v. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει h. s. consociavit: *ab iis autem, qui auctoritate valent, qualescunque essent, nihil differo* i. e. sum iis par atque aequalis. Nam *differo ab aliquo* non διαφέρει μοί τινος s. ἀπό τινος graece dicitur, sed διαφέρω τινός (Xen. Mem. 1, 2, 50. — πολλάκις ἐσκόπει, τί διαφέρει μανίας ἀμαθία), et, a serioribus quidem scriptoribus, διαφέρω ἀπό τινος, unde quod *Hombergio* placuit his v. τῶν δὲ (s. ἀπὸ δὲ τῶν) δοκούντων εἶναί τι — οὐδὲν διαφέρω enuntiandum fuisse elucet. Frustra ad l. Theophili de jure naturali, gentium et civili lib. 1. tit. 2. §. 4. 33. ed. *Reitz.* Τὸ δὲ χυδαῖον πλῆθος τοῦ δήμου τούτῳ διενήνοχεν, ᾧ διενήνοχε γένος ἀπὸ τοῦ εἴδους. provocatum est, ex quo nihil nisi hoc intelligas, posterioris aetatis scriptores διαφέρω τινός et διαφέρω ἀπό τινος promiscue posuisse. Non obstat *Hombergii* consilio διαφέρει Praesens, pro quo *Borger.* διέφερε praeter rem expetiit, neque paullo inferius ἐμοί magnâ cum vi primo l. positum (v. *Winer.*), quippe quod eo valere posset, ut generalis sententia πρόςωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει ad P. transferretur: magnis illis viris, qualescunque essent, nullâ re cedo. *Ornumenta Deus hominis non admiratur* (id quod ipse expertus sum). *Ad me enim nihil quod discerem viri primarii pertulerunt* —. Ad *Hombergii* opinionem proxime nuper accessit *Schulthessius* in l.: *Die evang. Lehre von dem h. Abendm.*

Leipz. 1824. p. 17. Qui quum οὐδέν μοι διαφέρει i. q. οὐδὲν διαφέρω valere non posse probe intellexisset v. Anacolutho laborare perhibuit. A verbis enim ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι P. hanc periodum exorsum esse, quod οὐδὲν διαφέρω addere decrevisset, sed verbis obiter adjectis ὁποῖοί ποτε ἦσαν alio abreptum vocc. οὐδέν μοι διαφέρει subjecisse, quae ad ὁποῖοί ποτε ἦσαν accommodasset *ab iis autem qui aliquid esse videntur* [dicturum P. fuisse *nihil differo*], *qualescunque essent nihil me movet.* Magna vero Pauli vel festinatio fuisset, vel animi perturbatio et confusio, si trium v. interpositio eum ab inchoatâ structurâ avertisset. Non minus a vero ii aberrarunt, qui v. c. *Chrys.*, *Theophyl. Oecum.*, *Calov.*, *Bolten.*, *Schleusn.* Lex. s. v. ἀπό n. 18., *Borger.* al. *) ἀπὸ

*) In his etiam *Ruickertus* nomen suum professus est, qui totum l. mire pervertit. Nam quum *posse* οὐδέν μοι διαφέρει ἀπό τινος valere: „*von Seiten Jemands macht es mir keinen Unterschied, d. h. was ihn anlangt, ist es mir ganz gleichgültig*" contendisset (quasi vero quisquam ita loquutus sit!), deinde v. ὁποῖοί ποτε ἦσαν *qualescunque essent* h. e. *utrum viri illustres an obscuri, utrum Apostoli an nescio qui alii essent* exposuisset (deliberato enim consilio Paulum de Apostolis in universum dixisse quasi ignarum esse eos Apostolos, quo minus aspera sua atque acerba oratio quemquam laederet!), tum ἐμοί idcirco magno cum pondere primo loco positum esse affirmavit, ut P., cui Apostoli novum onus non injunxissent, *Petro* opponeretur a Paulo Antiochiae castigato v. 11., tum προςανατίθεσθαι *novum onus* (dixisse autem Paulum *judaicas caerimonias*) *imponere* hoc pacto explanavit, ut verbis ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο ex adverso posita sint v. ἀλλὰ τοὐναντίον — — δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ — κοινωνίας, ἵνα — περιτομήν, μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν (v. 7. 9. 10.) h. s.: *mihi nempe viri auctoritate pollentes novum onus non imposuerunt, sed contra — collegam me suum dignitate sibi parem agnoverunt, nisi quod hoc mihi onus injunxerunt, ut egenorum curam agerem.* Unde totum l. V. D. sic explicuit: *quod vero ad viros attinet auctoritate florentes mihi perinde est, qualescunque essent, nobiles, ignobiles, gregarii Christiani, Apostoli aut si quis horum fastigio altior gradus est. Deus quoque* (unde hoc?) *hominum decora non admiratur. Mihi enim viri auctoritate conspicui non novum onus injunxerunt* (at *ego Petrum* Antiochiae perstrinxi v. 11.), *sed contra — societatem mecum inierunt, quâ me gentilium Apostolum facerent, nisi quod hoc in me onus contulerunt, ut pauperes sublevarem.* Quâ interpretatione nihil vidi infelicius. Nam, ne ante dicta repetam, *Ruickerti* sententiâ probatâ non rustice solum, verum etiam temere P. Apostolos verbis ὁποῖοί ποτε ἦσαν carpsisset et quoniam qui peterentur neminem fugere poterat (v. v. 2. et 9.) et quia summae auctoritatis Apostolos eo l. elevasset, quo, ne a Galatis

δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι de hominibus vero multum pollentibus i. e. *quod autem ad viros attinet auctoritate florentes* exposuerunt. Perperam enim hi omnes praeverbio *ἀπό* vim tribuerunt, quam *περί* habet (v. Marc. XII, 26. 1 Cor. XVI, 12. VIII, 1.). Quamquam de hujus l. sententiâ parum inter eos convenit. Illo, quod indicavi, vitio detracto ii maxime tolerabiles videantur, qui, ut *Borger.*, hoc dici putarunt: *quod autem ad viros attinet, qui inter ceteros eminent, nihil mea interest, quanti quanti apud homines fuerint.* Contra *Chrysostomi,* quem *Theophyl., Oecum., Calvinus, Clarius* al. sequuti sunt, enarratio prorsus inepta est: *quod autem ad viros attinet famâ et auctoritate conspicuos, nihil mea refert qualescunque fuerint* (i. e. utrum ex animi sententiâ an quod ad tardorum et superstitiosorum hominum opinionem male descenderent circumcisionis judaicae fautores exstiterint, nihil ego interpretor). *A partium studio, quo hominem amplectatur, longe abest Deus, cui rationem sunt reddituri. Illud assevero, nihil novi viros primarios me edocuisse.* Verum enim vero Pharisaeus hoc fecerit, non Paulus, ut quod aut superstitione aut indulgentiâ, quae superstitiosis Christianis

---

sperneretur, ad honorificum summorum virorum de se judicium provocaret (v. 3. 9.). Deinde quod *Ruick.* sententiam verbis *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο* oppositam v. 11. sequi perhibuit, falsum est tum propterea, quod verbis *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο* vocc. v. 7. 9. *ἀλλὰ τοὐναντίον — δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ — κοινωνίας, ἵνα —.* fatente ipso *Ruickerto* opponuntur, ut iis alia v. opponi non potuisse pateat, tum idcirco, quod gravis ista, verbis v. 6. *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο* respondens, oppositio v. 11. verborum ordine non significata est, ut debuerat: *Ἐγὼ δὲ* (s. *ἀλλ' ἐγώ*) *τῷ Πέτρῳ, ὅτε ἦλθεν εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόςωπον ἀντέστην —.* Tum quod *Ruick. προςανατίθεσθαι novum onus imponere* exposuit, quodnam illud tandem onus fuerit, quod P. jam sustineret et ad quod *novum* onus ab Apostolis non adderetur? Apostoli munus, inquit. At hoc honori, non oneri sibi esse P. duxit (1 Cor. XV, 7 sq. 2 Cor. XI, 23. Eph. III, 8.) et si unquam Apostoli officium sibi grave et molestum putarit (1 Cor. IX, 16. 17.), certe h. l., ubi, ut justi Jesu Apostoli auctoritatem obtineret, omni ope eniteretur (I, 11 — II, 14.), Apostoli munus magnum decus atque ornamentum censere debuisset. Denique, ne plura addam, vocabulis v. 10. *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* non haec vis subest: hoc tamen Apostolos Paulo *onus* injunxisse, ut egenis prospiceret, sed quum *οἱ πτωχοί stirpis judaicae* pauperes sint, illa v. cum praecedentibus in hanc sententiam coeunt: Apostoli dextris porrectis cum Paulo pacti sunt, ut homines *paganos* doctor adiret hâc tantum exceptione adjectâ ut *egenorum in Judaeâ Christianorum* inopiae succurreret.

deberi videretur, fieri potuisset, pravo obsequio neque ex animi sententiâ factum interpretaretur, nisi ubi vitae inconstantia animum levem et obnoxium prodidisset, ut in Petro v. 12. Deinde quo l. P., ne a Galatis vilipenderetur, hoc docere debuerat, suam disciplinam Hierosolymis primarios Christi Apostolos comprobasse seque ab iis dextris datis hâc lege cooptatum esse collegam, ut ad hominum gentilium institutionem suum animum potissimum applicaret, summae auctoritatis Apostolos apud lectores, quamquam tecte, criminari quamnam tandem rationem habuit? Esto tamen, quod concedi non potest, istâ P. h. l. usum esse in Apostolos oratione criminosâ. Tum vero, ne secus intelligeretur, hanc sententiam: *quomodocunque se gererent, quum ut Titus circumsecaretur Hierosolymis flagitarent* v. perspicuis exprimere debuerat, v. c. his: *πῶς δήποτε περιεπάτουν* (v. Ephes. V, 15. *) 1 Thess. IV, 1. cl. Joh. V, 4.). Sunt enim v. *ὁποῖοί ποτε*

---

*) Ephes. V, 15. 16. *Βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε· μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοὶ, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσιν.* Disputavit de h. l. S. V. *Winerus* Gr. p. 248. et 435. (ed. 4. p. 276.), sed minus recte. Illic Subjunctivum aut Futurum pro *περιπατεῖτε* exspectari potuisse observavit, quoniam Apostolo hoc dicendum esset: *videte, quomodo circumspecte in posterum vivatis* citavitque ut suam sententiam muniret Aristot. Rhet. ad Alex. c. 23. (ed. *Bekk.* p. 1434. *ἂν δὲ ἀστεῖον γράφειν θέλῃς λόγον, παραφύλαττε ὡς μάλιστα, ὅπως τὰ ἤθη τῶν λόγων ὁμοιοῦν τοῖς ἀνθρώποις δυνήσῃ*) et c. 26. (ed. *Bekk.* p. 1435. *εὐλαβοῦ δὲ περὶ τὰ φωνήεντα τῶν γραμμάτων, ὅπως μὴ ἑξῆς τεθήσονται· πρόσεχε δὲ καὶ τοῖς καλουμένοις ἄρθροις, ὅπως ἐν τῷ δέοντι προστιθῆται· σκόπει δὲ καὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων, ὅπως μήτε συγκεχυμένη μήθ' ὑπερβατὴ ἔσται·* et paullo post: *τὸ δὲ προσέχειν τοῖς ἄρθροις, ὅπως ἐν τῷ δέοντι προστιθῆται, ἐπὶ τῶνδε ὅρα·*). Ubi duo mihi mira acciderunt. Neque enim *ὅπως* apud Aristotelem declarat *quomodo*, sed est conjunctio *ut*, et si *Winerus* Futurum h. l. expetiit, se ipse impedivit, quod *περιπατεῖτε* non Futurum atticum fecit (v. Joh. XVI, 16. 17. et not. meam ad Matth. p. 66.). Deinde evanescere difficultatem vocc. h. m. transpositis: *βλέπετε οὖν ἀκριβῶς, πῶς περιπατεῖτε* *Winerus* dixit, sed hunc v. ordinem in nullo Cd. inveniri. Invenitur vero in B. 17. 31. 73. 80. Mt. h. et Chrysost., quos si auctores sequutus sis, sine ullâ sane offensâ hoc dicitur: *attendite igitur diligenter quomodo vivatis* h. e. *acriter animos intendite ad vitam vestram ac mores.* Sed et illa lectio et omissio vocis *ἀκριβῶς* in Aeth. Clar. Germ. vetusta correctio est ab iis profecta, qui quum *ἀκριβῶς βλέπειν, εἰδέναι* (1 Thess. V, 2.) et finitima frequentari scirent, formulâ *ἀκριβῶς περιπατεῖν* offenderentur, quae h. l., ubi P. lectores ut providenter vitam instituant hortetur, aptissima mihi videtur: *tanquam ad regulam et amussim vitam dirigere.* Postremo *Winerus* eo abiit, ut v. *βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε* pro *βλέπετε οὖν, πῶς περι-*

ἦσαν ita comparata, ut quicunque a curâ liber ad hunc l. accesserit, ea propter vocc. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, ut *etiamsi maximi fierent Apostoli tamen id nihil curare Paulum* dicatur, addita esse continuo intelligat. Adjunge quod *Deo Apostolos sui vel facti vel consilii rationem reddituros esse* ne verbo quidem indicatum est neque quidquam P. dixit, nisi esse Deum a partium

———

πατεῖτε, δεῖ δὲ ὑμᾶς ἀκριβῶς περιπατεῖν *concise* dicta perhiberet. At nulla tanta est brachylogia, ut illis v. id comprehendi potuerit. Quin nihil v. βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε declarare possunt, nisi hoc: *videte igitur, quomodo circumspecte vivatis* h. e. *quomodo illud efficiatis, ut provide vivatis* (πῶς τὸ ἀκριβῶς ἐργάζεσθε). Indicativus in percontationibus indirectis a Graecis poni solitus mihi hic idoneus videtur, praesertim in admonitione, quae naturâ suâ ad tempus futurum pertineat. Cf. 1 Cor. III, 10. ἕκαστος δὲ βλεπέτω, πῶς ἐποικοδομεῖ *quivis autem videat, quomodo* (utrum magnifice an viliter) *superstruat* (lege antecc. et sqq.). Futuro περιπατεῖτε s. περιπατήσετε futuri temporis notio *diserte* exprimeretur: videte, quomodo circumspecte *vitam sitis acturi.* Conjunctivus autem περιπατῆτε hanc vim haberet: videte *quomodo circumspecte vivere possitis* (Hebr. VIII, 3. 1 Petr. V, 8.). Sed ut recte dicitur: πῶς οὖν ἀκριβῶς περιπατῆτε; (v. Matth. XXIII, 33. et ibi not.), haec tamen structura: βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατῆτε mihi barbara videtur. Verbis sequentibus μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσιν. vocabula proxime praegressa πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε eo illustrantur, quod quibus rebus *vita quae circumspecte agatur* (τὸ ἀκριβῶς περιπατεῖν) contineatur primo per negationem, deinde etiam per affirmationem exponitur: videte igitur, quomodo *ad amussim vivatis, h. e. non ritu insipientium, sed ut homines sapientes* (vitam instituatis), *quum opportunitatem ad benefaciendum ematis, quia* etc. Non igitur περιπατοῦντες post μὴ mente addendum est (v. *Harlessium*), sed vocc. μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί, ἐξαγοραζόμενοι etc. a verbis βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε legitime suspensa sunt. Quid sibi *Winerus* voluerit, quum Gr. p. 435. ed. 3. virgulâ post περιπατεῖτε duas interrogationes nullâ interpositâ copulâ de Graecorum et Romanorum more in unam sententiam colligatas esse affirmaret (vid. not. ad Marc. p. 74 sq. et 686 sq.) nemo facile dixerit. Alterum quoque l. Act. XI, 17. — ἐγὼ δὲ τίς ἤμην, δυνατὸς κωλῦσαι τὸν θεόν; argutius quam verius *Winerum* [ed. 4. p. 485.] illuc retulisse arbitror, quum eum sic verteret: *ich aber wer war ich? war ich mächtig genug, um zu verhindern?* Nihil enim prohibet, quo minus hunc l. sine ullâ structurae contortione sic enarremus: — *ego vero quis* (quantulus) *eram, qui possem Dei consilium impedire? ich aber wer war ich, der ich im Stande gewesen wäre, Gotte in den Weg zu treten?* (i. q. ἐγὼ δὲ μὴ οἷός τε ἤμην κωλῦσαι τὸν θεόν; h. e. ἐγὼ δὲ οὐ δυνατὸς ἤμην κωλῦσαι τὸν θεόν.) Vide locum nostro non valde dissimilem Rom. XIV, 4. Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην;

studio, quo in hominem effundatur, alienum. Quocirca tali fere oratione opus fuerat: *θεὸς γὰρ αὐτοὺς κρινεῖ, καὶ προσωποληψία οὐκ ἔστι παρ' αὐτῷ* (v. Rom. III, 6. Eph. VI, 9.). Postremo v. *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο* quam inanis sit *Chrysostomi* interpretatio argumento sunt, quae ut bene haberet in hunc ferme modum oratio continuanda fuerat: *τοῦτο δέ μοι διαφέρει γνωρίζειν ὑμῖν* (s. *τοῦτο δέ φημι* 1 Cor. VII, 29.), *ὅτι οἱ δοκοῦντες οὐδέν μοι προσανέθεντο.* Multo melior est eorum interpretum sententia, qui vocabulis *ὁποῖοί ποτε ἦσαν — οὐ λαμβάνει* uncis inclusis Paulum post parenthesin inchoatae structurae oblitum novam constructionem iniisse, ut in anacoluthon delaberetur, existimarunt. Quorum alii (v. c. *Grotius*, *Raphelius* Annot. ex Herod., *Usterius)* Apostolum *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι*, ut nonnullis v. interpositis *οὐδὲν προσελαβόμην* (imo *ἔλαβον* Apoc. III, 3. s. *παρέλαβον* Gal. I, 9. 12.) adderet (a magnae autem auctoritatis viris — *nihil didici*) dicere orsum, parenthesi, ut fit, in ante dictorum oblivionem adductum, quod enuntiare constituisset aliâ de integro structurâ exposuisse putarunt: *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο ad me enim viri multum pollentes nihil quod discerem pertulerunt*; alii (ut *Kopp.*, *Winer.* Gr. p. 441. *), *Schott.* in

---

*) Ibi anacoluthon, quod insidet in Ev. Joh. VI, 22—24. *Τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης ἰδών, ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ εἰ μὴ ἓν [[ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ]], καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ πλοῖον, ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον (ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος ἐγγὺς τοῦ τόπου, ὅπου ἔφαγον τὸν ἄρτον εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου·) ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐνέβησαν καὶ αὐτοὶ εἰς τὰ πλοῖα καὶ ἦλθον εἰς Καφαρναοὺμ ζητοῦντες τὸν Ἰησοῦν.* V. D. non eo expedivit, quod initam Participio *ἰδών* structuram quum parenthesi interpellata esset verbis *ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος* redintegrari dixit. Illud enim ostendendum est, quo spectent vocc. *ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.* Scilicet ita Johannes dicere exorsus est, ut eum in fine v. 22. haec addere: *ἐζήτουν αὐτὸν ἀλλ' οὐχ εὗρον.*, deinde v. 24. post parenthesin sic pergere voluisse appareat: *Ἐνέβησαν οὖν εἰς τὰ πλοῖα καὶ ἦλθον κ. τ. λ. postridie plebs quum vidissent non nisi unam cymbam ibi (in statione) esse neque Jesum cum discipulis abisse* (unde et *remansisse* Jesum in citeriore ripâ et *unam illam ei navem*, quâ in ulteriorem lacus ripam trajiceret, *paratam esse* argumentarentur) *quaesiverunt eum sed frustra. (Alia autem navigia Tiberiade in ejus loci viciniâ (interea) advenerunt, ubi precibus a Domino fusis coenaverant). Conscenderunt igitur* (i. e. postquam Jesum frustra quaesiverant) *in navigia et venerunt* etc.

Comment.) Apostolum a *passivâ* constructione (ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι — οὐδέν μοι προςανετέθη a claris autem viris *nihil mihi, quod discerem, profectum est:* v. Jac. I, 13. et *Win.* Gr. p. 318.) ad *activam* structuram (ἐμοὶ γάρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο) parenthesi abreptum esse judicarunt. Utrosque γάρ non rationi, quâ v. parenthetica corroborentur, reddendae servire contendere oportet, sed debent eam voculam resumtae post parenthesin orationis indicem facere. Cic. pro Plancio 10, 24. Aliquid praeterea (timide dico, sed tamen dicendum est) non *enim* opibus — sed precibus aliquid attulimus etiam nos. Non hoc his interpretibus obvertam, parenthesin istam contrariam esse consilio scriptoris, qui multum se primariis Apostolis tribuere ostendat eorumque auctoritate utatur, ut vera esse quae doceat demonstret. Nam si modo ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει *qualescunque de hominum sententiâ essent nihil mea refert* enarres, P. non ipsam Apostolorum auctoritatem infringit, sed hominum adventitiis praeclarorum virorum ornamentis adstupentium vanitatem oppugnat. Sed v. ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο illos explicatores in errore versari indicio sunt. Si enim parenthesis Pauli animum ab aliâ ad aliam structuram sevocasset, interruptum orationis filum post parenthesin ita resumere scriptorem oportuerat, ut omissâ priore structurâ (ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναι

Sed quum Johannes properans ad parenthesin, quâ qui maritimo itinere tot homines Capharnaumum petere potuissent exponeret *frustra Jesum a plebe quaesitum esse* (ἐζήτουν αὐτὸν, ἀλλ' οὐχ εὗρον) v. 22. monere supersedisset, rem praetermissam absolutâ parenthesi sic supplevit, ut eam revocatae structurae intexeret: ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ *quum igitur plebs vidisset Jesum ibi non esse neque ejus discipulos* etc. Verba uncis circumscripta ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ vetus glossema continent ex errore ad permultos interpretes pertinente natum, cymbam v. 22. memoratam eandem fuisse, quâ pridie eum diem lacum transmisissent Apostoli (v. 17.). Hâc enim sententiâ probatâ, ut Jesum in citeriore ripâ adhuc versari plebem recte conclusisse intelligas, aut ἦν v. 22. Plusquamperfecti potestate locatum esse male credere debeas, aut cymbam, quâ usi essent Apostoli v. 17., et in *orientali* maris galilaei litore stationem habuisse et eam ibi unicam fuisse, ad trajectum comparatam precario sumere cogaris (neque enim Johannes v. 22. dixit — εἰ μὴ τοῦτο τὸ πλοῖον. v. v. 21.). Ne recentissimi quidem interpretes hunc. l. intellexerunt (cf. *Lükkium, Meyerum* et *de Wettium*). *Winerus* autem Gr. p. 492 ed. 4. suam loci explicationem *historicis* argumentis muniri posse confisus est. Miron.

τι) novam constructionem iniri ex verborum ordine cognosci posset: οἱ γὰρ δοκοῦντες οὐδέν μοι προςανέθεντο. Praeterea brevem undecim vocabulorum parenthesin ab inceptâ structurâ Paulum avertisse, non admodum credibile est. S. V. *Hermannus* l. c. p. 7. v. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι — per aposiopesin dicta censet. Reticuisse autem Paulum *quid metuerem* h. m.: *ab illis autem, qui principes esse credebantur, quid metuerem?* *) *Quiqui illi fuerunt, etiam si ab ipso Jesu instituti, perinde est: personam hominis Deus non respicit. Mihi enim nihil illi mandarunt.* Nempe rationem Paulum reddere, cur sibi Apostoli non fuerint metuendi: quae haec sit, quod etiam si illi ipsum Jesum audiverint, tamen sibi quoque a Deo, qui personam non respiciat, idem sit veritatis lumen concessum. Verissimam hanc interpretationem judicarem, si tantam Paulo h. l. fuisse animi concitationem intelligerem, quanta istam reticentiam gignere potuisset. Atqui studiose ille quidem et copiose, sed sedato tamen animo, res Hierosolymis actas h. l. peragit. Quamobrem de hujus l. enodatione desperarem **),

---

*) Probat *Hermanni* sententiam S. V. *Schulzius* l. c. p. 21., sed ut aposiopesin sic explere malit: a celebratis autem viris *quidnam tandem adversus me actum est?* h. e. nihil quidquam ab iis adversus me actum est. Jam *Beza* v. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι — aposiopesin habere affirmavit, sed quum οὐδὲν ἔλαβον suppleret, nullam effecit aposiopesin, sed eam cum anacolutho confudit (v. supra).

**) Absurdas nonnullorum VV. DD. de h. l. opiniones verbo tetigisse sufficit. *Kypkius* Observ. s. II, p. 275 sq. v. h. m. conjunxit: οὐδέν δέ μοι διαφέρει, ὁποῖοί ποτε (sc. οἱ παρείςακτοι ψευδάδελφοι v. 4.) ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι ἦσαν idque esse perhibuit: mea autem nihil interest, *an hi falsi sodales unquam idem senserint cum viris auctoritate florentibus!!* Nam εἶναι ἀπό τινων idem notare posse quod εἶναι ἔκ τινων *sentire cum aliquibus* (hic loquutionis *sensus* est nonnunquam, non *significatus)* declaret, formulam εἶναι ἐκ τοῦ κόσμου (i. e. ex hominum in summâ rerum div. inscitiâ constitutorum et improborum, qui τὸν κόσμον efficiunt, numero esse) Joh. XV, 19. XVII, 14. 16. antestatus contendit. Ipse tamen *Kypkius* eadem v. structurâ retentâ hanc non minus portentosam expositionem illâ potiorem duxit: mea autem nihil refert, *utrum hi irreptitii sodales et ipsi in virorum multum pollentium numero fuerint, an non* i. e. οὗτοι δὲ εἰ καὶ αὐτοὶ ἐκ τῶν δοκούντων ἦσαν (s. εὐδοκίμουν) οὐδέν μοι διαφέρει. Similes ineptias et *Bengel.* in Gnom. in medium protulit („subaudi οἱ. οἱ ἀπὸ κτλ. et construe οὐδέν μοι διαφέρει, ὁποῖοί ποτε ἦσαν [οἱ] ἀπὸ κτλ. nil mea interest, quales tandem fuerint illi [Jacobus, Petrus et Johannes] ex insignioribus.") et *Storrius* Opusc. acad. I, p. 217, quum ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι per Hebraismum pro

nisi unam viam patere viderem, ad verum, quod ne appareret mala verborum distinctio fecisse videtur, certissime ferentem. Nempe v.

οἱ δὲ δοκοῦντες εἶναί τι positum esse affirmaret. Hebraeos enim praeverbium מִן (i. q. *ἀπό*) ita ponere, ut redundet (v. *Storrii* Observ. ad anal. et synt. hebr. pertinentes p. 450.) sibi persuaserat ob l. Deut. XV, 7. כִּי־יִהְיֶה בְךָ אֶבְיוֹן מֵאַחַד אַחֶיךָ בְּאַחַד שְׁעָרֶיךָ, ubi מֵאַחַד pro אַחַד אח׳ locatum esse temere credidit. Videtur mihi hic l. ex logicâ confusione apud omnes nationes obviâ simplicissime explicari posse, quâ scriptor ipsum quoque אֶחָד praepositionis מִן regimini subjiceret (ab uno fratrum tuorum), quum unum debuisset voc. אַחֶיךָ h. m. אֶחָד מֵאַחֶיךָ *unus ex fratribus tuis* potueratque h. l. facile in illud vitium delabi parallelismi studio in fraudem inductus (מֵאַחַד אַחֶיךָ בְּאַחַד שְׁעָרֶיךָ) Vid. e N. T. Act. III, 24. *Καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς* (dicendum fuerat *καὶ οἱ καθεξῆς*) *ὅσοι ἐλάλησαν καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας*. cl. Luc. XXIV, 27., de quibus l. in censurâ libri: Annotatio in l. nonnulla N. T. edidit *W. A. van Hengel* Amstel. 1824. 8. in ephemer. Lips. 1826. N. 307. 308. typis exscriptâ disputavi. Ceterum l. Levit. IV, 2. וְעָשָׂה מֵאַחַת מֵהֵנָּה in genus, ad quod Deut. XV, 7. pertinet, male contributum est. Illic enim מִן partitivum bene comparatum est, quandoquidem *unius rei vetitae pars committi potest*, quâ factâ lata lex violetur, quod hîc secus est, ubi de homine agitur, qui aut pauper aut non pauper sit necesse est. Praeclare *Gesenius*, vir egregius, in Lex. man. hebr. et chald. p. 584. Lips. 1833. 8. ne Arabes quidem من pleonasticum nosse monuit recteque in formulâ ما من اله الا الله (v. Sur. 3, 55. 5, 77. 38, 65.) من *partitivum* locum habere perspexit: *Dei nihil est nisi Deus, von Gott giebt's nichts ausser Gott*. Eadem ratio loquutionis est ما لهم من علم (v. Sur. 18, 4.) *nihil est eis scientiae*. Sed in formulis, cujusmodi est ما جاءَ لى من احد non partitivum obtinet من sed quod *terminum a quo* declaret (Genes. VII, 23.): *non venit mihi ab uno* i. e. *si ab uno numerum iniero* i. q. *ne unus quidem*. Contra Hebraei *ne unius quidem* notionem ita passim enuntiant, ut numerum unius pro ultimo termino, ad quem perveniri possit, commemorent, Jud. IV, 16. לֹא נִשְׁאַר עַד־אֶחָד *non salvus evasit usque ad unum* i. e. ut caesorum hominum numerum, donec ad unum veneris, exsequaris, ergo *ne unus quidem*. Aliter Cic. ad Fam. X, 16. ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi *ad unum* i. e. uno excepto (Servilio). Operae pretium faciat, qui de usu praeverbii من apud Arabes, de quo *Agrellius* (de varietate generis et numeri in ll. oo. Lundae 1815. 4. p. 142 sq.) neque subtiliter et ut diversa confunderet disseruit, accurate disputet. Obiter observo, locum difficilem Gen. VII, 22. כֹּל אֲשֶׁר נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים בְּאַפָּיו מִכֹּל אֲשֶׁר בֶּחָרָבָה מֵתוּ, de quo S. V. *Gesenius* l. c. dixit, mihi sic explanandum videri: *omnia vitali spiritu*

ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι praecedentem periodum v. 3 sq. ita concludunt, ut postquam vocabula v. 4. *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους κ. τ. λ. quos homines intuitus et quidnam sequutus* Titus Paulo et Barnaba auctoribus se ut circumcideretur cogi non passus sit, explanaverint, verbis v. 6. *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι a quibus viris* Titus Pauli et Barnabae auctoritate tectus ut circumsecaretur perpelli se non siverit declaretur. Hanc interpretationem duplicis, quâ v. 3. illustratur, expositionis tum similitudo (v. 4. *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους* —. v. 6. *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι.*) tum vel congruentia vel necessitas magnopere commendat. Aptissime enim P., postquam *propter quos homines* Titus quod postularetur detrectasset perscripsit, a *quibus hominibus* iniqua res postularetur diserte adjunxerit. Adde quod hâc explicatione admissâ et ponderosum *ἐμοί* et *γάρ* universalem sententiam *πρόςωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει* ad Pauli conditionem accommodans idoneam rationem habet. Totus igitur l. ita comparatus est: *At ne Titus quidem — circumcisionem sibi injungi passus est* (v. 3.): *propter irreptitios autem* (nempe) *et falsos sodales* [se circumcidi non passus est] *quippe qui* —— (v. 4.), *quibus — ut* — (v. 5.), *a viris autem* (nempe), *qui auctoritate valerent* [circumcisionis necessitatem sibi imponi non sivit] *). *Quantumcunque iis hominum opinio tribuerit*

---

praedita ex omni animantium genere quod in terra erat (v. v. 21.) *exspirarunt.*

*) *Winerus* Gr. p. 493. ed. 4. duobus argumentis meam interpretationem impugnavit. Scilicet male me v. 4. post v. *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους* e vs. 3. *οὐκ ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι* cogitando repetiisse perhibuit. Nam Paulum aut *imperitum* scriptorem fuisse, aut non nisi *primorum periodi verborum oblitum* illa vocabula omittere potuisse. At non minus perite Ap. h. l. ita scripsit, ut eum scripsisse affirmavi, quam Rom. III, 21. 22. sic loquutus est: *Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, δικαιοσύνη δὲ θεοῦ* (scil. *πεφανέρωται*) *διὰ πίστεως Ἰ. Χρ. κτλ.* Quamquam ad tironum captum descendimus, quum in hujusmodi locis primaria verba ex antegressis *mente repetenda* esse contendimus. Sunt potius verba explicationis causa per *δέ* adjecta ab enuntiationis verbo iisque quae cum eo connexa sunt vocabulis suspensa. Deinde parum concinnam et elegantem hanc esse orationem *Winerus* dixit: *Aber nicht einmal Titus — — liess sich zur Beschneidung zwingen. Wegen der eingeschlichenen falschen Brüder aber* [?] *liess er sich nicht (zur Beschneidung) zwingen.* Nempe V. D. meam sententiam non percepit. Neque enim

nihil mea refert. Decora Deus hominis non admiratur (id quod ipse cognovi). *Ad me enim viri auctoritate insignes nihil quod discerem pertulerunt* (v. 6.), *quin potius* etc. Ut ἀπό pro ὑπό positum existimemus non opus est, dummodo postulationem, quâ Titus urgeretur, ab Apostolis profectam esse, qui ne legis mos. fautores laederentur, caverent (v. Comment. I. p. 180. et *Kruigerum* ad Xen. Anab. p. 347 sq.), sed cognitâ illorum voluntate Christianos potissimum Mosi emancipatos (Act. XXI, 20.) Tito ut circumcideretur institisse (v. *Herm.* ad Soph. Oed. C. v. 1531.) statuerimus. Nunc P. v. 7 — 9., quidnam contra factum sit exsequitur (*ἀλλὰ τοὐναντίον — — δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα —.*). Tantum enim abfuisse, ut ab Apostolis edoctus fuerit, ut et ipsum et Barnabam societate initâ gentilium magistros illi constituerint. *ἰδόντες*] *quum perspexissent*, non, opinor, ex rerum a Paulo prospere gestarum narratione (v. *Win.* et *Usterium*). Nam et aliam expositionem commendat parenthesis v. 8., quâ v. 7. ex-

---

vs. 3. post *περιτμηθῆναι* plene interpunxi; sed aut colon figendum aut virgulam collocandam esse monui. Deinde inepte vertendo voculam *δέ* v. 4. effecit, ut mea interpretatio inepta videretur. Sic ille hunc l. convertere debuerat: *Ja nicht einmal Titus — — liess sich zur Beschneidung zwingen, und zwar aus Rücksicht auf die eingeschlichenen falschen Brüder — — — ich meine von Seiten der in hohem Ansehn stehenden Männer.* Obstinate autem *Winerus* suam opinionem defendit, quod non fecisset si quae a me disputata sunt expendisset. Pauca igitur adjiciam. In locum, in quo nullum sit concitati animi vestigium, duo quae se proxime excipiant anacolutha temere inferas. Et prius quidem, quod V. D. vs. 4. et 5. excogitavit, vel propterea fictitium est, quod v. v. 5. *οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ* primaria periodi vocabula esse nequeunt. Nam ea addita esse, ut vocc: *ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς* subnecterentur aut ut praecedentium v. invitatu *consilium* quod Titus et Paulus, quum Apostolis obniterentur, sequuti essent *obiter* enuntiaretur manifestum est. Alterum autem anacoluthon, quod *Win.* vs. 6. quaesivit, propterea admitti non posse, quod P. non *οἱ γὰρ δοκοῦντες οὐδέν μοι προσανέθεντο* scripserit supra vidimus. (Xen. Anab. 6, 4, 15. *Ἐγὼ μὲν οὖν — καὶ γὰρ ἀκούω Δέξιππον λέγειν πρὸς Κλέανδρον ὡς κτλ — ἐγὼ οὖν ἀπολύω καὶ ὑμᾶς τῆς αἰτίας καὶ Ἀγασίαν —.*) Verba ab Apostolo collocata *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες* etc. ad vocabula parenthetica *ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει* quibus firmamento sint referuntur. Nullum igitur illis cum verbis *ἀπὸ δὲ δοκούντων εἶναί τι* commercium esse potest. Ceterum quo jure *Winerus* suam vs. 6. enodationem cum summi *Hermanni* interpretatione *sensu* congruere dixerit p. 492, ipse viderit.

plicatur, et quum illud ipsum v. v. 9. *καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι* dicatur, tautologia isto pacto in hunc l. infertur. Imo doctrinae christ. gentilibus tradendae Paulo negotium datum esse divinitus Apostoli ex eo intellexerunt, quod eum tum tempus et studium in paganis ad Christi disciplinam perducendis, velut Tarsi et Antiochiae (v. Act. IX, 30. XI, 19 — 26. cl. XV, 23.) consumsisse audiverunt (v. v. 8.), tum prae ceteris idoneum esse ad gentilium animos pertractandos ex ejus sermonibus cognoverunt. *πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον*] *concreditum mihi est evangelium.* Vide de hâc verbi structurâ in vulgus notâ Rom. III, 2. 1 Cor. IX, 17. Herodian. 7, 3, 3. | F. G. 19* 46** *ὅτι πεπίστευταί μοι τὸ εὐαγγέλιον* e manifesto glossem. | *Τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας* (i. q. *τῶν ἀκροβύστων* Rom III, 30.), *τὸ εὐαγγέλιον τῆς περιτομῆς* (i. q. *τῶν περιτμηθέντων* Rom. IV, 9.) *das Heiden-, das Juden-Evangelium* i. e. *evangelium paganis aut Judaeis tradendum,* quod qui concreditum habet, ei doctrinam christ. gentilibus aut Judaeis impertiendi provincia evenit. Quare ex aliâ evangelii formulâ gentiles, ex aliâ Judaeos tum institutos fuisse male ex illis v. colligas. *τῆς ἀκροβυστίας*] Pronuntiarunt Alexandrini *τὴν βύστην*, quam Graeci dixerunt *τὴν πόσθην*. Hinc etiam *τὴν ἀκροβυστίαν* vocarunt *τὴν ἀκροποσθίαν* i. e. *τὸ ἄκρον τοῦ αἰδοίου*, *praeputium*, feceruntque formas *ὁ ἀκρόβυστος* (LXX Jos. V, 7.) et *ἀκροβυστεῖν* (Aqu. Levit. XIX, 23.), in quarum l. Graeci *ὁ ἀκρόποσθος* et *ἀκροποσθεῖν* substituissent. VV. DD., qui Etymol. 53, 47. sequuti *ὁ ἀκρόβυστος* e vocc. *τὸ ἄκρον* et *βύω* quod *tegere* significare finxerunt (*ὁ ἀκρόβυστος vir in extremitate tectus, ἡ ἀκροβυστία talis viri conditio*), derivarunt, originatio falsa est (cf. Comment. m. in ep. ad Rom. p. 136.). Vir, cui Judaeorum ad Christi disciplinam adducendorum munus prae ceteris obtigerit, *Petrus* h. l. commemoratur. Hic enim Apostolus, quem primum omnium atque ita ut ducem se et antesignanum ceteris praeberet Christi causam fortissimis et dictis et factis Hierosolymis tuitum esse constat (Act. II, 14 sq. 38. III, 6, 12 sq. IV, 8. V, 3 sq. 29 sq.), Judaeis ad Christi sacra traducendis praeclarissime meritus erat (Act. II, 41.) novaeque disciplinae columen exstiterat, sicut Christus ominatus fuerat (Matth. XVI, 18.). Sequitur parenthesis v. 8. eam ob causam adjecta, ut quî factum esset, ut Paulo gentilium institutio committeretur, quemadmodum Judaeorum Petro demandata esset appareret. Ratio haec affertur, quod qui Deus in Petrum div. legati, quod Judaeos complecteretur,

munus pro suâ potentiâ contulerit, eidem paganis Pauli fidei commissis quantum posset manifestare placuerit. *Grotius* Dativos *Πέτρῳ* et *κἀμοί* a praepositione verbi suspendi putavit, eo, nisi fallor, motus, quod alias ἐνεργεῖν τι ἔν τινι struitur (1 Cor. XII, 6. Gal. III, 5.). Sed quum praepositio ἐν in ἐνεργεῖν delitescat (nam valet ἐνεργεῖν i. q. ἐνεργὸν εἶναι cf. ἀργός, ἀργεῖν), non sui juris sit (non enim ἐνεργεῖν ex ἐν et ἐργεῖν, verbo plane nullo, conflatum est), *Grotio* tum demum assentiar, quum Graecos ἐνεργός τινι pro ἐνεργὸς ἔν τινι dixisse aliquis docuerit. Nunc illos Dativos *commodi* esse arbitror ἐνεργεῖν τινί i. q. ἐνεργὸν εἶναί τινι *potentem esse alicui* i. e. *potentem se alicui exhibere.* Conferre hîc solent Prov. XXXI (XXIX), 12. ἐνεργεῖ γὰρ τῷ ἀνδρὶ ἀγαθὸν (sic cum *Breitingero* utique scribendum est) καὶ οὐ κακὸν πάντα τὸν βίον. *conficit enim (promta mulier) viro quae prosint, non obsint, dum ipsa vivat,* locum nostro dissimilem. εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς] Haec concise dicta sunt pro εἰς τὸ λαβεῖν αὐτὸν (Rom. I, 5. s. δοῦναι αὐτῷ 2 Cor. V, 18.) ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς *ita ut acciperet* (s. *ei daret*) *Apostoli qui Judaeos erudiret munus.* Insignitior etiam breviloquentia verbis ἐνήργησε κἀμοὶ εἰς τὰ ἔθνη inest. Nam quum scribi potuisset aut ἐνήργησε κἀμοὶ εἰς ἀποστολὴν τῶν ἐθνῶν (i. e. εἰς τὸ λαβεῖν με [s. δοῦναί μοι] ἀποστολὴν τῶν ἐθνῶν), aut ἐνήργησε κἀμοὶ εἰς τῶν ἐθνῶν (sc. ἀποστολήν), quorum illud ob ejusdem vocabuli (εἰς ἀποστολήν) iterationem putidum, hoc latinum potius quam graecum fuisset, Paulus plane de Graecorum usu, qui *latissime* patet, rationem rei (εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς) non quidem cum alius rei ratione (εἰς ἀποστολὴν τῶν ἐθνῶν), sed cum *totâ aliâ re* (εἰς τὰ ἔθνη) contendit. Cf. Conject. m. I, p. 1 sq. et not. ad Matth. p. 221. Adde Aristoph. Nub. v. 30. ἀτὰρ τί χρέος ἔβα με μετὰ τὸν Πασίαν (i. e. μετὰ τὸ τοῦ Πασίου χρέος); Lucian. de salt. c. 78. Ἡροδότῳ μὲν οὖν τὰ δι' ὀμμάτων φαινόμενα πιστότερα εἶναι τῶν ὤτων (h. e. τῶν δι' ὤτων) δοκεῖ. Plutarch. Pericles c. 7. — οὕτω δὴ φέρων ὁ Περικλῆς τῷ δήμῳ προςένειμεν ἑαυτὸν ἀντὶ τῶν πλουσίων καὶ ὀλίγων τὰ τῶν πολλῶν καὶ πενήτων ἑλόμενος παρὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν ἥκιστα δημοτικὴν οὖσαν κ. τ. λ. (ubi v. *Schaefer.*) Numa c. 14. Ἦν δὲ καὶ τῶν ἄλλων παραγγελμάτων αὐτοῦ πολλὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς ἐοικότα. Liv. 2, 13. — *supra Coclites Muciosque dicere id facinus esse* —. καὶ ἐμοὶ] *Lachm.* ex A. C. D.* F. 31. 37. 78. 39. 47. Mt. f. κἀμοί, quam crasin ex

idoneis libris haustam in N. T. recipiendam esse aliquoties dixi. Totum vs. sic convertam: *nam qui potentem se praebuit Petro, ut Apostoli quod Judaeos complecteretur munus obiret, mihi quoque, ut gentiles complecterer, potentem se exhibuit.* Dicitur autem ὁ ἐνεργήσας non Christus, ut S. V. *Paulus* locis Act. IX, 15. 16. XXII, 17 — 21. motus putavit, sed Deus. Nam praeterquam quod 1 Cor. XII, 6. Phil. II, 13. Deo hoc tribuitur, ut in Christianorum animis vim suam et efficacitatem exerceat, Apostoli munus in Paulum collatum est *a Deo* (Rom XV, 15. Gal. I, 15. Ephes. III, 2. 7.) *Christo interprete* (Act. IX, 5. Rom. I, 5. XV, 18. Gal. I, 1.), cui sententiae 1 Tim. I, 12. minime repugnat. Cf. Comment. m. in ep. ad Rom. p. 15. V. 9. *Beneficium Paulo divinitus concessum* simul ad Apostoli munus, quod Dei benevolentiae deberet (Rom. I, 5.), simul ad dexteritatem, quam ad illud munus rite obeundum Deus benigne ei largiretur (1 Cor. XV, 10.) et ad prosperos successus quos ei, quum munere suo fungeretur Deus benevole daret (Act. XI, 23.) referunt *Usterius* et *Schottus.* Male. Bis enim P. idem diceret, qui Apostoli munus divinitus sibi demandatum jam v. 7. et 8. memoravit. Quin favoris div. documentum Paulo datum felici laboris successu absolvitur (v. *Kopp.* et *Winer.*). Quamobrem Apostoli ut societatem cum P. conjungerent duabus rebus adducti sunt: unâ, quod Paulum gentilium Apostolum divinitus constitutum esse ex eo perspexerant, quod virum ad eam rem peridoneum paganis Christi doctrinam exposuisse audiverant (v. 7. cl. v. 8.): alterâ, quod Deum suis rebus adfuisse, ut cum fructu gentiles edoceret, a P. cognoverant (v. 9.). Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης] Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης D. E. F. G. It., Theodoret., Nyss., Tert., Ambr., Hier., Ambrosiast. al. Qui v. ordo *Bengelio* et *Griesbachio* non displicuit. | Κηφᾶς καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης Chrys. | Om. v. καὶ Κηφᾶς A. probante *Grotio* et vocc. Ἰάκωβος καὶ auctor de promiss. p. 2. c. 2. col. 126. b. Aut vulgatum v. ordinem retinendum esse aut hunc Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης suscipiendum in promtu est. Nam quum de eo dubitatum esset, quo loco Petri et Jacobi nomina recte ponerentur et alii scribae Jacobo alii Petro primum locum concessissent, hoc librorum dissidium fecit, ut alterutrius viri nomen, quod aliunde irrepsisse videretur, postmodo a nonnullis omitteretur. Est autem vulgata scriptura mordicus tenenda. Nempe ut Petrum primo l. collocarent vel locis librarii moti sunt, in quibus Petrus Jacobo et Johanni

praeponitur (Matth. XVII, 1. Marc. IX, 2. XIV, 33.), vel superstitione abrepti, quum summum Christi Apostolum secundum numerari absurdum esse putassent. Sed Petrum plerique quam Cepham (1 Cor. I, 12. III, 22.) Apostolum h. l. appellatum maluerunt propterea, ne commentum corrueret multis antiquitus probatum, Cepham nescio quem, non Petrum Apostolum Antiochiae v. 11. 14. a P. increpitum esse (v. *Borger.* et *Win.* ad. v. 11. et varr. lect. v. 11. 14.), quod credibile videri nemini potuisset, si paullo ante quam de ignobili isto Cepha ageretur *Petrus* vocatus esset Cephas. Posuit autem P. Jacobum, Jesu fratrem (I, 19.) primo l., quod coetus hierosolymitani praeses esset gratiâ et auctoritate florentissimus (v. *West.* ad h. l. et S. V. *Neander* in l. *Gesch. d. Apost. Zeitalters* I, p. 146.). *οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι*] *qui rei christ. columina esse censentur, welche für die Pfeiler der Christen gelten.* Pervulgatâ metaphorâ *rei columen* vocatur qui ita rem fulcit, ut absque eo collaberetur. V. Eur. Iph. T. v. 57. Horat. Od. 1, 35, 13. Terent. Phorm. II, 1, 57. Liv. 6, 37. 38, 51. unum hominem *caput columenque* imperii romani esse. Jalkut Rubeni f. 29, 1., ubi Abrahamus עמוד העולם dicitur, et *Wetst.* et *Schoettgen.* ad h. l. *) Paulo quum Apostolos rei christ. columnas appellaret allegoriam obversatam esse, quâ Christianorum coetus templo assimilatur, cujus lapis angularis Christus sit, fundamentum Apostoli, ceteri lapides homines christ. Eph. II, 19 sq. (cf. *Usterium*), non credo. Neque enim eo quod quis rei columen nuncupatur ut rem cujus ille sit columen *aedificium* animo repraesentemus cogimur, sed audito columine nihil nisi notio *hominis, qui rem contineat ac sustentet*, ne prolabatur, dissipetur, intereat, in animis nostris inhaerere solet, sicut in portu nihil nisi *perfugium* cogitatur v. Cic. ad Fam. 5, 15, 3. Ne illud quidem praestiterim, eo P. h. l. in illam metaphoram incidisse, quod Christianorum coetum cum aedificio s. templo comparare soleret v. 1 Cor. III, 16. Eph. II, 21. cl. 1 Petr. II, 5. (cf. *Winer.* et *Schott.*). Pervagata est enim haec metaphora atque ejusmodi, ut cuivis se facile offerat. *δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα* —] Dextra porrigitur et cui amor significatur (Aristoph. Nub. v. 81.) et cui fides datur

---

*) Saepe Apostoli et praecellentes magistri christ. *στῦλοι καὶ ἑδραιώματα τοῦ κυρίου, τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, τῆς ἀληθείας, θρησκείας στηρίγματα* et similibus v. a PP. eccles. ita vocantur, ut loci 1 Tim. III, 15. ratio habeatur. Cf. *Wetst.* ad h. l. et *Suicer.* Thes. eccles. II. p. 1045 sq.

(Joseph. A. J. 18, 9, 3. — βασιλεὺς Ἀρτάβανος — ἀπέστειλέ με δεξιάν τε καὶ πίστιν δώσοντα ὑμῖν —. Diod. Sic. 16, 43. δεξιὰν λαμβάνειν dextram fidei pignus accipere. *) Virg. Aen. IV, v. 597. En dextra fidesque —.) Vocc. δεξιὰς κοινωνίας nonnullis v. interjectis ita dirimenda erant, ut κοινωνίας ante ἵνα collocaretur, quia initi pacti rationem verbis ἵνα et sq. definire P. statuerat. Δεξιαὶ κοινωνίας dextrae sunt, quibus datis facta societas significetur, sicut 1 Petr. V, 14. φίλημα ἀγάπης osculum dicitur quo amor declaretur. Articulum τὰς δεξιὰς τῆς κοινωνίας non desiderabit, qui δεξιὰς κοινωνίας *dextras sociales* i. e. dextras ejusmodi, quibus societas conflatur valere reputaverit. Etenim nisi P. societatis conjunctionem lectorum oculis subjicere maluisset simpliciter ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίαν (non τὴν κοινωνίαν) ἐποιήσαντο, ἵνα — scripsisset. ἵνα ἡμεῖς εἰς] *Griesb.*, *Knapp.* al. ἵνα ἡμεῖς μὲν εἰς ex A. C. D. gr. E. 23. 31. 47. 57. 74. 108 al., quos ut sequi nolimus nulla causa est. ἵνα — εἰς τὴν περιτομήν] Recte omittitur verbum, quod suppressum esse e contextâ oratione lector facile intelligat, tum per animi concitationem, ut aposiopesis locum habeat (v. Soph. El. v. 361. μηδὲν πρὸς ὀργήν, πρὸς θεῶν· et not. ad Matth. XXVI, 5. Marc. XIV, 2.), tum per negligentiam in populari maxime sermone (v. Rom. IV, 16., ubi cf. not. Gal. V, 13., Servius ap. Cic. ad Fam. IV, 12. — qui haec nuntiaret et rogaret, *uti medicos* [sc. cogerem]. Coëgi etc., ubi v. *Orellius*. Cic. ad Att. 5, 10, 2. Adhuc sumptus nec in me aut publice aut privatim nec in quemquam comitum.), ut h. l., ubi tum ἀποσταλῶμεν et ἀποσταλῶσι (v. 8. Act. XXII, 21.), tum πορευθῶμεν et πορευθῶσι s. στραφῶμεν et στραφῶσι (Act. XIII, 46. XVIII, 6.) mente adjicere licet: dextras porrexerunt mihi et Barnabae, quibus pacisceremur, ut ego et Barnabas ad gentiles, ipsi vero ad judaeos (sc. ablegarentur s. converterentur). Quia et Petrus paganis doctrinam div. passim impertivit (Act. c. X. XI.) et Paulus, Judaeorum non minus quam gentilium magister a Christo declaratus (Act. IX, 15.), ubi Judaei et pagani mixti viverent hos non prius doctor adire solitus est, quam ab illis repulsam tulisset (Act. XIII, 46. XVII, 1 sq. 10. XVIII, 6. XIX, 8 sq.), *Grot.*, *Jasp.*, *Usterius*, *Schottus* al. ita inter Apostolos tum convenisse, ut Petrus *praecipue* Judaeos, Paulus *gentiles maxime*

---

*) In l. 1 Macc. XI, 50. Δὸς ἡμῖν δεξιάς cl. v. 62. XIII, 45. 50. mirus videatur Pluralis δεξιάς, qui aut ratione destitutus est aut idcirco locatus, quod ibi *plures* homines unius viri dextram appetunt.

sibi instituendos sumeret neque aliam ob rem Paulum se gentilium Apostolum vocare (Rom. XI, 13. Eph. III, 8.), quam quod in iis erudiendis *potissimum* elaboraret arbitrati sunt. Imo Apostolos pactos esse, ut Jacobus, Petrus et Johannes tum quidem Judaeos provinciam haberent h. e. in *Judaeâ* subsisterent, Paulus contra et Barnabas illo tempore gentiles provinciam acciperent i. e. *ad exteros* proficiscerentur, quorum plerique essent gentiles, e. v. v. 10. *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* elucet, quum ibi οἱ πτωχοί pauperes sint *palaestini* et maxime *hierosolymarii* Rom. XV, 26. 27. (cf. etiam Act. XIII, 2.). Quod si concesseris, quum cetera quae illi interpretes recte monuerunt perspicua sunt, tum quî factum sit, ut Paulus in iis locis, in quibus et Judaei et pagani degerent, illos priores adiret, quibus Deum salutem per Christum prae ceteris paravisse Rom. I, 16. (ubi v. not. p. 44.) II, 10. ipse confessus est, apparet. v. 10. *Schmidius* apud *Wolfium* post μόνον cogitando addit *ὑπέθεντο τοῦτο hoc tantum dederunt consilii, ut* —. *Borgerus* autem, *Kopp.*, *Win.*, *Usterius*, *Schott.* supplent *αἰτοῦντες* s. *παρακαλοῦντες* — *hoc tantum rogantes, ut* —. Nihil vero mente adjiciendum est, quum notio ab illis VV. DD. desiderata ipsis v. *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* contineatur, quae sicut praecedentes voces *ἵνα ἡμεῖς μὲν εἰς τὰ ἔθνη*, quas limitant, a vocc. *δεξιὰς ἔδωκαν ἐ. κ. Β. κοινωνίας* reguntur: pepigerunt nobiscum, ut ad gentiles magistri proficisceremur, *tantum ut egenis in Judaeâ Christianis prospiceremus, nur der Armen sollten wir eingedenk sein.* (Male D. E. F. G. *μόνον ἵνα τῶν πτωχῶν* —. Nam praeposita sunt v. *τῶν πτωχῶν* voci *ἵνα*, ut vocc., quae praecipuam vim habeant; v. 2 Thess. II, 7. — *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται*·) Haec igitur pactio facta est, ut P. et Barnabas ad exteros magistri abirent Palaestinos nihil ad se pertinere arbitrati, nisi ut *egenos in Judaeâ Christianos* exterorum Christianorum liberalitate *sustentarent*. Differt *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* ab Eph. V, 33. *ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα*· eo, quod haec formula sui juris est, illa ex praecedente constructione apta. Hominis qui auxilio indigeat meminisse (cf. זָכַר Ps. VIII, 5.) est ejus curam agere. Antecedens positum est pro eo quod consequitur. Fuisse Christianos hierosolymarios admodum pauperes non mirum est. Nam et Judaeorum vexationibus, quorum alibi vel non tantus fuit in Christianos furor vel loci certe in eos saeviendi minus, eorum opes accisae erant (1 Thess. II, 14.), et suae gentis calamitatibus et ipsi afflictati erant, et auxerant eorum inopiam venditio praediorum

bonaque inter omnes communicata (Act. II, 44 sq. IV, 34. 35.), hospitalia jura permultis, qui Hierosolyma venissent, Christianis praebenda, postremo rei familiaris incuria ex eo orta, quod quum Christum propediem de coelo rediturum esse vulgo putarent (1 Thess. V, 2. 2 Thess. II, 1 sq. 1 Cor. X, 11.) fragiles opes mire contemnerent (v. *Calvinum* et *Usterium*). ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι] Dissimilis est hic l. loco Apoc. VII, 2. οἷς ἐδόθη αὐτοῖς —. et finitimis (v. ad Marc. p. 14. et 572.) superadjecto τοῦτο, quod qui aut per hebraismum redundare credunt (v. *Grot.*), aut ut glossema inducunt (v. *Beza*) audiendi non sunt. Quin v. αὐτὸ τοῦτο Pronomen ὃ per epexegesin illustrant: *quod* etiam *ipsum hoc* (de quo inter nos convenisset) facere sedulo studui. *) Nam ὃ *quare (hinc* etiam sedulo studui id ipsum facere) explicare nolim, quia ὃ ut sit i. q. δι' ὃ usurpare solent *poëtae* (v. *Herm.* ad Vig. p. 726. et *Matthiä ausf. gr. Gr.* p. 843.). Multo minus ei accedam, si quis contortum loquendi genus aucupatus distinxerit ὃ καὶ ἐσπούδασα, αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι, ut vocc. αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι verborum ὃ καὶ ἐσπούδασα epexegesin contineant: *quod etiam studio meo complexus sum* (cf. σπουδάζειν τι Xen. Cyr. 6, 1, 25.), *ut id ipsum nempe facerem.* Sed temere *Er. Schmidius* et *Wolfius* ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι explanarunt: *sed hoc jam antea semper studiose feci, ut illâ admonitione opus non fuisset. Ita plane nihil doctrinae meae contulerunt.* Nam officit iis tum Aoristus, cujus loco, quum in rerum Hierosolymis gestarum narratione v. 6. sq. positus esset, ut Plusquamperfectum collocaretur, perspicuitatis lex flagitavit, tum Pronomen relativum, pro quo demonstrativum Pronomen cum particulâ adversativâ merito exspectaras, tum καί, quod ὃ καὶ — ποιῆσαι ad initum cum Apostolis pactum, non ad v. 6., referri ostendit. P., opinor, scripsisset: ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἤδη ἐσπουδάκειν ποιῆσαι. ἐσπούδασα] *Winer:* „Singulari ἐσπούδασα utitur, quod Barnabas paullo post ab eo recessit." (Act. XV, 39.). Quid, si P. propterea nullam Barnabae mentionem injecit, quod quo l. *suarum* rerum rationem Galatis dare decreverat (I, 12—24. II, 2. 6 sq. 11.), ut non nisi tum quum res postulasset Barnabam et Titum commemoraret (II, 1. 3. 5. 9. 13.), *se* pactum relligiose servasse dicere ei satis

*) Non recte *Studerus* apud *Usterium* exponit: quod etiam *ipsum hoc* (at nihil ultra, quod mihi Apostoli injunxissent) ut facerem operam dedi. Nam P. hoc dicere: se id ipsum, quod facere pollicitus esset, diligenter obeundo *in pacto mansisse* vel καί docet.

visum esset? Ceterum *bis* Paulum pecunias ad sublevandos pauperes collectas Hierosolyma pertulisse, semel quum secundum eo iter fecisset (Act. XI, 29. 30.), iterum, quum postremum eo venisset (v. Act. XXI, 17. sq. XXIV, 17. cf. 1 Cor. XVI, 1. 2 Cor. c. VIII. et IX. Rom. XV, 27.) Lucas in Actis memoriae prodidit. Sed quum is res quas vel ipse accurate cognovisset vel ab aliis acceptas gravissimas judicasset in breve coegerit potius, quam omnes res quas Apostoli gessissent accurate persequutus sit, fieri sane potest, ut pecunias, quibus pauperes in Judaeâ Christiani sustentarentur, apud exteros coactas identidem Hierosolyma miserit.

Priusquam de aliis hujus epistolae l. disputare instituam, *quodnam P. v. 1. iter dixerit post quattuordecim annos rursus Hierosolyma factum* mihi explanandum est. Quam quidem rem ab innumerabilibus VV. DD. *) in disquisitionem vocatam non ita nunc tractabo, ut ubi quae quibus placuerint rettulero tum quae falsa visa fuerint omnia refellam tum quod verum esse cognovero infirmis passim argumentis munitum esse doceam (neque enim talem disputationem hujus l. angustiae caperent), sed ut utra earum opinionum, quarum alterutram utique optandam esse plerique VV. DD. recte intellexerunt, vera sit idoneis rationibus ostendam. Nam aut *tertii* **) itineris, quod P. Christianus factus Hierosolyma suscepit Act. XV, 2 sq. aut *secundi* ***), quod eodem fecit Act. XI, 30. XII, 25., mentionem v. 1. injici inter VV. DD. tantum non omnes †)

---

*) Satis multorum et nomina et scripta *Winerus* Exc. II. p. 151. rettulit et *Schottus* Comment. p. 302 sq.

**) De hoc itinere major interpretum pars Paulum l. c. agere putarunt, nuper *Winerus*, *Usterius*, *Matthiesius*, *Schottus*.

***) Hoc iter a Paulo l. l. dici praeter *Calvinum* quosque *Win.* p. 151, et *Schott.* l. c. p. 302. nominarunt nuper defendit *Boehlius* (*Ueber die Zeit der Abfassung u. den Paul. Charakter d. Briefe an Timotheus u. Titus* p. 106 sq. *Berl.* 1829. 8.) et *Paulus* (*Des Ap. P. Lehrbr. an die Galater- u. Römer-Christen* p. 33 sq. *Heidelb.* 1831. 8.)

†) *Utrumque* iter ab Ap. v. 1. comprehendi peculiaris est *Schotti* opinio, quae *novâ* quidem, sed falsâ v. 1. interpretatione nititur: *tum intra quattuordecim annorum spatium iterum Hierosolyma veni cum Barnaba quidem* (Act. XI, 30.), *postea etiam Tito comite assumto eo veni* (Act. XV, 2.) Cf. *Schotti Erörterung u. s. w.* p. 20 sq. et Comment. p. 308. Nam et *διά* V. D. parum recte explicuit (v. Comment. I. p. 163.) neque possunt v. *συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον* alio nisi ad vocc. *πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρνάβα* referri h. s.: *iterum Hierosolyma profectus sum cum Barnaba assumto etiam*

convenit. Hanc sententiam unice veram, illam procul dubio falsam esse arbitror. Nam I. praeterisse P. v. 1. *secundum* iter hierosolymitanum recteque id eum fecisse temere perhibent. Docet enim disputationis tenor, illud Apostolum iter referre voluisse, quod primum illuc suscepto (Gal. I, 18.) proximum esset (v. Comment. I, p. 165 sq.). Quocirca ut v. 1. de *tertio* itinere exponi jure credatur, *secundum* iter Act. XI, 30. Lucae errore niti contendere debeas (v. *de Wettii Lehrb. d. hist. krit. Einl. u s. w.* T. II. p. 216. ed. 2.), quo commento nodus scinditur, non expeditur. II. Res Hierosolymis tum gestae, quum P. tertium eo venisset Act. c. 15., toto coelo ab iis differunt, quae ibi acta Ap. h. l. narrat. Nihil praesidii, quo alterutra sententia firmetur, e. v. v. 2. *ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν* peti posse Comment. I. p. 169 sq. concessi. Sed missi sunt P. et Barnabas ab Antiochenis ad Apostolos et presbyteros, ut controversiam de circumcisione paganis ut beatâ vitâ potirentur utique suscipiendâ obortam iis dirimendam proponerent (Act. XV, 2.); quod quum fecissent ultro Petrus (Act. XV, 7 sq.) et Jacobus (Act. XV, 13 sq.) gentilium causam egerunt, quum eos exceptis paucis Mosis praeceptis, ne Christiani ex Judaeis offenderentur, relligiose observandis caerimoniarum mos. mole onerandos esse negarent. Quorum sententiae ut pondus adderetur quam propitium, quum doctrinam christ. gentilibus traderent Deum experti essent P. et Barnabas exposuerunt Act. XV, 12. Horum nihil legitur Gal. II, 1 — 10. Quin plane diversa res ibi memoriae proditur et quae loco Act. c. XV. etiam repugnet. Proposuisse se P. ait doctrinae christ. formam, quam inter paganos sequi soleret tum publice Christianis hieros., tum privatim Apostolis, ut utrum verum teneret an errore duceretur cognosceret (v. 2.). Se vero pulcherrime stetissi adjicit. Neque enim Titum suâ et Barnabae auctoritate munitum ad subeundam circumcisionem ab Apostolis adactum esse, neque sibi Apostolos magistros exstitisse, qui potius ad exteros se legarint cum Barnaba dextris datis collegam declaratum (v. 5 sq.). Sinistre profecto Gal. II, 2. cum Act. XV, 4. 12.

Tito i. q. ita ut *praeter Barnabam Titum quoque* socium mihi adjungerem. Hujus nobis explicationis et recte cogitandi loquendique leges necessitatem imponunt et verbum decompositum *συμπαραλαβών* et particula *καί*, quibus Barnabae, alteri itineris comiti, Titus insuper adjungitur. Paulo illa sententia concipienda fuisset verbis hujusmodi: *ἔπειτα διὰ τούτων τῶν δεκατεσσάρων ἐτῶν πρῶτον μὲν μετὰ Βαρνάβα εἰς Ἱεροσόλυμα ἀνέβην, εἶτα δὲ καὶ Τίτον συμπαραλαβών.*

VV. DD. contulerunt. Hîc enim quam propitium numen habuerit in doctrinâ christ. paganis exponendâ P. refert; illic doctrinae formam, quam inter gentiles sequi consueverit, publice Christianis hierosol., privatim Apostolis se proposuisse affirmat. Qui τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους Gal. II, 4. memoratos in l. Act. XV, 1. 5. deprehendere sibi visi sunt, parum recte Gal. II, 4 explanaverunt (v. Comment. I, p. 192 sq.). Quidnam similitudinis inter Gal. II, 3. et Act. XV, 10. 28. intercedat, parum sane perspicio; sed recte Gal. II, 2. τοῖς δοκοῦσι cum Act. XV, 2. πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους contenderetur, nisi οἱ δοκοῦντες Gal. II, 2. essent *Apostoli* (v. v. 6. 9.). Quare in *Wineri* (p. 159 sq.) tabulâ unus rellinquitur l. Act. XV, 2. (— ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν. cf. Gal. II, 1. — ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρνάβα συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον), qui opinioni quam evertere conor magis favere videatur. At videntur v. ἐξ αὐτῶν non ad Antiochenos aut Pauli amicos, sed ad eos spectare, quibuscum P. et Barnabas concertarent. Consentaneum est enim, utramque Christianorum qui inter se dissiderent partem suos quosdam, qui suam causam apud Apostolos agerent, legatos mittendos curasse. Sed etiamsi τινὲς ἄλλοι ἐξ αὐτῶν Pauli amici dicerentur, nihil eâ re efficeretur. Licebat enim Lucae Act. XI, 30. *Titum* quoque Paulo in *secundo* itinere comitem fuisse silentio praetermittere. Scilicet ipse P. eam rem tacuisset, nisi ob v. 3 sq. commemoranda fuisset. Quae quum ita sint, vel tum quum rem Gal. II, 1 — 10. narratam quo tempore P. *tertium* Hierosolymis versaretur accidisse demonstrari posset, eam ab re Act. c. XV. expositâ plane diversam esse neque hunc l. illi lucem affundere sobrium interpretem confiteri oporteret. Sed non gesta est res, quam P. Gal. c. II. persequutus est, eo tempore, in quod Act. capitis XV. argumentum incidit. Alioquin enim Apostoli suam sententiam ipsi oppugnassent vix latam. Quippe Gal. II, 3 sq. ut Titus se circumcidi patiatur magnâ vi tendunt; contra Act. XV, 7 sq. 14 sq. sponte suâ in contrarium nituntur, ne pagani circumcisione judaicâ praegraventur. Et si tanta fuisset Apostolorum inconstantia, P. sic Gal. II, 3 sq. disputasset: egregiam vero Hierosolymis victoriam reportavi; nam non solum ut Titus maneret ἀκρόβυστος obtinui (Gal. II, 3 sq.), verum etiam Apostolos in meam sententiam traduxi, ut paganos circumcidendos esse et ipsi negarent (Act. XV, 7 sq.). III. Quod Paulum illo tempore, de quo Act. XI, 30. agitur, nondum multa itinera rei christ. causâ

suscepisse, sed eum Gal. II, 2. (?) 7. 9. ita loqui VV. DD. observarunt, ac si aliquantum jam temporis in tradendâ doctrinâ christ. consumsisset, non cogitarunt, nihil ex Gal. II, 2. 7. 9. consequi, nisi hoc, paganos prospero successu instituere Paulum incepisse (quod in Ciliciâ et Antiochiae fecerat Act. IX, 30. XI, 26.), sed nescivisse eum, utrum doctrinae forma paganis proposita Apostolis placeret an displiceret. Credibile est autem, Paulum rem hîc illîc ab se factam ad Apostolos rettulisse, non tum demum illam eorum judicio subjecisse, quum solemni modo ad gentiles legatus longe lateque suam doctrinam disseminasset (v. Act. XIII, 2. — XV, 2.). IV. Paulum Act. XI, 30. (cl. XI, 25, IX, 26 sq.) secundarias partes agere, Barnabam primarias, sed permutatis partibus Paulum potiorem sisti Gal. II, 1. 9. nego. Debebat enim P., etiamsi se Barnaba inferiorem judicaret, in epistolâ, in quâ *suas* res Galatis enarraret, sic disputare: *ego* Hierosolyma profectus sum cum Barnaba: *mihi* dextras porrexerunt Apostoli et Barnabae. Adde, quod *Act. c.* XV. modo Pauli (v. 2. 22.) modo Barnabae (v. 12. 25.) nomen primo l. ponitur. V. Si epistola ad Gal. post tertium iter hierosolymitanum scripta sit, sicut sit, praeteriri hoc tam memorabile iter a P. c. II. non potuisse falso VV. DD. contendunt. Quod ut gentilibus valde memorabile fuerit, quia P. tum ab Apostolis impetravit, ut illi paene omnibus Mosis legibus solverentur, Paulo tamen Gal. c. I. II. grave id videri non debuit, qui suam Apostoli auctoritatem a nonnullis temere labefactam satis stabiliverat rerum suarum narratione usque ad id tempus contextâ, quo primarii Apostoli collegam se declarassent Act. XI, 30. Gal. II, 9. Iter postea eoque tempore factum, quo Apostoli dignitatem ab Apostolis concessam nemine repugnante obtineret, praeter rem P. h. l. commemorasset. VI. Petrum, quum P. iterum Hierosolyma venisset (Act. XI, 30. XII, 25.), ibi non fuisse (Act. XII, 17.) perperam affirmes (cf. Gal. II, 9.). Apparet enim, Paulum et Barnabam *ante Jacobi supplicium* suas res Hierosolymis confecisse (Act. XI, 30.), sed Lucam, ut illo exposito (Act- XII, 1 — 24.) ad Apostolos, quorum iter accurate persequi constituisset (Act. XIII, 2 sq.) reverteretur, eos ex Hierosolymis digressos esse non Act. XI, 30., sed Act. XII, 25., ne conjuncta divelleret, monuisse. VII. Non postulat l. Gal. II, 11. cl. Act XV, 30 sq., ut Gal. II, 1. *tertium* iter hierosolymitanum dici putemus. Quo enim tempore Petrus et Paulus Antiochiae una fuerint plane nescimus potestque id paullo post secundum iter (Act. XII, 17. XII, 25 sq.) ac post tertium (Act. XV,

30 sq.) pariter factum esse. Ceterum licuerat Paulo secundo itinere, quod ad suam disputationem pertineret, memorato ad rem transire post tertium iter actam, quia mentione dignissima visa esset, tertio itinere ipso, quoniam nihil ad suam causam conferret, praetermisso. Contra praeclare omnia habent, si Gal. II, 1 sq. de *secundo* itinere agi censeamus. I. Excepit id enim illud tempus, quod P. in Ciliciâ et Syriâ transegit (Gal. I, 21. II, 1. cl. Act. IX, 30. XI, 25 sq. 30). II. Paulum eo tempore, quo paganis doctrinam christ. tradere *coepisset* (Gal. I, 23. Act. XI, 25. sq. cl. Act. XV, 23. IX, 30.), suam formulam tum Hierosolymitanis exposuisse, ut ejus vim experiretur, tum Apostolis, ut eorum judicium cognosceret, verisimile est (cf. supra), quandoquidem incertum veri alios in consilium adhibere decet in tempore nec diu facere, quod nesciat an *non rectissime* facturus sit. III. P. et Barnabas Apostolis prorsus probati in id consensisse dicuntur, ut ad exteros magistri abirent Gal. II, 9.; hoc post *secundum* iter factum est, quum ob id ipsum se eos viros arcessivisse div. spiritus dixisset Act. XIII, 2 sq. IV. Ut pauperum in Judaeâ Christianorum inopiam P. et Barnabas sublevarent, Apostoli cum iis pacti sunt (Gal. II, 10.). Nempe illi homines eorum curae demandati sunt propterea, quod qui pecunias in illorum usum confectas Hierosolyma quummaxime pertulissent (Act. XI, 30.), idonei viderentur, quorum ad beatiores exteros proficiscentium fidei egeni Palaestini etiam in posterum commendarentur. V. Pugnant Apostoli, ut Titus circumcidatur Gal. II, 3.; hoc illos animo fuisse quum P. Hierosolyma iterum adiisset (Act. XI, 30.) non mirum est; vix enim tum pagani in Christianorum coetum recipi coepti erant (Act. c. X. XI.); sed longe aliam de rituum mos. vi ac necessitate sententiam eo tempore animis conceperant, quo nobilis ille conventus Hierosolymis actus est (Act c. XV.). VI. Dextram porrexit Paulo etiam Johannes Gal. II, 9. At hujus viri nulla mentio fit Act. c. XV. Quare is quo tempore P. tertium iter Hirosolyma fecit jam abfuisse videtur ab urbe; quamquam haec res incerta est. VII. Paulum novem circiter annos in Ciliciâ commoratum esse (v. Act. IX. 30. XI, 25. Gal. I, 18. 21. cl. Gal. II, 1. Act. XI, 30.) quis tandem, quum multorum ab Apostolis actorum memoria aboleverit nec nisi pauca Lucas et P. ab oblivione vindicaverint, praefracte negare sustineat? Diu certe P. in Ciliciâ versatus est, quod non tam ex Act. XI, 25. *Ἐξῆλθε δὲ εἰς Ταρσὸν* [*ὁ Βαρνάβας*] *ἀναζητῆσαι Σαῦλον·* (cf. IX, 30.) emergit, quam ex eo intelligitur, quod nonnisi aliquot annis exactis tantam sui fiduciam concipere P. potuit, quantam Gal. II, 2 sq. ostendit neque

tum habuit, quum primum Hierosolyma revertisset Act. IX, 26 sq. Restant *quattuordecim* anni Gal. II, 1., quorum rationem constare ajunt, si locus ad *tertium* Pauli iter referatur; sin ad *secundum*, negant. Sed in temporum computatione, quâ nihil in N. T. impeditius est, etiam atque etiam videndum est, ne paucissima pro certis prodita, a quibus ut incerta, si fieri possit, in luce collocemus nobis proficiscendum est, temerariis conjecturis obruamus eoque obscura dilucidandi facultatem nobis omnem praecidamus. Inconsiderate autem fecerunt, tum qui ut Gal. II, 1. de *tertio* P. itinere (Act. c. XV.) agi videretur, Lucam illud, quod Act. XI, 30. refert, iter confinxisse dixerunt, tum qui ut Gal. II, 1. de *secundo* exponi crederetur, *δεκατεσσάρων* in *τεσσάρων* *conjecturâ* mutarunt. Quippe non constat, quo anno Christus natus sit; *) ignoramus, quo anno doctor prodierit et quam diu munere divinitus demandato functus sit; denique quo anno Paulus Christianus factus sit nescimus. In tantis tenebris cavendum est, ne quid temere, ne quid inconsiderate statuamus. Est tamen probabile, Gal. II, 1. rationem a P. abitu ex Hierosolymis Act. IX, 3 sq. putari, ut quattuordecim annis tres anni Gal. I, 18. memorati comprehendantur; illud certum, Paulum quo anno Jacobus supplicio affectus et Herodes Agrippa I. mortuus est i. e. anno Claudii tertio, ab U. C. 797., *iterum* Hierosolymis fuisse (v. Act. XI, 30. — XII, 25. cl. Joseph. A. J. 19, 8, 2.) **). Jam si Jesum, qui certe paullo post Johannem baptistam doctor prodiit, ipso quintodecimo, quo Tiberius imperavit, anno (781 ab U. C.) divini magistri provinciam suscepisse (Luc. III, 1. 21.), de quâ postquam ter paschatis ferias egisset decesserit, i. e. a. 784. ab U. C., statuerimus, sane P. a. 797. nondum quattuordecim annos in Christi disciplinâ fuit. Sed aut evanescit difficultas aut certe valde minuitur, si Matthaei, Marci et Lucae libris nixi Jesum per annum et paucos menses publice do-

---

*) *Dionysius Exiguus* Christum a. 753. ab U. C. natum esse judicavit. Sed eum errasse inter recentiores Chronologos convenit, qui Christum intra a. 747. et 750. ab U. C. in lucem editum esse consentiunt.

**) Obiit Caes. Octav. Augustus d. XIV. Kal. Septembr. a. 767. ab U. C. (v. Suet. Octav. c. 100.), Tiberius tertio et vicesimo imperii anno d. XVII. Kal. April. a. 790. ab U. C. (v. Suet. Tib. c. 73.); Caligula trucidatus est d. IX. Kal. Febr. a. 794. ab U. C., quum triennio et decem mensibus imperasset (v. Suet. Calig. c. 58. sq.), quem Claudius insequutus est, qui anno imperii quartodecimo d. III. Idus Octobris a. 807. ab U. C. vitâ excessit (v. Suet. Claud. c. 45.).

cuisse (v. *Wineri Bibl. Realwörterb.* I, p. 666. ed. 2.) eumque a. 782. ab U. C. nece affectum esse sumserimus. Tum si P. mediâ aestate a. 783. Hierosolyma relliquerit Act. IX, 2. (potuerant autem quae Act. II, 14. — IX, 2. leguntur quindecim mensibus peragi), a. 797. post quattuordecim annos iterum se Hierosolyma venisse recte dixerit, populari quidem modo ratione putatâ, quo ante quattuordecim annos factum dicimus, quod ante tredecim annos et paucos fortasse dies evenerat. Sed multo melius omnia componuntur, si Lucas Ev. III, 1. annos ab eo tempore, quo Tiberius ab Augusto imperii collega, *ut provincias secum communiter administraret*, declaratus est (a. 765. ab U. C. v. *Casaub.* ad Suet. Tib. c. 21.) computaverit. Sic enim Christus a. 779. Judaeos publice instituere inceperit et a. 781. supplicium subierit, P. autem ineunte a. 783. in Christi se disciplinam dederit, ut a. 797. *exactis quattuordecim annis* iterum Hierosolymis fuerit. Jam quum omnia in id congruant, ut Gal. II, 1. de *secundo* itinere P. sermonem instituerit et ne quattuordecim quidem annis hanc rem everti ostendi possit, manifestam rem agnoscere et Pauli calculo fisum a vanis conjecturis sese abstinere, ut tenebras quibus P. computatio involuta sit nondum discussas esse ingenue fateatur, circumspectum et verecundum interpretem decet. Utilior est enim literis in rebus quae vel nesciantur vel sciri nequeant inscientiae confessio, quam eorum temeritas, qui ut omnia scire credantur non quidem conjecturas ad res, ut fieri par est, accommodant, sed res ad conjecturas suas detorquent. Ceterum eorum conjectura, qui τεσσάρων Gal. II, 1. scribi volunt, vana est. Nam si quattuor annis tres anni Gal. I, 18. contineantur et mirum videatur quod P. non ἔπειτα ἐν τῷ ἑξῆς ἔτει πάλιν ἀνέβην etc. dicere maluerit et temporis rationes τεσσάρων respuunt (Act. IX, 30. XI, 26. 30.), nisi forte P. perbreve tempus in Ciliciâ transegisse tibi persuaseris; sin quattuor annos ad tres annos addideris, Paulum a. 790. ab U. C. i. e. anno si non octavo, certe sexto post Christi mortem, Christianum factum esse efficitur (v. Comment. I, p. 166.), quod non magis verisimile est, quam res Act. II, 14. — IX, 2. perscriptas quattuor mensibus gestas esse.

Restat, ut festos qui appetunt dies memoriae Jesu Christi a Deo ex inferis in vitam restituti dicatos pie vobis, Commilitones Humanissimi, celebrandos indicam. Quos rectissime majores nostri consecraverunt. Est enim Christi in vitam reditus certissimum mes-

sianae, quae divinitus ei contigit, auctoritatis documentum firmissimumque fidei christianae fundamentum (Act. I, 22. II, 27. 31. XIII, 35 sq. XVII, 31. XXVI, 23. Rom. VI, 9. 1 Cor. XV, 3—20. 1 Petr. I, 3. III, 21.), quandoquidem in V. T. perscriptum est, fore, ut *Messias* mortuus in vitam revocetur (Act. II, 24 sq. XIII, 32 sq. XVII, 2. 3. XXVI, 22 sq.). Quare si Jesus non revixisset, non fuisset Messias. Tum vero et vana fuisset Apostolorum eum Messiam pronuntiantium doctrina, et inanis videretur Christianorum eum Messiam pie venerantium fides (1 Cor. XV, 14.), neque expiati essent Christi supplicio hominum flagitia (1 Cor. XV, 17.). Quippe turpi leto periisset ut homo facinorosus, non mortem occubuisset, ut innocentissimus Dei Filius aut Messias, hominum peccata expiaturus. Accedit, quod Christi in vitam reditus, esse nos nobilem quandam Dei progeniem (Jac. III, 9.), quippe quorum animi post mortem remaneant refractisque corporis claustris in sempiternas beatorum sedes penetrent, per ambages ostendit. Magnum est etiam in eo, quod Christus in vitam reversus est, virtutis incitamentum, ut sicut Christus neci datus revixit ita nos inertiae et perversitatis excusso veterno in honestam quae Deo probetur vitam ingrediamur (Rom. VI, 4. Eph. V, 14.). Mortuus enim jacet iners atque improbus, reviviscit qui sapere h. e. Dei praeceptis obedire audet. Talia, qualia multa libri ss. suppeditant, si per eas quae instant ferias a nobis admoniti meditabimini, nunquam vos vestri obsequii poenitebit.

Scribebamus Rostochii d. XV. m. Mart. a. MDCCCXXXIV.

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

De nonnullis Pauli ad Galatas epistolae locis.

COMMENTATIO III *).

Disputare nunc ingrediar de alio ep. ad Galatas loco non ita plano, qui c. IV. v. 12 — 20. legitur. Ibi P., qui totâ epistolâ operam suam in id confert, ut Galatas ad manca Mosis elementa redituros et a legis mos. studio deducat et in veram christ. disciplinae formulam, recte ab se, genuino Christi Apostolo, iis expositam restituat, ab argumentis, quibus Mosis legem Christi disciplinâ sublatam esse docuit (c. III, 1 — IV, 7.) ad cohortationes et preces convertitur, quibus ut Mosis leges et caerimonias aboleant eos oret et admoneat (v. 12.). Deinde causam adjungit, cur se optatum a Galatis impetrare aequum videatur. Nam e carissimo amico, quem in deliciis Galatae habuissent, inimicum se eorum factum esse non aliam ob rem, quam quod vera iis exprobrasset (v. 12 — 16.). Tum magistros qui Galatis lenocinentur (legis mos. fautores carpit, Galatarum corruptores) *ambitione* duci etiam atque etiam considerandum esse monet (v. 17.) Galatisque quod in devium tramitem a viâ delapsi essent reprehensis rursus se eos tanquam abortivum fetum in lucem ab se antea editos parturire matrem, donec ad hominum christ. maturitatem pervenerint, profitetur (v. 18

*) Edidit hanc commentationem scriptor Rostochii a MDCCCXXXIV, Academiae Rostochiensis tum Rector.

— 20.). — Primis v. 12. v. *Γίνεσθε ὡς ἐγὼ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς* alii ut se amantem redament, alii ut suum exemplum imitati Mosis jugum exuant Paulum lectores adhortari credunt. Illi falluntur. Nam verbis: *fiatis mei similes, quando ego quoque vestri similis factus sum* (*ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς* sc. *γέγονα*) ita tantum haec sententia subesset: *meum amorem aemulemini, quando ego quoque vestrum olim aemulatus sum* (v. *Morum* ad h. l.), si Ap. in vs. proxime praecedentibus quod quos impense amaret eorum erga se amor refrixisset conquestus esset. Male *Beza* et *Grot.*, ut illa sententia Pauli verbis utique inesset Romanorum usu, quo verus amicus tanquam *alter idem* esse dicitur [v. Cic. de Amic. 21, 80.], in hunc l. translato explicuerunt: *estote velut ego* (mihi amicissimi), *quandoquidem ego sum velut vos* (vobis amicissimus). Neque enim v. *γίνεσθε ὡς ἐγώ* graece quidquam notant, nisi *fiatis ut ego* i. e. ad meum vos, quaeso, exemplum componite. Imo ut superstitionem judaicam abjiciant Paulum lectores h. l. monere e contextâ oratione intelligitur. Postquam enim Ap. Mosis leges a Christo abrogatas esse idoneis argumentis ostenderat (III, 1. — IV, 7.), id ipsum deploravit, quod Galatae Mosi emancipati viverent (IV, 8 — 12.) paucisque partim peramanter partim accusatorie dictis, quibus ab errore eos revocaret (IV, 13 — 20.), homines christ. Mosis legibus solutos esse aliis rursus rationibus efficere conatur (IV, 21 — 31.). Recte vero *Erasmus, Koppius, Winerus* al. vocc. *γίνεσθε ὡς ἐγὼ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς* (sc. *γέγονα*) h. m. exposuerunt: *evadite mei similes* (np. eo, quod legem mos. repudietis), *quandoquidem ego quoque vestri similis evasi* (sc. quum qui acerrime olim pro disciplinâ judaicâ propugnassem I, 13 sq. ab eâ desciscerem essemque ut paganus II, 14. Phil. III, 7 sq. 1 Cor. IX, 21.) *). Vanis argutiis haec explanatio a VV. DD. impugnata est. Nam primo tempus aliquod

---

*) Ab hâc explicatione parum differt *Ruickerti* interpretatio: *ad meum vos exemplum fingite* (i. e. antiquate legem mos. me imitati), *quando ego quoque ad vestrum me finxi* (h. e. quando ego quoque ad vestrum me captum doctor conformavi 1 Cor. III, 1. 2.). At hoc pacto v. *ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς* sc. *γέγονα* ad rem ab eâ diversam, de quâ vocc. *γίνεσθε ὡς ἐγώ* explanata sunt, perperam referuntur. Credibile est enim, Paulum si id dicere voluisset, se alio sensu Galatas sui similes fieri jubere, alio se Galatarum olim similem factum esse aliquo modo indicaturum fuisse, v. c. his v.: — *ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, λαλήσας ὑμῖν καὶ εὐαγγελισάμενος*. Ad hoc *Ruickerti* expositione sententiae acumen tollitur in eo positum, quod fieri a Galatis quod ab se amico factum sciant aequum Apostolo videtur.

praeteritum *γέγονα* s. *ἐγενόμην* post *ὑμεῖς* cogitando recte adjici, quia in priore membro *γίνεσθε* sit, tempus praesens, negarunt (cf. *Borger*. ad h. l.). Sed jure hoc fieri, ubi aut verba id exigant, aut, ut h. l., res ipsa flagitet in vulgus constat. V. 1 Cor. XI, 1. *Μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ* sc. *μιμητὴς γέγονα.*, Dissert. m. in 2. ep. ad Cor. I, p. 34. et *Wineri* Gr. p. 467.*).

---

*) Recte *Winerus* l. c. *Lückium* vituperavit, qui 1 Joh. III, 19. 20. *Καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐκ τῆς ἀληθείας ἐσμὲν, καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν, ὅ τ ι, ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅ τ ι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν καὶ γινώσκει πάντα.* v. 20. post *ὅτι* prius e vs. 19. *γινώσκομεν* cogitando repetiit. Sed quam valde contortam *Winerus* vocavit interpretationem, ea *falsa* dicenda fuerat. Nullum enim verbis — *ὅτι, ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία* et sequentibus cum vocabulis *καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐκ τῆς ἀληθείας ἐσμέν* commercium vel intercedit vel potest intercedere; unde non reprehendam si quis post *ἐσμέν* colon quam virgulam locare malit. *Winerus* v. 20. *ὅτι* posterius, quod *Lachmannus* delevit, adulterinum judicavit. Nam librarios *ὅτι* per errorem *bis* scripsisse. Multo tamen credibilius est nonnullos librarios (A. 33. 63.) et interpretes (Copt. Sahid. Vulg.) *ὅτι* posterius ab Apostolo exaratum praetermisisse ut molestum ac superfluum. Repetunt enim scriptores vocabula, quibus sententiam ordiebantur, interjectâ aliâ, longiore maxime, sententiâ rhetoricis rationibus adducti h. e. ut aut periodum magis vel perspicuam vel numerosam faciant, aut primariae sententiae pondus addant. V. Genes. XXII, 16. 17. כִּי נִשְׁבַּעְתִּי נְאֻם־יְהוָה כִּי יַעַן אֲשֶׁר עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידֶךָ כִּי בָרֵךְ אֲבָרֶכְךָ׃ Xenoph. Anab. 7, 4, 5. *Ἀφιεὶς δὲ τῶν αἰχμαλώτων ὁ Σεύθης εἰς τὰ ὄρη ἔλεγεν, ὅ τ ι, εἰ μὴ καταβήσονται καὶ πείσονται, ὅ τ ι κατακαύσει καὶ τούτων τὰς κώμας κ. τ. ἑ.* cl. ibid. 5, 6, 19. Eph. II, 11. 12. *Διὸ μνημονεύετε, ὅ τ ι ὑμεῖς ποτε τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ — — ὅ τ ι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ κ. τ. λ.* Xenoph. Cyrop. 5, 3, 30. *ἅμα δ' ἴσως καὶ ἐκεῖνο ἐννοεῖται, ὡς, εἰ οἱ μὲν πρὸς ἡμᾶς ἀφιστάμενοι μηδὲν ὑπ' ἐκείνου κακὸν πείσονται, οἱ δὲ σὺν ἐκείνῳ ὄντες ὑφ' ἡμῶν ἀπολοῦνται, ὅ τ ι τάχα οὐδένα εἰκὸς σὺν αὐτῷ βούλεσθαι εἶναι*, Xen. Anab. 3, 2, 25. *Ἀλλὰ γὰρ δέδοικα μὴ, ἂν ἅπαξ μάθωμεν ἀργοὶ ζῆν καὶ ἐν ἀφθόνοις βιοτεύειν καὶ Μήδων δὲ καὶ Περσῶν καλαῖς καὶ μεγάλαις, γυναιξὶ καὶ παρθένοις ὁμιλεῖν, μὴ ὥςπερ οἱ λωτοφάγοι ἐπιλαθώμεθα τῆς οἴκαδε ὁδοῦ.* Col. II, 13. *Καὶ ὑ μ ᾶ ς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν, συνεζωοποίησεν ὑ μ ᾶ ς σὺν αὐτῷ —.* Cic. de Or. II, 58, 236. *Est* autem, ut ad illud tertium veniam, *est* plane oratoris movere risum — Cic. de Divin. 1, 57, 131. Quid est igitur, *cur*, quum domus sit omnium una eaque communis quumque animi hominum semper fuerint futurique sint, *cur* ii quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet perspicere non possint? Totum l. *Lückius* minus recte explicuit: *intelligimus etiam h i n c* (i. e. quum hominibus christ. sinceri amoris documenta demus, cf. v. 18.), *verae nos Christi doctrinae addictos esse*

Scilicet si vel γίνομαι vel γενήσομαι mente addideris, ita quidem,

---

et Dei (div. judicii) *recordati animos nostros amoris conscientiâ muniti tranquillare poterimus. Nam si damnet nos animus* (sc. neglecti amoris officii), *majorem esse* (h. e. *severius judicare) et omnia perspicere Deum scimus.* Nam I. si καὶ quod versum 19. ducit genuinum est, *et* significat, non *etiam;* et si posset h. l. *etiam* valere, male tamen vertisset *Lückius: Auch erkennen wir daran —.* i. e. ἐν τούτῳ δὲ καὶ γινώσκομεν quum transferre debuisset: *auch daran erkennen wir —.* quod ipsum ab Johannis sententiâ plane abhorret. Cernitur enim perfectus, qui verum teneat, Christianus Johanne judice non aliâ re, nisi sincero amore. Sed valde suspectum est καὶ, quum ab A. B. C. 33. 40. 65. al. absit et ex aliis l. invectum esse videatur (v. III, 24. cl. IV, 13. III, 16.). Expunxit *Lachmann.* II. Perperam *Lückius* Deum verbis v. 20. ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν idcirco humano animo majorem dici putavit, quod major sit Dei quam conscientiae nostrae in judicando condemnandoque *severitas.* In promtu est enim, vocc. v. 20. καὶ γινώσκει πάντα propterea ab Johanne adjecta esse, ut praecedentia v. ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν explicarentur. Major est igitur animo nostro Deus, quia eo est perspicacior, nihil quippe ignorans. III. Male connexae sunt hae sententiae: *amoris aliis praestiti conscientiâ mentes nostras tranquillabimus. Nam si hujus officii parum diligenter servati animus nos damnet Deum severius, quam nosmet ipsos judicium exercere et omnia scire probe tenemus.* Contra haec bene cohaererent: — *Nam si animus, quod amoris officia parum exsequuti simus, nos condemnet, Deum quoque nos condemnaturum et supplicia de nobis sumturum esse haud ignoramus:* — ὅτι, ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, οἴδαμεν ὅτι καὶ ὁ θεὸς ἡμᾶς κατακρινεῖ. IV. Formulam v. 20. πείθειν τὴν καρδίαν significare *animum tranquillare* non recte V. D. collegit e v. v. 21. παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν θεόν. Ne multa; declarat πείθειν τὴν καρδίαν *animum flectere* h. s.: *Hinc* (h. e. quum alios diligamus *non verbis* aut, ut rem lectorum oculis subjiciam *linguae agitatione* [sine quâ nemo loqui potest; falso *Lückius „Das letztere,* inquit, τῇ γλώσσῃ, *drückt einen höhern Grad der Scheinliebe aus.“*], sed *re et factis* cf. v. 18.) *intelligimus nos veram Christi doctrinam tenere; et coram Deo (vor Gottes Augen* h. e. Deum intuiti et reveriti) *animos nostros flectemus* (np. ad amorem vitâ factisque ostendendum), *quia, si animus nos* (scil. hujus officii praetermissi) *condemnet, quia major est, inquam, Deus animo nostro* (ut quae animis nostris volutemus facile perspiciat) *et omnia scit.* [Sententia optime habet: operam dabimus, ut amore, quo homo Christiani nomine dignus cognoscitur, alios prosequamur, quum Deum omnia scire reputemus, ut si amoris officio defuerimus ei, qui nostrum ulcus noverit, nos displicituros esse emergat.] Jam contrariam sententiam Johannes v. 21. 22. addit: *Carissimi, si animus noster nos non condemnet* (np. illius officii neglecti), *fiducia nobis est in Deum* (neque enim Deus nihil ignorans homini qui officiis suis satisfecerit metuendus est.) *et, quodcunque ab eo petamus, ab eo accipimus, quoniam*

ut, quod necessarium est, verbis ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς eam ipsam

(quum amorem aliis praestamus) *ejus praecepta observamus et quae ei placent facimus.* V. 19. γινώσκομεν] 9. γινωσκόμεθα. (amore *cernimur* veri compotes). Glossema eorum, qui γινώσκομεν impersonaliter sumsissent: *nos scimus homines* i. q. γινώσκουσιν οἱ ἄνθρωποι. | A. B. 27. 40. [*Lachmann.*] al. γνωσόμεθα, quod, nisi forte γινωσκόμεθα est depravatum, correctoribus debetur in regulâ, ad quam judicium postmodo directum Johannes voluisse videretur, *Futurum* expetentibus. (cf. Joh. XIII, 35.) Ibidem τὰς καρδίας A.* B. 66** Aug. [*Lachm.*] τὴν καρδίαν, quod ab iis profectum est, qui v. 19. cum v. 20. 21. praeter rem exaequandum duxissent. [S. Ven. *Lückius* quum nuper (a. 1836.) suos in Johannis epistolas commentarios *secundum* ederet, tum suam explicationem nonnihil immutatam tueri, tum meam interpretationem infirmare conatus est p. 232—253. Cur neutrum viro egregio ex sententiâ successisse existimem paucis nunc ostendam. Refert V. D. vocc. v. 19. καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν ad judicium *extremum* et versu 20. sententiam versus 19. *per contrarium* firmari putat cum *Estio* et *G. Calixto,* ut haec totius loci ratio sit: Hinc (ex sincero, quo homines christ. amplectamur amore v. 16—18.) intelligimus, nos verae, quam Christus manifestavit, doctrinae alumnos esse, et (si verae Christi disciplinae nos addictos esse amor nobis testetur quem in homines christ. habeamus) coram Deo (in extremo judicio) conscientiam nostram tranquillabimus, quoniam, si postulet nos conscientia scil. neglecti amoris officii (ergo si *contrarium* obtineat, quam quod ut nostram conscientiam coram Deo judice tranquillemus esse debet), quoniam, inquam, mojor *est* Deus conscientiâ nostrâ et omnia scit (*metum* igitur nobis Dei omniscientia incutit). Carissimi, si conscientia nos non accuset (amoris hominibus christ. negati), fiducia nobis *est* in Deum et quidquid ab eo petamus ab eo *impetramus*, quoniam ejus praecepta observamus et quae ei placent facimus. At I. male V. D. p. 237. πείθειν τὴν καρδίαν *conscientiam tranquillare* enarravit. Esse πείθειν *placare iratum* satis constat, sed valere hoc verbum *eum qui timore angatur tranquillare Lückius* finxit. II. Declarare τὰς καρδίας ἡμῶν v. 19. non *animos nostros* aut *voluntatem*, sed *vel recte vel prave factorum conscientiam* versum 20. et 21. docere, unde πείθειν τὰς καρδίας v. 19. notare *conscientiam tranquillare* emergat mire *Lückius* contendit p. 239. 240. Nam τῆς καρδίας vocabulum, quemadmodum vernaculam vocem *das Herz* late patere, ut modo *mentem*, modo *animum*, modo *conscientiam* designet nemo ignorat. Atqui haec disputatio praeclare, cohaeret: — *animos nostros* (ad amorem vitâ factisque ostendendum) flectemus, quoniam si *conscientia* nos (hujus officii neglecti) postulet Deum omnia scire, ut non possimus non in metu esse considerandum nobis est. III. Precario *Lückius* p. 236. 239. v. vs. 19. καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν sic interpretatus est *et coram Deo tum quum extremum judicium committet conscientiam nostram tranquillabimus.* Nam quum *Jesus Christus* is sit, per quem tanquam vicarium Deus extremum judicium exerciturus sit (v. Act. X, 42. XVII, 31. Joh. V, 22. cl. 2 Tim. IV, 1. 8.

rem, quae vocabulis *γίνεσθε ὡς ἐγώ* haud dubie declaratur, dici

---

2 Cor. V, 10.), in promtu est, Johanni, si de judicii extremi tempore disputavisset, hujus judicii cogitationem verbis magis perspicuis, quam sunt *ἔμπροσθεν αὐτοῦ*, exprimendam fuisse v. c. *ἔμπροσθεν τοῦ βήματος αὐτοῦ* cf. Rom. XIV, 10. II, 16. Id ipsum probat locus, quem *Lückius* in rem suam convertit, 1 Joh. IV, 17. Ibi enim plane perscriptum est: — *ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως* —. IV. Johannem v. 19. verbis *καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν*, minime de judicio extremo loquutum esse, v. 20. *ἐστίν*, v. 21. *ἔχομεν* et v. 22. *λαμβάνομεν* docet. Scilicet *ἔσται*, *ἕξομεν* et *ληψόμεθα* hoc pacto scribendum fuerat, quandoquidem sententiam vs. 19. per *contrariam* sententiam versu 20. muniri *Lückius* affirmat et versu 21. contrarium eorum, quae vs. 20. dicta sunt, enuntiari manifestum est. Frustra *Lückius* p. 253. tempus praesens v. 21. et 22. eo excusavit, quod Johannes sententiam generaliter et ut regulae vim haberet efferre voluisset. Nam si sententia versus 19. versu 20. contrariâ sententiâ fulcitur, h. l. haud dubie Futurum *ἔσται* requiritur (quum homines christ. diligemus coram Deo judice conscientiam nostram *tranquillabimus* quoniam si illos *non* diligamus Deus judex conscientiâ nostrâ perspicacior *erit* eoque nobis metuendus); quodsi versu 20. Futuro opus est, non minus id v. 21. 22. requiritur, ubi Johannes contrarium eorum exponat, quae vs. 20. disputata sunt. V. Perperam *Lückius* p. 237. *πείθειν τὰς καρδίας* v. 19. sensu congruere cum *παῤῥησίαν ἔχειν πρὸς τὸν θεόν* v. 21. statuit. Neque enim versui 21. ullum commercium esse potest cum v. 19., sed sententiam ille continet sententiae vs. 20. declaratae oppositam. Scilicet in verbis v. 20. *ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν καὶ γινώσκει πάντα*, quae concise dicta sunt pro — *ὅτι οἴδαμεν, ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς κτλ.* (v. 1 Joh. V, 9. et Conjectanea mea in N. T. I, p. 51.) *terroris*, in quem neglecti officii sibi conscium Dei omniscientia conjiciat et quo cruciatus Deo fidere nequeat, cogitatio latet. Ita igitur hi versus comparati sunt: — *καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας*, quoniam, *si nos conscientia culpet* (quod homines christ. non dilexerimus), quoniam, inquam, Deum conscientiâ nostrâ majorem esse et omnia scire haud ignoramus *(ut nulla nobis in Deum fiducia esse possit)*. Carissimi, *si conscientia nos non culpet* (quod homines christ. diligere neglexerimus), *fiducia* nobis in Deum est etc. Quae quum ita sint *Lückii* interpretatio ferri plane nequit. Sed V. D. non solum totius loci rationem et sententiam parum percepit, verum etiam in singulorum verborum, quae sententiae summam non attingunt, expositione nonnunquam lapsus est. Sic, ut pauca afferam, *Lückius* meam verborum v. 18. *μηδὲ τῇ γλώσσῃ* interpretationem: neque (ut rem lectorum oculis subjiciam) *linguae agitatione* (sine quâ nemo loqui potest) supervacaneam et quae nihil ad rem conferat cogitationem fundere dixit p. 233. Vereor, ut Vir D. meam sententiam satis perspexerit. Dixi autem non differre *ἀγαπᾶν τῇ γλώσσῃ* ab *ἀγαπᾶν λόγῳ* nisi majore perspicuitate, quandoquidem illa formula amoris, qui linguae vibratione aut loquendi negotio absolvatur, notionem clare exprimat. Et *τὴν γλῶσσαν* ita *τῷ ἔργῳ* opponi, ut jactatio-

nis vanitatem clarius eoque fortius quam ὁ λόγος, ubi a τῷ ἔργῳ distinguitur enuntiet, tralatitium est. Theognis v. 399. *Welck.* Μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ· | χερσίν τε σπεύδοι χρήμασί τ', ἀμφότερα· | μηδὲ παρὰ κρητῆρσι λόγοισιν ἐμὴν φρένα θέλγοι, | ἀλλ' ἔρδων φαίνοιτ', εἴ τι δύναιτ' ἀγαθόν. (Hunc l. jam *Wetst.* citavit). et v. 409. *Welck.* Ἥντις ἐπαινήσῃ σε τόσον χρόνον ὅσσον ὁρῴη, | νοσφισθεὶς δ' ἄλλῃ, γλῶσσαν ἵῃσι κακήν, | τοιοῦτος τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔ τι μάλ' ἐσθλός, | ὅς κ' εἴπῃ γλώσσῃ λῷστα, φρονῇ δ' ἕτερα. Soph. Philoct. v. 96 *Herm.* ἐσθλοῦ πατρὸς παῖ, καὐτὸς ὢν νέος ποτὲ | γλῶσσαν μὲν ἀργὸν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν. | νῦν δ', εἰς ἔλεγχον ἐξιών, ὁρῶ βροτοῖς | τὴν γλῶσσαν, οὐχὶ τἄργα, πάνθ' ἡγουμένην. Est autem clarius vocabulum post minus perspicuum collocatum, ut saepe. Cf. proxima verba ἀλλ' ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ et Gal. I, 12. Jam Ven. *Lückius* l. c. Apostolum μηδὲ τῇ γλώσσῃ idcirco adjecisse affirmat, ut v. μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ explicaret. Fieri enim posse, ut aliquem *simul* λόγῳ, *simul* ἐν ἀληθείᾳ diligas. Fallitur. Nam ubi, ut h. l. (μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ — ἀλλ' ἐν ἔργῳ), quod fit λόγῳ ei opponitur quod *fit* ἔργῳ, ibi voce λόγῳ *inanis et quae simuletur res* declaratur. Eurip. Alcest. v. 339. *Pflugk.* λόγῳ γάρ ἦσαν, οὐκ ἔργῳ φίλοι. Deinde verba v. 20. μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν notare *vehementior est Deus in accusando quam conscientia nostra* Ven. *Lückius* p. 249. 250. sic efficere conatus est: comparatur *Deus* cum *conscientiâ nostrâ*; quae quum hic *accusare* fingatur (ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία), Deum eo μείζονα τῆς καρδίας ἡμῶν dici, quod vehementior sit, quam conscientia nostra, accusator patet. Qui manifestus mihi paralogismus esse videtur. Absolvitur enim conscientia bene maleve factorum *sensu* et *scientiâ*, quam quia tenet idcirco judicium facere i. e. sontem accusare accusatumque condemnare, insontem absolvere potest. Hinc qui major quam conscientia dicitur Deus, *scientiâ* conscientiam superare contenditur, ut Johannes ipse explicat καὶ γινώσκει πάντα. Postremo, ne plura persequar, parum credibile est, Johannem cum scriberet ἐὰν καταγινώσκῃ et paullo post καὶ γινώσκει πάντα paronomasiam aucupatum esse, quae *Wetstenii* et *Lückii* p. 249. sententia est. Inanis enim *verborum* lusus esset, qui *sententiam* non adjuvaret. Venio nunc ad ea argumenta, quibus Ven. *Lückius* meam explicationem impugnavit p. 238 — 240. Primo igitur Johannem h. l., si mecum feceris, lectores ut homines christ. diligant cohortari contendit: hoc autem illum neque recte h. l. facere, ut qui sincerum amorem lectoribus modo commendaverit v. 18., neque omnino facere, quia *Futurum* πείσομεν, non Conjunctivum πείθωμεν v. 19. scripserit perhibuit. At non aperte Johannem, si mihi assensus fueris, lectores, ut homines christ. sincero amore amplectantur, cohortari in promtu est. Hûc enim vs. 19. et 20. sententia redit: ex sincero, quo homines christ. prosequamur, amore nos veram Dei doctrinam tenere intelligimus et *(quum amorem primariam et ex quâ homo christ. cognoscatur virtutem esse intellexerimus) operam dabimus*, ut primario nostro officio satisfaciamus, Deum si nos hujus officii neglecti conscientia nostra postulet etiam perspicaciorem esse, ut quem nihil praetereat, quum nostram memoriam et conscientiam nonnulla fugiant reputantes. *Oblique* igitur h. l. Johannes lectores amoris hominibus christ. declarandi admonet. Quodsi est, Futurum

existimes*), sententiam everteris. Neque enim se aut *fieri* aut *futurum esse* Galatarum, qui jud. disciplinae tum essent assectatores,

---

πείσομεν v. 19. bene comparatum est, Conjunctivus ne potuit quidem collocari. Ceterum parum caute *Lückius* hanc *obliquam* admonitionem vituperavit. Ipse enim v. vs. 19. 20. ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ p. 251. sic explicat, ut iis, ne homines christ. in amore habere negligant, lectores *oblique* admoneantur. Deinde *rationem*, quâ amor lectoribus commendetur, aptam esse negavit. Nam alias Johannem homines christ. nobis diligendos esse et Christi exemplo motis et quia non aliâ re Deum a nobis vere diligi ostendi possit disputare v. 14 — 18. Hoc vero est ingeniosum scriptorem in exiguum paucarum sententiarum gyrum compellere et postulare, ut suam semper cantilenam canat. Et aptissima est allata officii ratio. Vehementer enim Dei omniscientiam extimescat necesse est qui suo se officio defuisse sibi conscius sit neque nisi virtutis studium haec cogitatio accendere potest: Deo quum nihil nesciat ea quoque peccata explorata sunt, quae nosmet ipsos praetereant. Quae qui reputet peccata cane pejus et angue vitanda esse censeat. Denique *Lückius* τὰς καρδίας ἡμῶν v. 19. non animum, sed conscientiam (consequentem) notare e vs. 20. 21. perspici, hinc autem πείθειν v. 19. nihil nisi *tranquillare* valere posse consequi affirmat. Haec jam supra refutavimus. Sed nonnihil tamen meam interpretationem emendandam esse nunc video. Nempe v. v. 19. καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν *ad amorem* rettuli (et coram Deo animos nostros flectemus scil. ad *amorem* vitâ factisque ostendendum), quae ad τὴν ἀλήθειαν referenda sunt. Scilicet versum 19. ultima vs. 18. verba ἐν ἀληθείᾳ pepererunt. Deinde ante v. v. 19. καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν proxime injecta est τῆς ἀληθείας mentio. Postremo vs. 23. non amor commemoratur tantummodo, verum etiam ἡ πίστις. Sic igitur nunc hunc l. convertam: *Hinc (quum alios vere diligamus* v. 18.) *intelligimus, nos veram Christi doctrinam tenere, et Deum reveriti animos nostros flectemus* (scil. *ut veram Christi doctrinam tueamur*), *quoniam si postulet nos animus noster* (scil. *quod veram Dei doctrinam non satis fideliter custodiverimus)*, *quoniam major est, inquam, Deus animo nostro et omnia scit (quoniam igitur tum Deus metuendus nobis est, cui nostra perfidia melius etiam quam nobis ipsis nota sit). Carissimi, si animus noster nos non postulet (quod veram Dei doctrinam non satis firmiter tenuerimus) fiducia nobis est in Deum (cur enim Deum nihil ignorantem homo metuat, qui suum officium non deseruerit?) et quodcunque ab eo petamus ab eo accipimus, quoniam (quum doctrinam divinam tenemus) ejus praecepta observamus et quae ei placent facimus. Hoc est autem primarium ejus praeceptum ut fidem adjungamus nomini filii ejus Jesu Christi et mutuo nos amore prosequamur, quemadmodum nobis praecepit.*]

*) *Studerus* apud *Usterium* alio v. γίνεσθε ὡς ἐγώ, alio vocc. ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς refert, quum γενήσομαι post ὑμεῖς supplet h. s.: evadite mei similes Mosis lege repudiatâ, *quandoquidem ego quoque me geram ut*

similem contendere P. potuit *). Deinde vocem ὅτι ratione destitui finxerunt, quia ex eo, quod P. Galatarum similis aliquando exstiterit, *oportere* Galatas, ut et ipsis sit cum P. similitudo, vicissim operam dare minime consequatur. Recte quidem; sed nititur P. argumentatio amoris, quo Galatas amplecteretur, sensu et conscientiâ. Nam par esse censent qui alios efflictim amant, quum ex suo ingenio amicos judicent, amicos amicorum amori et officiis respondere. Cf. Terent. Eunuch. 1, 2, 115. — mecum tota sis: *meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.* Postremo male illius interpretationis fautores tum ὡς ὑμεῖς ad eos dumtaxat Galatas rettulisse, qui gentilium sacris olim addicti fuissent (mistum autem fuisse Galatarum coetum ex Judaeis pariter atque paganis, qui sua sacra deseruissent), tum ὡς ὑμεῖς enarrasse: *ut olim fuistis* objecerunt (v. *Matthies.*). At si P. Galatas, ut jud. disciplinam relinquerent, hâc acutâ sententiâ invitare decreverat: *exsistite mei similes, quando ego quoque vestri similis exstiti* eorum tantummodo Galatarum, qui pagani olim fuissent, rationem habere debuit, eorum contra qui Judaei antea fuissent nisi pessum datâ sententiâ ne potuit quidem. Accedit, quod sine ullâ ambiguitate illud facere ei licuit non solum propterea, quod cum iis Galatis modo egerat, qui gentilium superstitione aliquando infecti fuerant (v. 8 sq.), verum etiam idcirco, quod Galatas *e gentilibus* Christianos factos eorumque *pristinum* ingenium h. l. dici *res* lectores docere debuit. Nam tum quidem ad Mosis disciplinam Galatae se acclinaverant (I, 6. III, 1 sq. IV, 8 sq. V, 1 sq. 7. VI, 12.). Illis, quae refutare studui, argumentis quum aliquid tribuisset b. *Schottus*, hunc l. sic explicuit: *„estote mei similes* (decutiendo iterum jugo legis Mos.), *siquidem ego quoque factus sum* [γέγονα], *quales vos* (suppl. ἐγένε-

---

vos h. e. *quandoquidem ego quoque obsequium vestrum amore remunerabor, contumaciam vestram sensoriâ severitate adhibitâ castigabo.* Perperam, tum quod haec sententia vel Pauli verbis non subest vel iis tam obscure enuntiata esset, ut vix deprehendi posset (perspicue hoc m. exprimi potuisset: — ὅτι οἷοι ἔσεσθε εἰς ἐμὲ τοιοῦτος κἀγὼ εἰς ὑμᾶς γενήσομαι), tum ob causam supra p. 232. memoratam.

*) Si quis verba ita explicuerit: exsistite mei, qualis vere sum, similes (missâ jud. disciplinâ), quando ego quoque (de adversariorum meorum sententiâ) vestri similis exstiti, quem jud. caerimonias etiamnum admirari inimici calumnientur (v. V, 11.) temere is sarcasmum in hunc l. invexerit (cf. ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν) eumque non solum obscurum, sed etiam subabsurdum.

σϑε) *facti estis;* quum Jesu Christo nomen daretis [darem], abjeci studia pristina Judaismi pariter atque vos olim abjecistis. Constantiam suam in conditione perfectiori perseverantem opponit inconstantiae illorum.“ Sed superquam quod ista sententia his v. enuntianda fuerat: *Ἔστε οἷος ἐγὼ, ὅτι κἀγώ* [*εἰμι*], *οἷοι ἦτε ὑμεῖς*, ne sic quidem P. satis perspicue tum suam constantiam Galatis commendasset, tum Galatarum levitatem notasset. Quare eum, si quod *Schotto* visum est declarare voluisset, ita fere scripturum fuisse arbitror: *μείνατε οἷος ἐγὼ, ὅτι κἀγὼ ἔμεινα οἷοι ἦτε ὑμεῖς.* *Chrysostomus*, *Theodoretus*. *Theophylactus*, *Matthies*. al. post *ὅτι κἀγώ* mente addunt *ἦν* s. *ἤμην* h. s.: *estote mei similes* (deserite Mosis disciplinam), *quandoquidem ego quoque vestri similis eram*, scil. quum jud. placita obstinate defenderem (I, 14.). Quorum opinio duobus vitiis laborat. *Scribi* enim *ἦν* s. *ἤμην* ab Apostolo debuerat neque interpreti supplere licet a P. omissum. Praeterea sententia friget, sive v. *ὅτι κἀγὼ* [*ἤμην*] *ὡς ὑμεῖς* sic exposueris: *non primi igitur a Mosis lege deficietis* (v. Chrys.), sive h. m.: *potestis igitur quod fieri volo perficere, quum ego perfecerim.* Multi enim, opinor, multis tum locis Judaei Pauli doctrinâ probatâ jud. leges et caerimonias aboleverant veteres sibi avias revelli facile passi neque P. Christianos, qui Judaei antea fuissent, h. l. in mente potissimum habet (v. supra). Voc. *ἀδελφοί* ne potest quidem cum v. praecedentibus *γίνεσϑε* — *ὡς ὑμεῖς* conjungi (v. *Ruickert.*) Ita enim hoc opus erat v. ordine: *γίνεσϑε ὡς ἐγὼ, ἀδελφοὶ, ὅτι* (v. Gal. I, 11. Phil. I, 12. 1 Thess. IV, 1. 13. V, 1. 12. 4. Rom. I, 13. al.) Imo cohaeret v. *ἀδελφοί* cum vocc. *δέομαι ὑμῶν* (Rom. X, 1. Gal. III, 15.). Item v. *δέομαι ὑμῶν* ad vocc. *γίνεσϑε ὡς ἐγώ* referenda esse apparet: Qui mihi fratrum loco estis, obsecro vos (np. ut meum exemplum imitemini). Ne v. *οὐδέν με ἠδικήσατε* et seqq. secus intelligantur, tria maxime tenenda sunt; unum, verbis *οἴδατε δέ* et sqq. (scitis *potius*) sententiam contineri ei oppositam, quae vocabulis *οὐδέν με ἠδικήσατε* comprehensa est; alterum, duobus membris (*οἴδατε δὲ, ὅτι δι᾽ ἀσϑένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον καὶ* [et] *τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουϑενήσατε* —.) Paulum dixisse, quod hujusmodi periodo enuntiari potuisset: *οἴδατε δέ, ὅτι δι᾽ ἀσϑένειαν τ. σ. εὐαγγελισαμένου μου ὑμῖν τὸ πρότερον τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουϑενήσατε* —, *ἀλλ᾽* etc.; tertium, Apostolum v. *οὐδέν με ἠδικήσατε* et quae usque ad finem vs. 16. leguntur eo consilio addidisse, ut suas preces (*γίνεσϑε*

ὡς ἐγώ — δέομαι ὑμῶν) Galatis admittendas esse ostenderet. Nam quem Galatae olim non modo non laesissent, verum etiam summo amore praeter exspectationem amplexi essent, in eum temere odium postea concepisse, quod recte eos objurgasset. *Chrysostomus, Theophylactus, Pelagius, Calvinus, Winerus* al. Paulum verbis *οὐδέν με ἠδικήσατε* et proximis objurgationes suas (cf. III, 1. IV, 9 sq.) purgasse, quippe non ex irâ aut odio, sed ex amore et curâ natas, opinantur. Quod si P. illis v. dicere voluisset, male sane rem instituisset, tum quod verbis proxime praecedentibus v. 12. blande potius quam inclementer cum Galatis egerat, tum quia v. *οὐδέν με ἠδικήσατε* et sqq. ad illud tantummodo tempus referenda sunt, quo Christi doctrinam Galatis exposuerat. Jam quum *postea* Galatae a P. defecissent eumque laesissent, ex eo, quod tum P. nihil habuisset quod Galatis irasceretur, quum amicissime ab iis exceptus esset, eum postea, quum esset ab iis violatus, aliquas voces non exulcerato animo consignasse minime concludi poterat. Adde quod P., si illud consilium exsequi voluisset, suum potius, quem semper erga Galatas habuisset, amorem, quam caritatis documenta a Galatis aliquando sibi data commemorare debuisset. Hoc ipsum sensisse videtur *Chrysostomus*, in cujus interpretatione hîc quoque subtilitatem jure desideraveris. *Rückertus Bezae, Seb. Schmidtii, Bengelii* al. vestigia persequutus Apostolum amoris sensu perfusum verbis *οὐδέν με ἠδικήσατε* hoc dixisse putavit: *nullam mihi injuriam intulistis* h. e. pro infecto habeo quod mihi fecistis injuriae atque ignosco. Obstant huic interpretationi v. 13. et 14., quibus contraria sententia affertur. Male enim has sententias vinctas esse patet: nullâ me, quum meam disciplinam *nuper* desereretis, injuriâ *affectum esse judico* (v. 12.), scitis *potius*, me *olim, priusquam me laederetis* tanquam Dei nuntium, aut Christum Jesum *a vobis exceptum esse* (v. 13. 14.). Imo sic Paulo disputandum fuerat: nullam mihi vos injuriam imposuisse existimatote, sed etiamnum vos mihi percaros esse censete, ut ego vobis olim fui carissimus (*οὐδέν με ἠδικήσατε, ἀλλὰ φίλοι μου καὶ νῦν ἐστε, καθὼς κἀγὼ ὑμῖν φίλος ἐγενόμην, ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν καὶ τὸν πειρασμόν* etc.). B. *Schottus* interpretationem iniit aeque infelicem: *nihil mihi nocuistis deficiendo a libertate evangelicâ* (*vobis tantum hoc obfuit*), *et olim quidem* [*quin olim*] *caritatem summam mihi exhibuistis v.* 13." Nusquam *ἀδικεῖν τινα* (*injuriâ aliquem afficere*) *alicui nocere* significat nec nisi *sensu* cum *βλάπτειν* (s. *ζημιοῦν*) *τινά* interdum congruit, velut Apoc. VI, 6. VII, 2. 3. (injuria fit enim

arbori, si truncatur aut eradicatur). Confudit igitur V. D. formulae sensum cum significatu. Quare οὐδέν με ἐβλάψατε (Luc. IV, 35.) Paulo scribendum fuisse apparet. Praeterea tum quoque falsam esse *Schotti* expositionem intelligas, quum eam ad cogitandi leges exegeris. Nam si P. has sententias ex adverso collocare decreverat: „nihil *mihi* nocuistis, at *vobis*" tum οὐδὲν ἐμὲ ἠδικήσατε exarare debuerat, tum non aliam sententiam ab eâ, quam Pronomine ἐμέ adsignificasset, plane diversam verbis οἴδατε δέ, ὅτι diserte eloqui, ut priori οὐδέν με ἠδικήσατε opponeretur, ei licuerat. Scilicet non constitit sibi *Schottus*, quum δέ primum *autem* i. e. *nempe*, *et quidem*, deinde *immo* explicaret. V. 13. Voc. δέ om. D.* F. G. 76. 80. It., Aug., Ambrosiast. Nempe fraudem fecit librariis οἴδατε. Ἀσθένειαν τῆς σαρκός non aerumnas Ap. dicit, quibus corpus affligeretur, ab inimicorum odio et insectatione profectas (v. *Winer*. et *Usterium*), sed *morbum*, ut v. 14. et verba ipsa (ἀσθένεια τῆς σαρκός carnis i. e. *corporis* imbecillitas) ostendunt. Quamquam quo morbo P. tum laboraverit ignoramus (vid. ad v. 15.), nisi quod tetrum eum fuisse et foedum aspectu e v. v. 14. οὐδὲ ἐξεπτύσατε cognoscitur.*) δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκός] Plerique explicatores διά de conditione, in quâ P. tum locatus fuerit, interpretantur: *corpore afflicto*, *quum aegrotarem*. At hanc vim habet διά cum Genitivo, non cum Accusativo consociatum [v. Rom. IV, 11. XIV, 20. II, 27. et ibi not. p. 138.]. Frustra *Matthies*, ut διά cum Accusativo copulatum *de statu (bei, unter)* poni potuisse doceret, hanc potestatem e *diuturnitatis*

---

*) *Rettigius* (v. *Studien u. Kritiken* 1830. p. 109 sq.) hanc vs. 12 — 14. explicationem proposuit: *non me laesistis, meministis potius, me propter vestram imbecillitatem doctrinam christ. vobis exposuisse* i. e. me quum vobis christ. doctrinam traderem *institutionem meam ad vestram imbecillitatem accommodasse*, quando ut legi mos. prorsus valediceretis non postulavi. (Non igitur Mosis legem observando *me* laesistis.). *Et* (nam plene interpungit V. D. post τὸ πρότερον) *conditionem meam, qui Christianorum coetum caeco impetu abreptus aliquando vexassem, non sprevistis* etc. Atrâ sane die V. D. de h. l. commentatus est. Neque enim animadvertit, tum v. 12. οὐδὲν ἐμὲ ἠδικήσατε Apostolo dicendum fuisse, tum v. 13. δι' ἀσθένειαν τ. σ. εὐηγγελισάμην ὑμῖν *ad Galatas*, male quidem, relata hoc enuntiare posse: *quia vos imbecilles esse cognovi, idcirco vobis evangelium tradidi*, quod ipsi post *Hugium Einl.* II. p. 315. placuit, declarare non posse, tum v. 13. verbis τὸ πρότερον periodum temere finiri, tum e v. v. 14. τὸν πειρασμόν μου τὸν ἐν τῇ σαρκί μου nullâ machinâ id elici posse, quod iis inesse putavit.

notione, quae voci *διά* cum Accusativo conjunctae passim insit, fluxisse post *Winerum* observavit et conferri jussit formulam *διά νύκτα*, *per noctem*, *noctu* (v. Hom. Il. κ. v. 101. et Theognis v. 672. *Bekk.* — *νύκτα διὰ δνοφερήν*). Ibi enim *διά* *de tempore*, non *de conditione* locatum est neque ille usus loquutionis *διά νύκτα* fines excessit. Male enim *Winerus* eodem traxit Aristot. *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* 67. (ed. *Bekk.* T. II. p. 835.) *Λέγουσι δὲ καὶ τὸ τῆς ἄρκτου στέαρ, ὅταν διαπεπηγὸς ᾖ διὰ τὸν χειμῶνα* (*propter* frigus), *καθ' ὃν ἂν χρόνον ἐκείνη φωλεύῃ, αὐξάνεσθαι καὶ ὑπεραίρειν τὰ ἀγγεῖα ἐν οἷς ἂν ᾖ.* *) Quamobrem si haec sententia h. l. prorsus necessaria esset: scitis, me *aegroto corpore* doctrinam div. vobis exposuisse, ex Mt. d. *δι' ἀσθενείας* reponere non dubitarem. Sed quidni P. se *propter aegrotationem* Galatis doctrinam christ. tradidisse, h. e. morbum quendam suum effecisse, ut Galatarum magister exsisteret h. l. affirmarit (cf. *Flatt.*)? Certe fieri potuisse, ut P., qui iter faceret per Galatiam, quo alium locum peteret, in morbum subito delapsus ibi subsistere cogeretur itinerisque ratione commutatâ Galatas instituendos sibi sumeret, nemo negare ausit. Deinde quod *Usterius* hujus rei confessionem et ab h. l. abhorrere neque Galatis admodum honorificam futuram fuisse contendit, equidem ob id ipsum eam hîc aptissimam judico, quod adversam fortunam, non voluntatem suam ad Galatas se detulisse magistrum Paulo h. l. dicendum est. Nempe *praeter omnem* se *exspectationem* a Galatis benignissime exceptum esse Ap. v. 13. 14. enuntiat. Unde versu 13. aliquid, ob quod Galatae Paulum jure repudiare potuisse

---

*) *Schottus* p. 508. *Bengelii* explicationem revocavit: „*per ipsam* (?) *aegritudinem carnis* doctrinam div. vobis tradidi —. Id ipsum, quod *assidue* et *alacriter* inter Galatas praeconio evangelii fungeretur, *quamvis imbecillitate et aegritudine corporis laboraret*, haud exiguam vim exseruisse dicit in animos Galatarum, atque *permultum eo contulisse*, ut doctrinam div. successu felici traderet.“ Verum enim vero male in hunc l. eum usum transferas, quo Johannes VI, 57. — *κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα* (propter patrem, in quo vitae causa est i. q. *per* patrem. cf Liv. VIII, 33. — eum, *propter* quem Deûm delubra pateant —.) dixit, et si tamen transtuleris v. *δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν morbus meus fecit, ut vobis doctrinam christ. exponerem*, non — *ut vobis prospero successu Christi doctrinam traderem* declarant, nisi forte, temere quidem, *εὐαγγελίζεσθαί τινι prospero successu doctrinam christ. exponere* significare tibi persuaseris. Adde quod haec sententia: morbus meus fecit, ut *magno successu* vos instituerem ab h. l. plane remota est (v. supra).

viderentur, contineatur necesse est. Hoc *Flatti* explicatio affert (vulgo enim spernitur qui beneficia dat invitus aut amicitiam jungit necessitate coactus), non ea, quae vulgatur. Nam si P. hâc mente ad Galatas venisset ut eos edoceret, deinde quum in morbum apud eos incidisset *vel aegrotans* hanc gentem instituisset, non fuisset ei metuendum, ne ab iis male tractaretur, in quos esset officiosissimus. Accedit, quod P. jam implicatum fuisse morbo, quum ad Galatas veniret e v. 14. (— *οὐδὲ ἐξεπτύσατε, ἀλλ' ὡς ἀγγ. θ. ἐδέξασθέ με* —.) elucet. Quare *vulgata* enarratio in hunc l. parum quadrat, *Flatti* interpretatio aptissima est. *τὸ πρότερον*] Hae voces ambiguae sunt. Possunt enim tum *prius* significare, ut *bis* se in Galatiâ fuisse P. indicet, tum *antea*, ut *semel* ibi P. docuerit. Graeci enim ubi nos dicimus *früherhin, τὸ πρότερον* s. *τὰ πρότερα (in der frühern Zeit)* ponere consueverunt, quum tempus praeteritum, de quo loquerentur, animis concepissent *praesenti tempore* (*ὁ ὕστερος χρόνος*) *prius*. Cf. Herodot. 7, 75. *οὗτοι δὲ διαβάντες μὲν ἐς τὴν Ἀσίην ἐκλήθησαν Βιθυνοί· τὸ δὲ πρότερον ἐκαλέοντο — Στρυμόνιοι —*. Pausan. V, 5, 5. (II, p. 325. ed. *Siebelis*) *μετὰ δὲ τοῦτον ἐσβαλόντα ὅσοι τῶν ἰχθύων ὁμοῦ τῷ ὕδατι αὐτοῦ κατίασιν ἐς τὸν Ἄνιγρον, οὐ σφᾶς ἔτι ἐδωδίμους ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι, τὰ πρότερα δ' ἦν ἐντὸς ἁλῶσι τοῦ Ἀκίδαντος ἐδωδίμους ὄντας*. Joh. VI, 62. IX, 8. LXX Deut. II, 12. Jos. XI, 10., ubi לְפָנִים convertitur *τὸ πρότερον*. Quare P., quum hanc epistolam daret *bis* apud Galatas fuisse e v. *τὸ πρότερον* non certo consequitur (v. *Ruick.* et *Matthies*). Equidem *τὸ πρότερον* hîc interpretor *antea*. Neque enim *Ruickerto* (p. 309 sq.) assentior, qui Ap. paullo ante, quam hanc epistolam scriberet, quum Galatiam repetiisset, Galatas ad Mosis disciplinam inclinatos deprehendisse frustraque eos ad officium revocare conatum, offensum ab offensis discessisse, ut absens ultimam spem expertus literis, quos verbis non potuisset, in viam reduceret ex Gal. I, 9. V, 3. 21. intelligi opinatur. Nam rectissime haec l. de eo tempore exponuntur, quo P. Galatas ad Christi disciplinam adduxit, quandoquidem Christi doctrinâ vix initiatis haec inculcanda fuerant: *homines facinorosi in beatam Messiae civitatem non recipientur* (Gal. V, 21.); *qui unum mos. legis praeceptum observet eum totam legem servare oportet, a Christo nimirum antiquatam. Quare ne una quidem mos. caerimonia obeunda est.* (Gal. V, 3.); *veram christ. disciplinae formulam a me accepistis; quare diris devotus sit, qui eam corrumpere audeat* (Gal. I, 9.). Quid, quod P. *semel* apud Galatas fuisse eosque tum sibi obedientes habuisse Gal. IV, v. 18. et 19. docent?

V. 14. *Καί et* valet, non *nihilominus tamen (Kopp.)* aut *et tamen (Win.)* i. e. Ὅμως δέ. Nam v. 13. et 14. *unam* sententiam continent (v. supra): scitis potius, me morbo adductum doctrinam christ. vobis antea exposuisse *neque* (quo tempore id facerem) meam calamitatem, quâ corpus meum afflictum esset, vos contemsisse —. (v. Rom. I, 22. 23.). τὸν πειρασμόν μου τὸν ἐν τῇ σαρκί μου] Ita in conformatione receptâ perscriptum est. Sed μου prius om. 10. 23. 31. 76. 80. Mt. d. Syr. Theophyl. al. | ὑμῶν pro μου τόν praebent A. B. D.* F. G. 17. 39. Copt., Vulg., Hieron., Augustin. al. quod recepit *Lachm.* Idem olim *Mill.* Prol. §. 921. et ad h. l. ita probavit, ut τὸν πειρασμὸν ὑμῶν τόν contra Codd. scribi vellet. Haud dubie genuina lectio haec est: καὶ τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ σαρκί μου. Nam I. tum vulgata scriptura jure displiceat, tum quam *Lachm.* exhibuit. In illâ offensioni est μου, ut supervacaneum, quum continuo v. sequantur τὸν ἐν τῇ σαρκί μου. In hâc et structura perversa est et sententia. Si enim v. καὶ τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε sic interpreteris; *neque vestrae indolis tentamentum, quod aegro meo corpori inesset* (quo ut me repudiaretis perpelli potuissetis) *non contemsistis*, Articulum quidem (ὑμῶν τὸν) deesse non dixerim (v. *Ruick.*; nam vocc. καὶ τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου idem dicerent, quod καὶ τὸ πειράζεσθαι ὑμᾶς ἐν τῇ σαρκί μου. v. 2 Cor. VII, 7. ἀναγγέλλων ἡμῖν — τὸν ὑμῶν ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ i. q. τὸ ζῆλον ὑμᾶς ἔχειν ὑπὲρ ἐμοῦ Col. IV, 13.), sed sententiam et ab h. l. abhorrere et verbis parum aptis conceptam esse (exspectaras καλῶς ὑπεμείνατε „*in examine pulchre stetistis*“ pro οὐκ ἐξουθενήσατε, v. *Usterium)* et cum v. sq. (οὐδὲ ἐξεπτύσατε, ἀλλ' ὡς ἄγγ. θ. ἐδέξασθέ με etc.) nullo pacto coire contenderim. Sin vocc. καὶ τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου h. m. explices: *neque me qui aegro corpore affectus vobis tentationi essem sprevistis* (καὶ ἐμὲ τὸν πειράζοντα ὑμᾶς ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθ.) aptam sane sententiam habeas, sed inepte enuntiatam. Dicendum fuerat aut καὶ τὸν πειρασμὸν ὑμῶν τὸν τῆς σαρκός μου (s. τὸν ἐν τῇ σαρκί μου) οὐκ ἐξουθ., aut καὶ τὸν πειρασμόν ὑμῶν, τουτέστι τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκός μου, οὐκ ἐξουθ. II. Fluctuatio librorum neutrum Pronomen a P. profectum esse satis ostendit. Nempe ii librarii, qui τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ σαρκί μου recte ad P. morbum rettulissent, glossema adsperserunt μου post πειρασμόν; qui Pauli morbum *Galatis* examini fuisse l. obiter lecto et fortasse ultimis v. 13. v. εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον consternati affirmari temere

credidissent glossema addiderunt ὑμῶν. Quod qui tenent libri, in iis τόν excidisse non mirum est. Nam qui ὑμῶν e margine susce perunt, facile omittere potuerunt τόν, quum a πειρασμόν ad τόν oculorum conjectu aberrassent. Fieri etiam potest, ut quum in margine tum μου tum ὑμῶν notatum invenissent, de eo, quum somniarent, h. l. quaeri putarent, utrum τὸν πειρασμόν μου τόν, an τὸν πειρασμὸν ὑμῶν, quo tantundem fere spatii compleretur, exarandum esset. B. *Schotti* opinionem, facili errore scribas *MOYTON* cum *YMΩN* antiquitus confudisse, vel propterea rejicio, quod eam amplexus vel genuinum esse μου post πειρασμόν, vel glossema, cui *prius* quam alteri ὑμῶν locus in contextâ oratione daretur, credere debet. Calamitates vocantur πειρασμοί *probamenta*, quum explorari iis hominum robur ac virtutem divinitus pii homines recte statuant Luc. XXII, 28. 1 Cor. X, 13.). H. l. τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ σαρκί μου *morbum* Ap. dicit v. 13. Ac verbis τὸν ἐν τῇ σαρκί μου probamentum simpliciter describit: *meine körperliche Versuchung*. Acumen, quod *Win.* his v. indidit: calamitas, quae *corpus* affligeret, *non mentem attingeret* ab h. l. alienissimum est. *Neque corporis mei imbecillitatem, quâ divinitus explorarer, contemsistis* (sp. me contemto, qui ita corpore affectus essem), i. q. neque *me* morbo divinitus tentatum sprevistis. οὐδὲ ἐξεπτύσατε] Nemo ἐκπτύειν τινά ita usurpavit, ut esset *aliquem respuere, abominari*, quod est καταπτύειν τινός *despuere aliquem*, ἀποπτύειν τινά *respuere aliquem*, et διαπτύω τινά *conspuere aliquem* (v. *Lobeck.* ad Phryn. p. 17. et *Kypkius* ad h. l.). Ac διεπτύσατε 3. 35. Mt. d. Chrys., Theophyl. h. l. offerunt e glossem. Hom. Od. ε, 322. — στόματος δ' ἐξέπτυσεν ἅλμην πικρήν propria *exspuendi* notio obtinet. Item apud Plutarchum de fort. vel virt. Alex. orat. 1. p. 328. — καὶ πολλοὺς οὐκ ἔπεισαν· ἀλλὰ Κριτίαι καὶ Ἀλκιβιάδαι καὶ Κλειτοφῶντες ὥςπερ χαλινὸν τὸν λόγον ἐκπτύσαντες ἄλλῃ που παρετράπησαν. *exspuere* ἐκπτύω significat (exspuit enim ferociens equus frenum), neque abominationis, cum quâ Socratis praecepta ab Alcibiade aliisque repudiarentur, notio nisi ex hoc ibi nascitur, quod illi viri cum equis frenum exspuentibus comparantur. Sed P. analogiam sequutus, quandoquidem eadem, quâ ἀποπτύω τινά pollet, vi ἐκπτύω τινά a Graecis poni potuisset, ἐξεπτύσατε scripsit pro ἀπεπτύσατε, quia praecessit ἐξουθενήσατε, ut simili sono lectorum mentes percelleret: neque morbo affectum reprobastis aut respuistis —. Hujusmodi verborum acumina P. aucupatur. Cf. v. c. Rom. II, 18. Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ —. ἀλλ' — —

Ἰησοῦν] sed *tanquam genium coelestem* (cui multo majorem quam homini, honorem, amorem et verecundiam praestari consentaneum est, ergo honorificentissime, liberalissime et reverentissime *)) *me excepistis*. Quam sententiam ut fortius etiam exprimat, addit ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν, tanquam *Christum Jesum* me excepistis, geniis caelestibus majorem (Phil. II, 29. Hebr. I, 4.) et quo ampliorem legatum Deus ad homines mittere nequeat. Ceterum P. morbo laborasse quum Galatas adiret ex hoc vs. intelligitur. V. 15. et 16. *Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;*] Haec v. *Elzevirii* conformatio habet. Sed ποῦ pro τίς praebent A. B. C. F. G. 17. 31. 47. 71. 73. Syr. Vulg. Hieron. Pelag. al. Tum ἦν omittunt A. C. 17. 31. 37. 39. 47. 61. 71. 73. 76. 80. Mt. l. Theophyl. al. Ἐστὶν pro ἦν continent Mt. d. Vulg. Hieron. Sedul. et νῦν Mt. m. Quare *Lachm.* nuper ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; dedit (v. Rom. III, 27. 1 Cor. I, 20. XV, 55. Luc. VIII, 25. 2 Petr. III, 4.), quod *Usterio* et *Ruickerto* unice verum videtur. Ac bonam sane haec lectio sententiam fundit: „ubi est *igitur* (quum me tanquam augustiorem naturam olim exceperitis v. 14.) vestra beatitatis praedicatio? (i. e. eam obmutuisse moleste fero). Beatos quidem vos tum praedicabatis, qui vel oculos vestros, si fieri potuisset, erutos mihi dedissetis. Itaque gratiam vestram eo effudi, quod vera vobis objeci?" Nihilominus P. scripsisse: *Τίς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;* ejusque lectionis ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; interpretamentum esse quamquam pervetus (v. Syrum) longe certissimum est, id quod egregius *Schottus* pulchre perspexit. Ecquis enim ποῦ οὖν ὁ μ. ὑ; quo nihil planius aut aptius fingi potest, in τίς οὖν ὁ μ. ὑ.; converterit? Deinde variantes lectiones, si cum veterum interpretum observationibus contendantur, rem comprobant. *Theodoretus:* τίς οὖν ἦν ὁ μ. ὑ.;] ποῦ τὰ ζηλωτὰ τῆς πίστεως κατορθώματα; τὸ γὰρ τίς ἀντὶ τοῦ ποῦ τέθεικε. *Theophyl.:* τίς οὖν ὁ μ. ὑ.;] Διαπορεῖ καί ἐκπλήττεται καί φησι· τίς γέγονεν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; τουτέστι ποῦ ἀπῆλθεν ἐκεῖνα πάντα ἐφ᾽ οἷς ἐμακαρίζεσθε παρὰ πάντων ὡς φιλοδιδάσκαλοι; τίς οὖν ἐστι νῦν; εἰς τί μετεβλήθη ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν ἐκεῖνος; νῦν γὰρ οὐχ ὁρῶ τοῦτον, ὡς ὑμῶν ἐναντίως περὶ ἐμὲ διατεθέντων. *Oecum.:* — τίς

---

*) Alia est ratio loci, quem hic citare solent 2 Sam. XIX, 28. וַאדֹנִי הַמֶּלֶךְ כְּמַלְאַךְ הָאֱלֹהִים *rex mihi imperans ut caelestis genius est* h. e. benignissimus, cui me lubenter committam, quippe beneficiis eos cumulare solito, qui supplicio digni fuerint. Cf. v. 29.

οὖν ἦν, φησι; νῦν γὰρ οὐχ ὁρῶ αὐτόν. π ο ῦ, φησὶ, τὰ ζηλωτὰ τῆς πίστεως κατορθώματα; τὸ γὰρ τ ί ς ἀντὶ τοῦ π ο ῦ τέθεικεν. Haec qui cum discrepantibus librorum lectionibus contulerit, P. τ ί ς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; exarasse fateatur necesse est. Quod qui sic antiquitus explicuissent: *quae igitur e s t vestra beatitatis jactatio:* (i. e. *n u l l a n u n c est,* vestra felicitatis celebratio; *ubi* est quae erat? eam evanuisse aegre fero), tum vel ἐστίν post οὖν mente addiderunt (Mt. d.) vel νῦν (Mt. m.), tum τ ί ς οὖν [ἐστιν] ὁ μ. ὑ.; idem pollere quod π ο ῦ οὖν [ἐστὶν] ὁ μ. ὑ.; observarunt, quae omnia scribae deinceps asciverunt. Sed fuerunt etiam, qui post οὖν cogitando adjicerent ἦν h. s. *qualis* (h. e. quam levis, quam inconstans) igitur erat vestra beatitatis praedicatio? His quoque τίς οὖν [ἦν] ὁ μ. ὑ.; sensu convenire cum π ο ῦ οὖν [ἐστιν] ὁ μ. ὑ.; dicere licebat (cf. *Theodoret.*) neque eorum interpretationem eo valuisse, ut ἦν in nonnullos Cdd. insinuaret mirum videri potest. Ceterum hanc explanationem illâ multo aptiorem judico. Quae ut locum habere posset tempus praesens, quo Galatae Paulum vilipenderent, a tempore praeterlapso, quo P. tanquam numen de coelo ad se legatum admirati essent (v. 14.), *diserte* distinguendum fuerat: τίς οὖν ν ῦ ν ἐ σ τ ι ν ὁ μ. ὑ.; s. ν ῦ ν δὲ τ ί ς ἐ σ τ ι ν ὁ μ. ὑ.; Contra perapposite P., postquam se ut div. legatum a Galatis olim exceptum fuisse dixit (v. 14.), eorum levitatem his v. (v. 15.) accusaverit: *quam vana igitur erat vestra felicitatis praedicatio?* ut quum fortunatissimos se Galatas tum praedicavisse summum, quem illo tempore in se habuissent, eorum amorem testari addidisset, vera objurgando se in odium Galatis venisse non sine dolore proferret (v. 16.). *Wineri* expositio: *quae igitur* (i. e. quâ igitur re fulta) *erat vestra beatitatis jactatio* (i. e. quid igitur erat, quod vos tum propter meum adventum beatos praedicaretis? διατί οὖν ὑμᾶς ἐμακαρίζετε τότε;) a P. disputatione alienissima est. Neque haec admitti potest interpretatio: *q u a n t a* (v. Eph. I, 18 sq. Luc. VIII, 25. cl. Matth. VIII, 27.) *i g i t u r* (me pro numine tum a vobis excepto v. 14.) *erat, vestra felicitatis praedicatio* (v. *Oecum.* et schol. Matth.)! Nam praeterquam quod sic aptius erat δέ quam οὖν et πόσος (2 Cor. VII, 11.) s. πηλίκος (Hebr. VII, 4.), ut vocabulum magis perspicuum, quam τίς, credibile est, P. si post ea quae v. 14. dixisset pristinam Galatarum in se voluntatem verbis exaggerare voluisset, ut ea quae consequerentur praecedentium v. gravitati responderent, orationis ubertatem adhibiturum fuisse: πόσος δὲ [οὖν] ἦν τότε ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν καὶ ὁ ὑπὲρ ἐμοῦ ζῆλος καὶ ἡ εἰς ἐμὲ ἀγάπη (v. 2 Cor. VII, 7. 11.)! Ceterum v. ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν felicitatis jactationem notare, quâ

Galatae se propter P., quem magistrum sibi contigisse laetarentur, beatos praedicarent, non eam, quâ a P. aliisque quoniam magistro obsequuti essent beati praedicarentur (cf. *Theodòret.* et *Theophyl.*) contexta oratio docet. Neque ii audiendi sunt, qui τὸν μακαρισμόν h. l. et Rom. IV, 6. 9. contra usum loquendi *beatitatem* enarrarunt. Verbis μαρτυρῶ — ἐδώκατέ μοι auditas olim esse Galatarum de P., magistro suo, sibi gratulantium voces ex summo in quo Paulum tum habuerint, amore ostenditur. Ἐξορύσσειν τοὺς ὀφθαλμούς Graecis, sicut Romanis *effodere* s. *eruere oculos* dicere solemne est (v. *Wetst.*) ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι] om. ἂν (si fieri potuisset oculos vestros erutos mihi *dederatis;* cf. *Herm.* ad Soph. El. v. 902. Joh. XV, 22. XIX, 11.) A. C. D*. 17. 47., quibus solis non ita confido, ut ἂν cum *Lachm.* expungere audeam | F. G. ἐξορύξαντες καὶ ἐδώκατέ μοι *ad versionem lat.:* oculos vestros eruissetis *et* dedissetis mihi." Recte autem tantum non omnes interpretes hanc P. verbis sententiam subesse censuerunt: *testor enim vobis* (Rom. X, 2. Col. IV, 13.), *vos oculos vestros, si fieri potuisset, erutos mihi daturos fuisse* i. e. me *nihil non* pro impenso, quo me prosequeremini, amore a vobis tum impetrare potuisse. Nam oculos pro re carissimâ veteres memorare soliti sunt (v. Deut. XXXII, 10. Zach. II, 12. Horat. Sat. II, 5, 35. Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te | contemtum cassâ nuce pauperet. *Elsn.* et *Wetst.* ad h. l.). Hinc *magis quam oculos suos aliquem amare* (v. Terent. Adelph. 4, 5, 67. cf. Callim. H. in Dian. v. 211. *Καί σε δέ φασιν* | καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσον φάεσσι φιλῆσαι) pro *supra quam dici potest aliquem amare* proverbio dicebatur. Sed hanc interpretationem cum v. εἰ δυνατόν (*potuisse* enim Galatas oculos suos effodere) conciliari non posse, pro quibus εἰ ἐδεήθην ὑμῶν (Luc. V, 12.) *si vos rogassem* dicendum fuerit, quum sibi persuasissent *Lomlerus* (v. *Annalen der gesammten theol. Literat.* 1. *Jahrg.* p. 267. *Coburg u. Leipz.* 1831.), *Ruickertus* et *Schottus* ad h. l., P. vocc. proprie, non figurate explicanda putarunt et Ap. *ex oculis* tum laborasse argumentati sunt: *sanos vestros oculos erutos mihi, si fieri potuisset, dedissetis pro male affectis et insanis meis.* Quem oculorum morbum *Lomlerus* et *Schottus* ex eo repetunt, quod Paulo Damascum contendenti de coelo demissa lux oculorum aciem per tres dies aliquando praestrinxerat (Act. IX, 3. 8. 9.). Verum enim vero argumentum, quo vulgatam enarrationem illi VV. DD. evertere conati sunt, argutum est, interpretatio, quam ipsi commendarunt, mira, ne dicam ab-

surda. Potuerant sane Galatae scalpello oculos sibi effodere, sed, *si sapere vellent videri*, facere non potuerant, quod non commiserit nisi furiosus. Nihil autem P. verbis *εἰ δυνατόν* indicavit, praeterquam hoc: *sanâ mente* illud fieri non potuisse, sicut nos Germani amico dicimus: *du gäbst mir, Freund, wenn's anginge, das Herz aus dem Leibe.* Deinde absonam hyperbolen in hunc l. invexerunt: pro *duobus* meis insanis oculis vestros vos, Galatae, sanos, *nescio quot*, dedissetis, si eos erutos mihi inserere potuissetis!! Concoquerem hoc loquendi genus, si P. *uni cuidam amico* haec scripsisset: tu pro tuâ mei caritate meos insanos oculos tuis sanis permutasses. V. 16. Ita nunc P. ad v. v. 15. *τίς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;* revertitur, ut quod se etiam cariorem Galatis facere debuerit id se iis invisum reddidisse conqueratur. *ἐχθρὸς ὑμῶν*] *vester inimicus*, h. e. non sensu activo *is, qui in vos odium conceperim* (v. *Theophyl.*, *Borger.*, *Ruick.*, *Schott.* al.), sed sensu passivo *is, qui in vestrum odium incucurrerim.* Id enim Paulum h. l. queri oportet, quod Galatae incredibilem amorem in odium converterint (v. v. 15. 17.), sicut totâ epistolâ insignem prae se fert animi aegritudinem, quod Galatae se deserto jam auscultare inceperint aliis magistris legi mos. faventibus (v. I, 7. III, 1. V, 10. VI, 12.). *Schottus*, quum Dativum *ὑμῖν* expeteret, etiam Adjectivum *ἐχθρός τινι* tum active tum passive poni non reputavit. *ἀληθεύων ὑμῖν*] Male *Kopp.*: *eo quod nunc* (his literis) *vera vos doceo.* Nam epistola Galatis nondum reddita eorum animos exacerbare non poterat. Neque melius alii, qui acerbissimum sarcasmum verbis incluserunt: *eo quod vera vobis tradidi, non jud. nugas venditavi.* Recte *Win.*: *eo quod vera potius quam grata vobis dixi, quum errores vestros castigarem et vitia increparem* (V, 21. v. Terent. Andr. 1, 1, 40. — obsequium amicos, veritas odium parit. cl. Lucian. Abdic. c. 7.). Hanc interpretationem firmat v. 17., ubi Ap. homines qui *contrarium* faciant mente complexus, magistros vituperat, qui Galatis *lenocinentur.* *Itaque*, P. inquit, *proh Deus immortalis, in odium vobis eo veni, quod vera, quam jucunda apud vos loqui malui?* Quid enim aliud in vos peccaverim nescio). Ceterum cf. superius dicta p. 240. V. 17. Veritatis, quae sibi Galatarum odium pepererit, mentio v. 16. efficit, ut Paulo in mentem veniat malum adversariorum suorum jud. superstitione imbutorum (I, 7. III, 1. V, 10.) obsequium, quo Galatas suarum partium facere studeant, ut de hominibus sibi emancipatis triumphum agant (VI, 12. 13.). Id paucis v. exagitat v. 17.

Non igitur v. *ζηλοῦσιν ὑμᾶς invident vobis* (Act. VII, 9. *Kopp.*) neque *aemulantur vobiscum* i. e. *imitantur vos (Borger.)* denotant, sed *studiose- vos, amplectuntur, ambiunt, affectant vos, vestram gratiam captant (Calvin., Er. Schmidius, Win., Schott.* al. v. Plut. 7, 762. *ὑπὸ χρείας τὸ πρῶτον ἕπονται* [adolescentes facetos magistros] *καὶ ζηλοῦσιν, ὕστερον δὲ καὶ φιλοῦσιν*). Opponitur enim pravum perversorum magistrorum, qui grata quam vera loqui mallent, in Galatas obsequium ingenuae Pauli libertati v. 16. *Rückertus Calvini, Bezae* al. judicium sequutus *ζηλοῦσιν ὑμᾶς* explanat: *zelotypiâ in vos feruntur* (LXX Num. V, 14.). Comparare enim Paulum se et adversarios tanquam rivales cum procis, Galatarum coetum cum sponsâ putat. At tollitur hâc explicatione Paullinae veritatis (v. 16.) et obsequii, quo pravi doctores Galatarum peccatis male indulgerent (v. 17.) oppositio. Deinde illa procorum et sponsae similitudo ne literâ quidem h. l. indicata est. Postremo a. N. T. scriptorum ingenio ista contentio mihi abhorrere videtur. Hi judaicos scriptores sequuti, qui Jehovam marito, populum jud. uxori (Jer. III, 1 sq. Ez. c. XVI.) et Mosen *pronuba* (v. Rab. Salomo ad Exod. XXXIV, 1.) assimilare consueverunt, Christum sponsum s. maritum, Christianorum coetum sponsam, Apostolos et magistros *pronubos* animis informarunt (2 Cor. XI, 2.). Ne *se* cum procis contenderent, tum Christi, quem Christianorum coetus procum cogitare sueverant, verecundiâ tum ipsâ re impediti sunt. Quippe boni magistri erat, homines non ad suam quandam disciplinam, sed ad Christi sacra adducere (1 Cor. III, 5. Phil. II, 21.) i. e. si illâ similitudine uti placuerit: Christo proco sponsam curare pronubi, cujus est nuptias conciliare, officium religiose obeundo. *οὐ καλῶς*] *non honeste*, quum nimirum commoda sua dolose quaerant; v. v. sqq. *ἐκκλεῖσαι*] *ἐγκλεῖσαι* Syrus ܐܠܐ] [ܠܡܣܟܪܟܘܢ ܗܘܘ ܨܒܝܢ et Cdd. teste *Erasmo*. Id quî declarare possit, *sed volunt vos includere* i. q. *sibi obstringere, devincire* (v. *Win.* et *Schott.*) parum intelligo. Rectius exponas: *volunt vos includere* i. q. *in legis mos. carcerem* (tanquam in aliquod pistrinum) *compingere* (v. III, 23. cl. III, 1. V, 1.). Sed nude positum v. *ἐγκλεῖσαι* neque P., ut puto, ita usurpasset, ne que lector facile intellexisset. Perspicua sententia fuisset paucis v. adjectis: *ἀλλ' εἰς τὸν νόμον* (s. *ἀλλὰ τοῦ νόμου* v. *Lobeck.* ad Soph. Aj. v. 1261.) *ἐγκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν*. Quocirca cum *Matthaeio* sentio, qui ed. maj. *ἐγκλεῖσαι* scribarum commentum

[vitium] vocat. ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ἡμᾶς θέλουσιν] Quod *Beza* ex *ingenio* edidit, *Usterio* impense probatum, ἡμᾶς, sed, si *Birchio* fides habenda est, in Vat. 1209. aliisque legitur (v. *Matthaeium* ed. min.), egregie sane comparatum est: *ambiunt vos non honeste sed excludere me (a vobis) volunt, ut ipsos ambiatis.* Nam concinnam haec vel lectio vel conjectura praestat sententiam, in quâ ἐκκλεῖσαι ἡμᾶς θέλουσιν et ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε [ζηλῶτε] acute invicem opponantur et facile post ἐκκλεῖσαι ἡμᾶς suppleatur ὑμῶν, quum modo praecesserit ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς. Sed melius etiam habet, quod ex omnibus vel plerisque saltem libris *Bengel.*, *Griesb.*, *Knappius*, *Lachm.* al. ediderunt: ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, dummodo recte explanetur. Si enim ad unum P. rettuleris: *sed excludere vos a me parant (Grot., Beng., Win., Ruick.)*, jure aliquis μου post ἐκκλεῖσαι male omissum contendat (v. *Kopp.*). At generatim dixit P., quamquam de se potissimum cogitaret, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν *sed excludere* (removere, repellere v. Cic. de Or. I, 11, 46.) *vos volunt* np. ab aliis magistris. Sic P. hoc bene indicarit, qui Galatis blandiantur, ut sinceri et qui discipulorum saluti unice consulant amici esse videantur, inimicorum animos erga eos gerere. *Amplexantur vos non honeste, sed ab aliis vos magistris arcere volunt: ut aditu ad hos vobis intercluso ipsos amplexemini doctores.* *Chrysostomi* al. expositio: *excludere vos volunt a verâ Christi doctrinâ*, tum *Flatti*: *e. v. v. a Christianorum coetu*, *Koppii*: *e. v. v. a consuetudine suâ* et similes aliorum tum ex interpretum arbitrio natae sunt tum in hunc l. parum conveniunt. ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε] Hic qui Adverbium ἵνα agnoscere noluerit (*studiose vos appetunt non honesto consilio, sed ab aliis vos magistris sejungere volunt, ubi* i. e. *quo facto ipsos studiose appetitis, sicut facitis* V, 7. 9.; v. not. ad Matth. p. 837. et Comment. in ep. ad Gal. I. p. 186.), sed conjunctionem h. l. requiri putaverit, eum nisi ζηλοῦτε legitimam esse Conjunctivi apud alexandrinos scriptores formam ostendere potuerit, ex Mt. E. a. ζηλῶτε pro ζηλοῦτε reponere oportet: — *ut ipsos studiose appetatis.* V. etiam *Schott.*
V. 18. In ipso vs. limine ante καλόν D. E. F. G. It., Ambrosiast., Sedul. inculcant ζηλοῦτε δὲ τὰ κρείττω χαρίσματα, quae pia piorum virorum annotatio est, hominum christ. studium alio, quam quo Pauli inimici converterint, dirigendum esse observantium, ex 1 Cor. XII, 31. repetita. Nam quominus Grammaticis haec v. tribuam, ζηλοῦτε in vs. 17. fine Imperativum esse l. 1 Cor. XII, 31.

adscripto indicantibus, eo impedior, quod v. ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε ad normam l. 1 Cor. I, 31. explicanda esse nemo unquam opinatus fuerit. καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι] A. καλὸν δὲ ζηλοῦσθαι (h. e. καλόν δέ ἐστιν ζῆλον εἶναι ἐν καλῷ πάντοτε. v. 1 Cor. VII, 1. Hebr. XIII, 9.), quod a *Lachm.* editum *Ruickerto* et *Schotto* perplacet. | B. 17. 23. 39. καλὸν δὲ ζηλοῦσθε, quod *Hieron. Vulg.* al. temere sic convertunt: Bonum autem *aemulamini* (hoc est ζηλοῦτε, non ζηλοῦσθε) in bono semper. Imo mordicus tenenda est scriptura vulgata καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν κ. π. h. e. καλὸν δέ ἐστιν τὸ εἶναι ζῆλον ἐν καλῷ πάντοτε (v. Rom. XIV, 21.). Nam qui solemni confusione ζηλοῦσθε pro ζηλοῦσθαι (v. Rom. XII, 2. XIII, 5. varr. lect.) exarassent et illud temere pro Indicativo habuissent (cf. supra) non poterant non oblitterare Articulum. Inde autem factum est, ut eorum quoque qui ζηλοῦσθαι recte scripsissent unus alterve [Cd. A.] Articulum, quum praesertim non esset necessarius, praetermitteret. Ex eodem fonte Rom. XIII, 5. eorum vitiosa scriptura manavit, qui pro διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι prabent διὸ ὑποτάσσεσθε omisso v. ἀνάγκη. Non aberraverit ab hujus l. sententiâ quicunque et Paulum pro suo paronomasiae studio (Rom. III, 4.) τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ (cf. v. 17. alioquin καλὸν δὲ τὸ σπουδάζεσθαι περὶ τὸ καλὸν scribere potuisset) dixisse, ut v. 18. huic v. eandem, quam v. 17. habet, vim subjicere non necesse sit, reputaverit et hâc epistolâ diligenter lectâ id maxime Apostolum pungere meminerit, quod Galatae veram doctrinae christ. formulam ab se iis traditam et magno plausu olim exceptam deseruissent. *Pulcrum est autem*, inquit, *studium poni* (ζηλοῦσθαι *Passivum* est) *in pulcrâ re* (dicit veram Christi doctrinam ab se Galatis expositam, ab adversariis postea jud. nugis contaminatam v. V, 7.) *semper, nec tantum* (carpit Galatarum levitatem) *me praesente* (v. V, 7. III, 1. I, 6.). Pauli paronomasiam ita imitari licet: (v. 17.) *student vobis non honesto consilio, sed — ut ipsis studeatis* (v. 18.) *pulcrum est autem studium quod in pulcrâ re semper consumatur, nec* etc. Ne hunc vs. nullo cum v. 17. vinculo contineri opineris, praecipuum pondus in v. ἐν καλῷ πάντοτε repositum esse observo; quae post ζηλοῦσθαι posita Articulum τό firmare videntur. Nam alioquin P. hunc verbis ordinem daturum fuisse arbitror: καλὸν δὲ ἐν καλῷ ζηλοῦσθαι πάντοτε, καὶ μὴ κ. τ. ἑ. Hunc l. ab haud paucis interpretibus parum perceptum valde pervertit *Ruickert.*, quum eum sic enarraret: *satius autem esset*, (perversorum doctorum) *zelo-*

typiam [*invidiam*] *decore vestro* (libertatē ad quam usurpandam vos vocavi cf. V, 1.) *motam semper a vobis perferri*, *nec tantum me praesente* scil. quam ut me deserto summa ornamenta vobis eripi pateremini. At enim vero *καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι* non aliter accipi posse, nisi sic *καλὸν δέ ἐστι τὸ ζ.* nemo ignorat et mireris *philologum*, ut *καλὸν* i. q. *καλὸν ἂν ἦν* in N. T. declarare doceret, tum Matth. XVIII, 8. *καλόν σοι ἐστὶν εἰςελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν — ἢ — βληθῆναι —*. antestatum esse, tum ad Matth. XXVI, 24. *καλὸν ἦν αὐτῷ* (conduceret ei) *εἰ —*. 1 Cor. VII, 1. — *καλὸν* (conducit v. v. 8. 25.) *ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι·* et ad Rom. XIV, 21. *καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα —*. provocasse, ubi *καλόν* sc. *ἐστιν* notare *expedit* vel vs. 20. *ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ —*. ostendit. Deinde *ζηλοῦμαι invideor* valere potest *invidetur mihi*, sed *invidiam alicujus constanter perfero*, *nihil eâ moveor* nullo modo. Postremo *ζηλοῦν τινὰ ἔν τινι alicui invidere in re*, latinam potius quam graecam structuram, ne uno quidem l. munivit. Temere enim citavit LXX 1 Reg. XIV, 22. Ps. LXXVIII, 58., ubi *παραζηλοῦν τινὰ ἔν τινι bilem alicui movere aliquâ re* denotat. V. 19 et 20. Priusquam de horum vs. juncturâ disseram singula vocc. examinabo. *τεκνία μου*] *Lachm.* ex uno Cd. [G.] eoque interpolato et ex It. [*filii* mei] edidit *τέκνα μου*, plaudente *Usterio*, quia *τέκνα* Paulus (1 Cor. IV, 14. 2 Cor. VI, 13. 2 Tim. II, 1. al.), Johannes *τεκνία* (Joh. XIII, 33. 1 Joh. II, 1. al.) usurpare soleat. Mihi vero Deminutivum *τεκνία μου* eo l. satis Paullinum videtur, quo ut blanda mater filiolum, delicias suas, sic P. Galatas exosculetur. *οὓς πάλιν ὠδίνω*] Alias P. se magistrum cum *patre*, discipulos cum filiis comparat (1 Cor. IV, 15. Philem. 10.), jud. doctorum exemplum imitatus (cf. *Schoettgen.* ad h. l.). Nam ut pater filios gignit, ita magister discipulorum mentes fingit. Sed h. l. cum *matre* se contendit. Nec potest aliter, qui hoc enuntiare decreverit, se in quibus instituendis frustra antea operam consumserit, eos tam diu studiose edocturum et admoniturum esse, donec verum ita teneant, ut ad errores redire non posse videantur. Quippe genitori, ut liberos suscipiat, nec multum nec diu laborandum est. Habet enim quum genuerit. Mater tum demum infantem habet, quum enixa fuerit, non licet autem torminibus saepe cruciatae et partus doloribus nonnunquam delusae prius fetum eniti, quam maturitatem adeptus fuerit. Quare similitudinis ratio (tertium comparationis vocant) neque in partus contentione aut doloribus, neque in summo matris erga liberos

amore, sed in *diuturno* mulieris, ut infantem mater amplexetur, labore (cf. v. *οὓς πάλιν ὠδίνω ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν*) cernitur. Inconsiderate *Rueckertus* *ὠδίνειν* h. l. *utero concepisse, in utero gestare* explanavit, quum verbum apud LXX hâc potestate poni *Wolfio, Koppio* aliisque temere credidisset. Nam Jes. XXVI, 17. quoniam sermo est de gravidâ quae proxime absit a partu LXX libertate usi interpretibus concessâ הָרָה verterunt *ἡ ὠδίνουσα* i. e. *parturiens*, ut sq. v. docent: *καὶ ὡς ἡ ὠδίνουσα ἐγγίζει τοῦ τεκεῖν καὶ ἐπὶ τῇ ὠδῖνι αὐτῆς ἐκέκραξεν* —. Ps. VII, 15. *ὠδίνησεν ἀδικίαν* (יְחַבֶּל־אָוֶן) idem valet, quod in altero membro *ἔτεκεν* (יָלַד) *ἀνομίαν*. Cant. VIII, 5 *ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ μήτηρ σου, ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ τεκοῦσά σε* (*peperit te sub malo arbore mater tua*) sententiam tollat qui *in utero te habuit* transferat. Sed etiamsi *ὠδίνειν* declararet quod nunquam significat, tamen h. l. male *in utero gestare* exponeres, ubi *eniti cum doloribus cum partu necessario conjunctis* (Eur. Iph. Aul. v. 1234.) valere *πάλιν* docet, quo frustra olim tanquam abortivum fetum in lucem trusos rursus se parturire matrem iterum utero exceptos i. e. similitudine detractâ sine fructu antea institutos Galatas rursus se nunc fingere P. indicat. *ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν*] *donec formae integritatem Christus in vobis nactus sit.* Perfectus Christianus is censendus est, in quo Christus vivat (II, 20.) aut domicilium collocaverit (Eph. III, 17. Rom. VIII, 10.) h. e. cujus animum et vitam unus Christus gubernet, ut nihil tum sentiat tum agat, quod Christi praeceptis et lgibus repugnet. Idem P. praecedentis similitudinis invitatu h. l. sic exprimit, ut in perfecto Christiano *formae integritatem et perfectionem* (cum vi *μορφωθῇ* P. post *ἄχρις οὗ* collocavit) *Christum* habere significet. Esse enim Christum immaturi fetus instar in iis, qui Christo partim obsecundent partim obnitantur eumque nunc sequantur nunc oppugnent, cu jusmodi nunc quidem Galatae sint. Ne P. verbis *ἄχρις οὗ* et sqq. ab antecedente similitudine discessisse opineris, quod non *ἄχρις οὗ ὑμεῖς μορφωθῆτε.* (donec *vos* ad formae maturitatem, ut in lucem a matre edi possitis, perveneritis) scripserit, pulcre illam Apostolum persequutum esse moneo. Nempe quemadmodum fetus non censetur maturus, nisi in quo pulmones et viscera justam formam adepta fuerint, ita, si illam similitudinem persequi placuerit, eum tantummodo Christianum maturum fetum et qui partu recte edatur existimes, in quo Christus ad formae integritatem et perfectionem pervenerit. V. 20. *ἤθελον δὲ*] *δέ* om. 43. Mt. d. Chrys. | Syr. *ἤθελον*

γάρ. Hi δέ nemini suspectum reddent. ἤθελον — ἄρτι] *vellem autem in vestro coetu nunc ipsum adesse* np. si possem. (v. Rom. IX, 3. et Dissert. m. in 2 ep. ad Cor. II. p. 75 sq.). Quemadmodum quum absentis amici desiderio tenemur quod nobis ad carum hominem temporis momento alatis volare negatum sit aegre ferimus, ita Paulo, quod cum Galatis longo spatii intervallo ab se sejunctis illico congredi nequeat h. l. molestum est. Loquutio ἀλλάσσειν τὴν φωνὴν non nisi duo significare potest: unum *linguam* i. e. *orationem mutare (die Sprache ändern)* i. e. aliâ oratione uti, quam quâ hactenus usus fueris v. c. quum benigno alloquio eum compelles, quem asperius antea increpueris: alterum *vocem mutare (die Stimme ändern),* ut acutâ voce verba pronunties, quum gravi sono vocabula antea eloqui solitus fueris, aut vicissim. V. Artemid. 2, 20. Κόραξ δὲ μοιχῷ καὶ κλέπτῃ προςεικάζοιτ' ἂν καὶ διὰ τὸ χρῶμα καὶ διὰ τὸ πολλάκις ἀλλάσσειν τὴν φωνήν (corvus vocem saepe mutat; fundit enim sonos diversos ac dissimiles; cf. ibid. 4, 56.). et Dio Chrys. LIX. p. 575. C. — τῆς Ἀθηνᾶς μοι παρακελευσαμένης, ὥςπερ εἴωθε, θαῤῥοῦντα ἐπὶ τὸν ἄνδρα ἰέναι, αὐτὴν γὰρ ἀλλάξειν μοι τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνήν, ὥςτε λαθεῖν αὐτῷ ξυγγενόμενον. Illud si praeoptaveris v. ἤθελον ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου sic exponere debeas *vellem orationem meam mutare* i. e. objurgationis asperitatem, quâ vos offendi (v. 16.), in lene alloquium, quod vestrum stomachum mulceret, convertere. (Nam *Pelagii* expositio: *vocem blandientis patris in rigorem magistri veteris mutare* tum a rebus inter P. et Galatas gestis — cf. not. ad v. 16. — tum a v. 19. 20. indole, in quibus Ap. tenerrimum erga Galatas amorem expromit, remota est). Sed haec sententia languidior videtur, quam quae vs. 19. 20. ardori respondeat neque fortasse ingenuo Pauli animo satis digna est. Quocirca posteriorem rationem praefero: *Vellem,* inquit, *quum apud vos illico essem vocem mutare meam, ut quem aequo animo audire possetis magistrum, non invisum Paulum, vestri vos officii commonefacere putaretis.* V. ἤθελον ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου nude posita *vellem admonitionem variare* i. e. *hominum ingeniis accommodare (den Ton nach euch stimmen), vel severius vel lenius cum iis agere, prout eorum indoles poposcerit* (1 Cor. IV, 21. cf. *Stolz., Win., Schott.*) valere non possunt; possent si Ap. dixisset: — καὶ κατὰ τὸ ὑμῶν συμφέρον (v. *Wetst.* ad 1 Cor. X, 33.) s. κατὰ τὸν τρόπον ὑμῶν (Hebr. XIII, 5.) τὴν φωνήν μου ἀλλάξαι. ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν] Male vulgo enarrant, ut *Winer.*: „*nam* (absens) *inops sum consilii, quod ad vos atti-*

net i. e. *nescio quomodo efficaciter ad vos scribam, asperis an blandis verbis utar.*" Neque enim v. ἐν ὑμῖν *quod ad vos attinet* declarant. Deinde vocabulis ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν proximorum v. καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μόν, non remotiorum ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι rationem potissimum reddi in promtu est. Nihilo melius *Ruick.*: *nam angor sollicitudine* (2 Cor. IV, 8) *propter vos* i. e. propter salutem vestram. Est sane ἀποροῦμαι Passivum, sed ut ἐν ὑμῖν bene comparatum sit v. ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν sic resolvenda sunt: ὅτι ἀπορεῖται περὶ ἐμοῦ ἐν ὑμῖν *nam in vestro coetu de me trepidatur* i. e. nam (animis vestris a me abalienatis) haeretis quo me loco habeatis, nam sum vobis suspectus. Unde Ap. idcirco, si posset, in Galatiam illico ablatus vocem ibi mutare vellet, ne homines, apud quos Pauli nomen suspectum esset, invisi Pauli admonitiones audire sibi viderentur. Cf. Xenoph. de rep. Laced. 13, 7. Ὥςτε τῶν δεομένων γίγνεσθαι οὐδὲν ἀπορεῖται et de v. τὸ ἀπορούμενον *id de quo dubitatur, quod controversum est* Steph. Thes. p. 7381. ed. Lond. Tota, nisi fallor, epistola hanc interpretationem fulcit. Sequitur, ut de vs. 19. et 20. constructione dicam. *L. Bos., Beng., Knapp., Usterius, Schottus* al. versu 19. cum v. 18. arcte copulato novam versui 20. sententiam inesse existimant. Sed superquam quod compellatio τεκνία μου ejusmodi est, ut sententiam recte ducat (v. Joh. XIII, 33. 1 Joh. II, 1. III, 18. cl. III, 7. II, 7. 18. IV, 1. 7.), male claudat, in periodi finem rejecta hujus l. sententiam tanto magis delumbat, quanto majorem erga Galatas amorem eâ nonnullis v. locupletatâ P. testificatus est: *pulcrum est autem, studium in pulcrâ re semper consumi, nec tantum me praesente, o filioli, quos rursus parturio, donec Christus integram ac perfectam formam in vobis adeptus fuerit! Vellem autem* etc. Pejus etiam cum *Beza* v. v. 19. οὓς πάλιν ὠδίνω ἄχρις οὗ μ. Χ. ἐ. ὑ. ad πρὸς ὑμᾶς referas, ut τεκνία μου sui juris compellatio sit, quandoquidem vocabulis οὓς πάλιν ὠδίνω et sqq. similitudinem verbis τεκνία μου significatam continuari manifestum est. Pessime autem verbis v. 19. *Τεκνία μου* novam periodum exorsus v. v. 19. οὓς πάλιν ὠδίνω — v. 20. ἐν ὑμῖν sententias obiter adjectas continere putaveris et *Τεκνία μου* v. 19. cum λέγετέ μοι v. 21. consociaveris vel propterea, quod v. 21. nova disputatio instituitur, nec cum Galatis, sed cum eorum magistris legis mos. auctoritatem propugnantibus. Quin unam v. 19. et 20. sententiam constituunt, cui rei δέ v. 20. minime obstat Habet enim v. 19. compellationem, aut, si mavis exclamationem,

ad quam scriptor verba struens deinceps (v. 20.) non amplius spectet (Vide de hoc usu *Seidlerum* ad Eur. El. v. 1. et not. ad Matth. p. 693.). Est igitur v. 19. post ἐν ὑμῖν virgula collocanda. Nempe quum P. v. 18. Galatarum levitatem perstrinxisset, venit ei in mentem frustra se antea Galatas instituisse et rursus, ut sint Christiani, quorum fides et constantia non labet, eos non obiter sed diu sibi fingendos esse optatque amoris sensu perfusus, ut illico in Galatiam ablatus vocem mutare, quod fieri sane nequit, possit, ne suum lectoribus invisum nomen eos ad veram Christi formulam reverti impediat, neve Galatas, alium nescio quem magistrum se commonere opinatos, invisi Pauli vox conturbet. Itaque exclamat: *Filioli mei, quos rursus parturio, donec ad formae perfectionem Christus in vobis pervenerit!* et continuo addit: *vellem autem* (np. quo certius ac citius Christus in vobis formae integritatem nancisceretur) *apud vos illico adesse et vocem mutare meam; nam sum vobis suspectus.* His dictis quamquam omnes eos qui legi mos. se lubenter emanciparint alloquitur v. 21., tamen Galatarum corruptores, magistros judaice doctos, dicit, quibus doctâ quidem et abditâ sed plane judaicâ argumentatione refutatis v. 21.—30., ad Galatas redit v. 31. Nonnulla alia hujus epistolae l., quae et ipsa satis impedita esse constat (II, 11—21. III, 1—IV, 7. IV, 21—31. V, 16—26.), alio loco, si Deo placuerit, pertractare animus est.

Indicenda sunt Vobis, Commilitones Humanissimi, Sacra Pentecostalia die mensis Maji duodevicesimo reditura, quae pie Vos concelebraturos esse confidimus. Nihil enim his diebus pii atque honesti homines mente agitare maluerint, quam esse divinum spiritum, qui in bonis viris habitet eosque tanquam sanctissimum templum Deo consecret (1 Cor. III, 16.). Quod si sacrum spiritum animo nostro receperimus facile patiemur tum temporum injurias tum hominum calumnias freti conscientiâ optimae mentis. Ne ab officio transversum unguem discedere audeamus impedit nos sacer spiritus, vitae et consiliorum nostrorum observator et custos diligentissimus. Fortia enim et erecta consilia adjuvat, ignava et inhonesta disturbat libidinisque facibus, quibus ad pravas cupiditates inflammati fuerimus, restinctis mentes nostras componit hâc velut ex templi adyto editâ voce: *Deus intus est. Vae illi, qui ejus numen probro aut turpitudine laeserit!*

Scribebam Rostochii d. XV. mensis Maji a. MDCCCXXXIV.

Caroli Friderici Augusti Fritzsche

Theologi Rostochiensis

De loquutione Petrinâ (ep. I. c. V. vs. 5.)

τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε

COMMENTATIO*).

Quaenam sententia formulae Petrinae ep. I. c. V. v. 5. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε subjecta sit valde dubitatum est a VV. DD. Non posse hujus loquutionis vim constitui, nisi potestas verbi ἐγκομβοῦσθαι plane constet in promtu est. De quo verbo quamquam nonnulli perdocte disputaverunt [1]), tamen spero me ope-

---

*) Haec commentatio hic primum typis exscripta est.

1) Copiose de vv. κόμβωμα, ἐγκόμβωμα et ἐγκομβοῦσθαι, ut locum 1 Petr. V, 5. illustraret, disseruit *Thomas Gatakerus*, amplae vir doctrinae, in Cinno sive Adversariis Miscellaneis libro I. cap. IX. (cf. *Thomae Gatakeri* Opera critica p. 222—232. Trajecti ad Rhenum a. MDCXCVIII. fol.). Exilior est *Johannis Sibrandae*, viri in *Gatakerum* contumeliosi, commentatio de loco 1 Petr. V, 5. primum edita a. 1696, deinde repetita in Bibliothecâ Bremensi Cl. VII. Fasc. VI. p. 953 — 970. (Amstelod. MDCCXXIV. 8.). *Gatakerum* expilarunt, sed ut iis etiam uterentur, quae pauca *Sibranda* addidisset, *Suicerus* Thes. eccles. s. v. ἐγκομβόομαι (I, 996 sq. Amstel. 1728. fol.) et *Wetstenius* ad 1 Petr. V, 5. (II, 696. Amstel. 1752. fol.). Quod *Fischerus* D. V. L. N. T. p. 138. (Lips. 1791. 8.) *Suicerum* l. c. sua paene omnia *Gatakeri* diligentiae debere narravit, in ipsum quoque *Fischerum* valet. Ceterum *Fischeri* judicium sequuti sunt *Schleusnerus*, *Bretschneiderus* et *Wahlius* in Lexx. N. T.

rae pretium facturum, si ad explicandam verbi ἐγκομβοῦσθαι rationem denuo ingrediar, propterea quod qui ante *Fischerum* de eo disseruerunt loca potius cumulaverunt, e quibus accurata rei explicatio peti potuisset, quam locis ab se congestis sollerter usi sunt, recentissimi autem Lexicorum N. T. conditores id ratum habuerunt, quod a *Fischero* D. V. L. N. T. p. 138 — 141., cujus neque subtilis neque satis plena disputatio est, judicatum vidissent.

Vocabula κομβοῦν, κόμβωμα, ἀνακομβοῦσθαι, ἐγκόμβωμα et ἐγκομβοῦσθαι originem suam a voce ὁ κόμβος habent, quae *fasciam quâ aliquid connectas, limbum, nodum* (*Band, Gurt, Schleife*) declarat. Hesychius: κόμβος, κόσυμβος. Suidas: κόμβος [immo κόσυμβος]· ὁ κόμβος τῶν δύο χειριδίων, ὅταν τις δήσῃ ἐπὶ τὸν ἴδιον τράχηλον. Glossae: κόμβος· *nodus*. Vide *Joh. Sibrandam* in Bibliothecâ Bremensi Cl. VII. Fasc. VI. p. 957 sq. et *Stephani* Thes. ed. Lond. I. p. CCCLX. Vox deminutiva est τὸ κομβίον, quae *nodum, fibulam, quâ aliquid innectitur (Schleife, Heftel)*, notat. Eustath. ad Jl. κ. v. 133. (p. 794, 13.) Ἀμφὶ δ᾽ ἄρα χλαῖναν περονήσατο, ὃ ἔστι περόναις ἤγουν κομβίοις συνέδησε —. Hûc Zonarae p. 1566. glossa pertinet: πόρπη, τὸ κομβίον. Cum hoc voc. cohaeret τὸ ἐπικόμβιον *nummi fasciarum nodis annexi*. Vocabantur autem τὰ ἐπικόμβια fasciculi segmentis lineis pecuniam illigatam habentes, qui ab imperatoribus byzantinis quum coronarentur in populum spargi solerent (cf. Cantacuzeni Hist. I, 41. et *Stephani* Thes. I, p. CCCLXI.). Quum ὁ κόμβος omnino limbus fuerit, quo aliquid cingas et constringas, non mirum est, hoc vocabulum etiam de *cingulo* et *zonâ*, ac proinde etiam de *marsupio* positum esse. Nam nummos zonâ reconditos gestare veteres soliti sunt. Hesychius: κομβολύτης, βαλαντιοτόμος (crumeniseca [2]). Hinc factum est, ut verbum κομβοῦν, quod quum omnium primitivae vocis ὁ κόμβος significationum particeps esset etiam *nodare* designaret (Glossae: κομβῶ· *nodo, necto.*), *sacco indere (säckeln)*, v. c. χρήματα, et κομβοῦν τινά *aliquem in suos loculos demittere (jemanden in seinen Geldbeutel stecken) aliquem pe-*

---

2) E longinquo mihi *Albertii* explicatio repetita videtur, qui in voce τοῦ κόμβου a *nodi* significatu profectus ad Hesychii glossam κομβολύτης, βαλαντιοτόμος proprie tamen, inquit, κομβολύτης dictus qui crumenae *nodos* et ligamenta *solvit* vel dissecat. Sic κομβοῦν τινά *aliquem illaqueare* (circumvenire) fuerit, et κομβοῦν ἀργύριον *illaqueare pecuniam*, quod mire dictum videatur.

cuniâ emungere (*intervertere*) *et omnino callide defraudare, decipere* notaret. Cf. Johannis Malalaë Chronographiam l. 16. p. 109. et 110; (ed. *Bonn.* p. 395.) — καὶ ἐκ τούτου ἠπάτησε πολλοὺς (scil. Ἰωάννης Ἰσθμίος) καὶ ἐκόμβωσε πολλὰ χρήματα. — — — καὶ λαθὼν πάντας ἔφυγεν ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ ἐκόμβωσε κἀκεῖ πολλοὺς ἀργυροπράτας, ὥστε γνωσθῆναι τῷ βασιλεῖ. Καὶ συσχεθεὶς εἰςήχθη πρὸς τὸν βασιλέα καὶ προςήνεγκεν αὐτῷ χαλινὸν ἵππου ὁλόχρυσον, διὰ μαργαριτῶν ὃν τὸ κούρκωμον αὐτοῦ. Καὶ λαβὼν αὐτὸ ὁ βασιλεὺς Ἀναστάσιος λέγει αὐτῷ· ἐμὲ οὐ κομβώσεις· καὶ ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς Πέτρας κἀκεῖ τελευτᾷ. Forma κομβεῖν nihili est. Nam in Hesychio: κομβῆσαι, ἀναλαβεῖν recte emendavit *Js. Vossius* κομῆσαι, ἀναλαβεῖν (cf. Hesychium sub v. ἐκόμησεν, quod interpretatur ἔλαβεν), quum *Sibranda* l. c. p. 960. aliique κομίσαι proposuissent et *Gatakerus* l. c. p. 228. κομβῶσαι, ἀναβαλεῖν legi voluisset. Venio nunc ad vocem τὸ κόμβωμα, quam rem cirros vel nodos continentem, rem e cirris vel nodis compositam denotare ipsa forma docet. Quum igitur latissime pateat hoc vocabulum, nihil discimus ex Hesychio: κόμβωμα, στόλισμα et Suida: κομβώματα, τὰ καλλωπίσματα. Quum enim diversi generis amictus et esse κομβώματα et dici potuerint quumque credibile sit, in mundo muliebri plura, quae e vittis et cirris constarent, ornamenta fuisse, nescimus quod genus amiculi κατ᾽ ἐξοχὴν τὸ κόμβωμα vocatum fuerit et cujus modi κομβώματα Suidas τὰ καλλωπίσματα nuncupaverit. Metaphorice κομβώματα dicta sunt, quae ut nodosa fasciarum in nodos collectarum similitudinem referrent, ut *tornatae baculorum bullae* et *durus in corpore tumor, scirrhus*. Hesychius: κομβώματα, τὰ ἐν ταῖς ῥάβδοις μικρὸν τόρνον (Cd. *Schowii* χρόνον) ἔχοντα (quae in baculis nonnihil tornati habent i. e. tornati baculorum nodi, *die Knöpfe auf den Stöcken*) ὑπὸ πεταλέων. Ultima verba corrupta sunt. Codex *Schowii* ὑπὸ πεταλαίων continet, *Salmasius* ὑπὸ πετάλων conjecit, alii ὑπὸ πεταλείων. Neutrum in hâc verborum compositione me satis intelligere fateor [3]). *Hesychius*: κόμβωμα, στόλισμα,

---

3) Neque conjecturam probo a Thesauri Stephaniani editoribus Londinensibus I, p. CCCLXIV. not 5. factam: κομβώματα· τὰ ἐν ταῖς ῥάβδοις μικρὸν χρυσὸν ἔχοντα ἐπὶ πεταλείων „combomata sunt nodi s. bullae s. tintinnabula aurea, quae bracteis superinducta cum limbis vestium contexebantur.“ Firmare illi suam conjecturam studuerunt his locis: Clementis Alex. Paedag. l. 3. c. 3. p. 164. ed. Commel. εἰ γὰρ μὴ χρυσοφορεῖν καὶ

σκείρωμα (i. q. *σκίῤῥωμα*). *Abreschius* in Misc. Obs. Nov. I. 83. conjecit *σπείρωμα:* sed cf. *Lobeckium* ad Phryn. p. 204 sq. Sequitur verbum *ἀνακομβοῦσθαι*, quod *sich aufschleifen, aufstreichen, aufgürten* significat. Eustath. ad Od. ξ. p. 531. 20. *Ὅτι σπουδῆς δηλωτικὸν τὸ Ὣς εἰπὼν ζωστῆρι θόως συνέεργε χιτῶνα, ὡς ἂν τις εἴποι ἀνεκομβοῦτο* (se accinxit, vestem sibi cingulo constrinxit) *δι᾽ ἔργον, ὥστε τὰ πρὸ τούτου ἄζωστος ἦν.* Et *ἀνεκομβώσατο τὰς χεῖρας* in vitâ s. Nili Junioris p. 68. est replicato vestimento manus sibi expedivit. Dicendum nunc est de vocabulis *ἡ ἐγκόμβωσις, τὸ ἐγκόμβωμα* et *ἐγκομβοῦσθαι.* Et *τῆς ἐγκομβώσεως* quidem vocabulum *implexionem, innodationem, die Einschlingung, Einschleifung*, denotat. Vide Nicetae Choniatae de Isaacio Angelo librum III. p. 288. (ed. *Bonn.* p. 591.) *Ἐδόκει οὖν ὁ ἀνὴρ οὗτος* (Basilacius) *τοῖς μὲν πολλοῖς, ὡς ἔχω εἰπὼν, προφητικὸς καὶ προσημαίνων, τὰ συμβησόμενα, καὶ μάλισθ᾽ ὁπόσαις τῶν γυναικῶν αἱ τῶν πεύσεων ἄσεμνοι καὶ ἀσχήμανες τῶν ἐσθημάτων ἐγκομβώσεις ὡς παιδιά τις πέριεσπούδαστο γέλωτι σύμμικτος, τοῖς δ᾽ ἐς νοῦν βάπτουσι περί-*

αὐτοῖς (viris quoque, sicut muliercullis) *ἐφεῖται, ἀλλ᾽ οὖν γε διο τὴν θηλυδριώδη ἐπιθυμίαν ἱμάντας καὶ λώματα χρυσίου περιπτύξαντες πετάλοις ἤ τινα σφαιρικὰ τῆς αὐτῆς ὕλης ποιησάμενοι σχήματα σφυρῶν ἀπαρτῶνται καὶ τραχήλων ἀπαιωροῦσι.* et Basilii M. comment. in Esajam prophetam c. 3. (I, p. 466. ed. Garn.). *καὶ τοὺς κοσύμβους] οὐ πάνυ δὲ ἡ τοῦ κοσύμβου λέξις τῇ ἑλληνικῇ συνηθείᾳ καθωμίληται, ὅθεν οὐδὲ ὁ νοῦς αὐτῆς πρόδηλος. πλὴν ἡμεῖς ἐν τῇ κατασκευῇ τῆς ἀρχιερατικῆς ἐσθῆτος εὑρόντες χιτῶνα κοσυμβωτὸν* [Exod. XXVIII, 4. cl. 33. LXX], *ἔχοντα ῥοΐσκους καὶ κώδωνας, ἀποδέσμους τινὰς τῶν κροσσῶν, ἐνοήσαμεν τοὺς κοσύμβους συναπηρτημένους τοῖς κώδωσι τοῖς χρυσοῖς καὶ τοῖς ῥοΐσκοις ἀπὸ τῶν ἄκρων, οὓς ἐμιμοῦντο καθ᾽ ὑπερβολὴν τρυφῆς καὶ αἱ θυγατέρες Σιὼν ἐν τῇ περιβολῇ τῆς ἰδίας αὐτῶν ἐσθῆτος, δι᾽ ὧν ἐνύβριζον τοῖς ἱερατικοῖς ἰδιώμασιν ὑακίνθινα καὶ κόκκινα ἐγκομβώματα κροσσῶν ἀπηρτημένα τοῦ λώματος περιφέρουσαι.* cl. Procopio ad Exodum: *κόσυμβοι δέ εἰσι τὰ ἔξω τῆς χρείας κόσμου χάριν ἀπηρτημένα σφαιροειδῆ ἀπαρτήματα.* Nam primum quidem recte offendit *μικρὸν χρυσίν*, quum hîc non nisi *auri τοῖς πεταλείοις* superinducti mentio facienda fuerit. Expende Clementis verba: *ἱμάντας καὶ λώματα χρυσίου περιπτύξαντες πετάλοις.* Deinde credibile est, combomata ex vestium oris suspensos fuisse (contende *Basilium* l. l.). Atqui v. *ἐν ταῖς ῥάβδοις in* vestium limbis (cf. Pollux 7, 53.) valent. Verba igitur ejusmodi súnt, ut combomata ipsis vestium limbis insuta esse videantur et vocabula magis perspicua jure requiras. Postremo tota glossa mire ut vix intelligi possit enuntiata est: *combomata eae res sunt, quae in vestium limbis nonnihil auri habent super bracteis.* Plane autem ita dici potuisset: *κομβώματα, τὰ χρυσᾶ λώματα, ἃ περιπτύξαντες πετάλοις τῶν ῥάβδων ἀπηρτῶντο.*

ἐργόν τι καὶ γελωτοποιὸν καὶ ληρῶδες γερόντιον ἥγητο. Dicuntur ibi ἀσχήμονες τῶν ἐσθημάτων ἐγκομβώσεις *obscoenae vestimentorum replicatorum implexiones, quae faciendae erant, ut Basilacius vates mulierculis, quae eum adiissent, manum in sinum inferre posset earumque talos contemplari.* Nam paullo ante p. 287. (ed. *Bonn.* p. 590.) haec leguntur: τῶν γὰρ ἀφικνουμένων ἐς αὐτὸν γυναικῶν ἐμάστευε τοὺς μαστοὺς καὶ περιαθρῶν τὰ σφυρὰ λήρων ἐπὶ τούτοις ἦν καὶ ἀποφοιβάζων ἀδιάγνωστα λόγια. Vocem τοῦ ἐγκομβώματος *rem* declarare, *quae e nodis vel fasciis constans innecteretur* (*etwas Schleifen- oder Bandartiges, was eingeschürzt wurde*), et verbum ἐγκομβοῦσθαι *encombomate incingi, encombma sibi innectere* [4]) utriusque vocabuli origo et forma ostendunt. Item non unum vestimenti genus ἐγκόμβωμα dici potuisse, sed hoc vocabulum in plures res, quibus corpus vestiretur, quadrasse ex ipsâ re cognoscitur. Absolvitur enim τὸ ἐγκόμβωμα rei ex fasciis aut vittis compositae, quae illigetur, notione. Sic τὸ ἐγκόμβωμα non minus late patuerit, quam ἡ κοσύμβη. Sed quod verborum formae et rei ratio docent historia comprobat. Nam τὸ ἐγκόμβωμα rem e cirris, fasciis, lemniscis confectam denotasse et grammaticorum explicationes et clara scriptorum loca ostendunt. *Hesychius:* κοσύμβη· δεσμός, ἀνάδεσμα ἢ ἐγκόμβωμα. καὶ ὅπερ αἱ Κρῆσσαι φοροῦσιν ὅμοιον ἀσπιδίσκῳ. καὶ περίζωμα Αἰγύπτιον. καὶ τὸ ἐγκομβοῦσθαι. κοσσύμβη καὶ κόσσυμβος· ἐγκόμβωμα. καὶ περίζωμα Αἰγύπτιον. καὶ τὸ ἐγκομβοῦσθαι [5]). Etym. M. 311, 4. ἐγκόμβωμα· ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων, ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθοιβος, ὑπὸ δὲ ἄλλων κοσύμβη. Jes. III, 20. Aquila הַקִּשֻּׁרִים (mulierum cingula) recte vertit τὰ ἐγκομβώματα. Quidni enim limbus, quo te accingas, si praesertim e pluribus fasciis artificiose compositus aut nodis ornatus sit, ἐγκόμβωμα appelletur? Tum Basilius l., quem supra not. 3. adscripsi, diserte commemorat ἐγκομβώματα κροσσῶν encombomata, quae e cirris constant. Res autem admodum diversas ἐγκομβώματα vocatas esse non minus certum est. Cingula artificiose contexta,

---

4) Male *Fischerus* l. c. p. 141. ἐν in ἐγκόμβωμα et ἐγκομβοῦσθαι *nihil* significare contendit.

5) Verba καὶ τὸ ἐγκομβοῦσθαι utroque Hesychii loco parum accuratam alicujus loci interpretationem, cujusmodi multae apud eum inveniuntur, continere videntur. Sic μέμνησο τῆς κοσύμβης exponi potuit μέμνησο τοῦ ἐγκομβοῦσθαι.

qualia sunt mulierum, quae magnifico vestium apparatu delectantur, Aquilam Jes. III, 20. *ἐγκομβώματα* vocasse modo vidimus. Eodem, nisi fallor, referendum est Apollodori fragmentum, de quo infra uberius disputabitur: *Τὴν ἐπωμίδα | πτύξασα διπλῆν ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην* (superne cingulum mihi implicui); sin minus, de fasciis nescio quibus ibi agitur, quas mulieres epomidi super inductas sibi superne innodarent. Sane obscurus est propter suam brevitatem locus Nonii Marcelli 14, 38. (p. 542. ed. Paris. 1614): *Encombomata* et *parnacides* (recte *Gatakerus* p. 228. aliique emendarunt *ar*nacides), genera vestium puellarium. Varro, Cato, vel de liberis educandis: ut puellae habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata ac parnacidas (*ar*nacidas), quam togas. Sed hic quoque encombomota *cingula* dici, quibus puellae chlamydas vincire juberentur, non praefracte negaverim. Tantum patet, puellas haec tria, chlamydem, encomboma et arnacidem, pro unâ togâ sibi assumere juberi. Tum *ἐγκόμβωμα* binos manicarum limbos, qui circa collum implicati connectebantur, veteres nominarunt. Etym. M. 311, 4. *Ἐγκόμβωμα, ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων, ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθοιβος, ὑπὸ δὲ ἄλλων κοσύμβη. εἴρηται παρὰ τὸν κόμβον· κόμβος γὰρ ὁ ὑψηλὸς τόπος· ἀφ' οὗ τὸ κομπάζειν τινὲς θέλουσιν εἰρῆσθαι.* Suidas: *κόμβος [κόσυμβος]· ὁ κόμβος τῶν δύο χειριδίων, ὅταν τις δήσῃ ἐπὶ τὸν ἴδιον τράχηλον.* Licet sane Etymologi verba *ἐγκόμβωμα, ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων* de encombomate explicare, quod *servos* gestasse statim demonstrabimus. Qui quum encomboma multis modis ad corpus applicaverint, verisimile est, eos illud nonnunquam manicis innexuisse. Sed interpretationem supra propositam Suidas et ipse Etymologus firmant. Vult enim Etymologus, *τὸν δεσμὸν τῶν χειρίδων* recte *ἐγκόμβωμα* dictum esse ex eo ostendere, quod *ἐγκόμβωμα* a *τῷ κόμβῳ* originem trahat, *ὁ κόμβος* autem *τὸν ὑψηλὸν τόπον* declaret. Jam res effecta est, si mecum *τὸ ἐγκόμβωμα* manicarum limbos circa collum innodatos ei copulatos explanaveris. Nam hoc pacto manicarum fasciae *circa collum* connexae Etymologo, mire quidem, recte vocari idcirco videntur, quia *ὁ κόμβος* sit *ὁ ὑψηλὸς τόπος*, ut *τὸ ἐγκόμβωμα* rem *ὑψηλῷ τόπῳ* h. e. collo appensam notare queat [6].

---

6) Glossae rationem: *κόμβος γὰρ ὁ ὑψηλὸς τόπος· ἀφ' οὗ τὸ κομπάζειν τινὲς θέλουσιν εἰρῆσθαι.* parum sane perspicio. Tamen incorruptam illam esse existimo. Fundit enim argumentationem bene cohaerentem (v. supra). Certe conjectura a Thesauri Stephaniani editoribus Londinensibus propo-

Postremo *τὸ ἐγκόμβωμα* limbus vocitatus est, quem servi exomidi innexum gesserunt. Pollux 4, 18, 119. *τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόςκειται λευκόν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται ἢ ἐπίῤῥημα.* Edd. vett. *ἐπίβλημα*, plerique Cdd. *ἢ ἐπίῤῥημα* (sic), Cod. Falckenb. omnium optimus *ἐσπέρημα* (sic). *Kuhnius* conjecit *ἐπίῤῥαμμα* (assumentum), alii *ἐπίῤῥυμμα* (quod superinduitur). Si veterum editionum lectio deserenda sit, corrigendum est *ἢ ἐπίσυρμα*, quod vocabulum Polluci facile restituas 7, 14, 67. quo loco servorum encomboma diligentius describit: *Σύρμα δέ ἐστι τραγικὸν φόρημα ἐπισυρόμενον, ἐπίῤῥημα δὲ* [sic *ἐπίσυρμα δὲ*] *κωμικὸν ταινιῶδες, τὸ μὲν πλάτος κατὰ σπιθαμήν, τὸ δὲ μῆκος κατ' ὀργυιάν.* Nomen *τοῦ ἐπισύρματος* (syrmatis, quod quum trahatur paullo vagetur liberius) optime in servorum encomboma convenit, ut quod satis longum esset et cingulo innexum interdum caudae modo circa corpus volitaret. Neque multum ab *ἐπίσυρμα* in priore Pollucis loco lectio Codicis Falckenb. *ἐσπέρημα* abludit. Denique posteriore Pollucis loco post *σύρμα* apte positum sit aut *cognatum* vocabulum, ut *ἐπίσυρμα*, aut simile certe. Praestat tamen illic veterum editionum scripturam *ἢ ἐπίβλημα* tueri atque etiam 7, 14, 67. *ἐπίβλημα δέ* pro *ἐπίῤῥημα δέ* rescribere. Aptissime enim servorum encomboma, quod plerumque cingulo illigatum sinistro humero superducebatur, sinistraque manu tenebatur *ἐπίβλημα* (*amiculum, quod superinjicitur*) dictum est. Cf. Pollux 10, 42. *ἐπιβλήματα, περιβόλαια, ἐφεστίδες, χλαῖναι.* 7, 13, 49. — *καὶ ἐπίβλημα καὶ χιτών, πέπλος καὶ τὰ ὅμοια.* ibid. 50. — *καὶ ὅτι μὲν ἐπίβλημά ἐστι, τεκμαίραιτ' ἄν τις ἐκ*

---

sita (T. I. p. CCCLXIII. not. 4.): *κόμβος* (i. q. *κόμπος*) *γὰρ ὁ ποιὸς ἦχος· ἀφ' οὗ κ. τ. ἑ.*, ut ad tintinnabula aurea e manicarum fimbriis dependentia Etymologus respexerit, repudianda est. Fundamento enim caret duabus de causis. Neque enim Eustathius, ad quem provocatur, *τὸν κόμπον τὸν ποιὸν ἦχον* in universum interpretatur, sed dicit *τὸν κόμπον νῦν μὲν ἦχον δηλοῦν τινα ὀρχηστικόν, ἐν δὲ Ἰλιάδι τὸν ποιὸν ἦχον τῶν σιαγόνων τοῦ ἀγρίου συός* ad Od. Θ p. 1602, 12. *καὶ ὁ κόμπος δὲ ὀνοματοποιεῖται, καὶ νῦν μὲν ἦχον δηλοῖ τινα ὀρχηστικόν, ἐν δὲ Ἰλιάδι κόμπος, ὁ ποιος ἦχος τῶν σιαγόνων τοῦ ἀγρίου συός, ὅτε θυμούμενος ἀφρίζει τε καὶ τοιοῦτον ἦχον ἀποτελεῖ* —. cl. ad Jl. λ. p. 854, 6. Deinde tintinnabula aurea de manicarum fimbriis suspensa fuisse e Basilii loco, quem supra nota 3. attuli, minime sequitur. Memorat ille *ὑακίνθινα καὶ κόκκινα ἐγκομβώματα κροσσῶν*, quae hebraeas mulierculas *ἀπηρτημένα τοῦ λώματος* gestasse suspicatur. Dicit autem *τὸ λῶμα* quod imae vestis orae assutum est.

τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων. -- Sed priusquam quale servorum encomboma fuerit paucis complectar, magni momenti locum Etymologi 349, 42. apponam: *ἐξωμίς, χιτὼν ἅμα τε καὶ ἱμάτιον· ἦν γὰρ ἑτερομάσχαλος καὶ ἀναβολὴν εἶχεν ἣν ἀνεδοῦντο κοσύμβην· διόπερ καὶ οἱ κωμικοὶ ἐπ' αὐτῆς ποτὲ μὲν ἔνδυθι ποτὲ δὲ ἀναβάλλου φασίν· ἦν δὲ τῶν δούλων ὁ τοιοῦτος χιτών· ὁ δ' ἀμφιμάσχαλος τῶν ἐλευθέρων καὶ ἀστῶν οὐκ ἐπισκεπάζων τοὺς βραχίονας.* De *servorum* exomide Etymologus loquitur (cf. Pollux 7, 47. *χιτὼν δὲ ὁ μὲν ἀμφιμάσχαλος, ἐλευθέρων σχῆμα, ὁ δὲ ἑτερομάσχαλος οἰκετῶν. τὸ δὲ ποικίλον Διονυσίου χιτὼν βακχικός· ἡ δ' ἐξωμὶς καὶ περίβλημα ἦν καὶ χιτὼν ἑτερομάσχαλος*) et quem limbum, quem (servi) sibi alligaverint, ut amiculum exomidem habuisse dicit, is non est nisi servorum encomboma. Non igitur Salmasii conjectura *καὶ ἀναβολὴν εἶχεν ᾗν ἀνέδουν τῷ κοσύμβῳ* idoneo sensu destituta ferri potest. Neque enim pallium i. e. exomidem alligarunt encombomati, sed encomboma exomidi. Ferrem *καὶ ἀναβολὴν εἶχεν ᾗ ἀνέδουν τὴν κοσύμβην*, ut Etymologus ipsam exomidem *quatenus pallium esset ἀναβολήν* dixerit cl. Etym. 349, 51. *ἐξωμὶς, χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον· τὴν ἑκατέρου γὰρ χρείαν παρείχετο, χιτῶνος μὲν ὅτι ἐζώννυτο, ἱματίου δὲ ὅτι ἀνεβάλλετο,* si justa esset vulgatam scripturam mutandi causa. Itaque servorum encomboma *albus erat lemniscus, qui dodrantis latitudinem, sex pedum longitudinem habens exomidi* (exomidis cingulo) *innectebatur (eine weisse, eine Spanne breite und sechs Fuss lange Schärpe der Sclaven, welche in die Exomis eingeschleift getragen wurde* [7]). Sed parum tamen explicatam encom-

---

7) Viri Docti, Pollucis, ut videtur, verbis 4, 18, 119. *τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόςκειται λευκόν* decepti servorum encomboma *palliolum* exomidi superinjici solitum fuisse putarunt atque ita disputarunt, ut iis distincta rei notio defuisse videatur. Sic *Gatakerus* l. c. p. 230. contra *Heinsium* disputans *τὸ ἐγκόμβωμα* a Polluce commemoratum *palliolum quoddam candidum et pro servili conditione vile satis fuisse* concedit. *Fischero* l. l. p. 138. *τὸ ἐγκόμβωμα* maxime de genere quodam *brevis pallii* dici videtur, „quod reliquis vestibus superinjecerint non tantum servi, *sed etiam mulierculae* (?) et viri ingenui, et quod nomen inde traxerit, quod cervicibus circumstrictum in *fibulae* morsu humeris acquieverit, vel quod nodis connexum constrictumque ex humeris dependerit, *ita ut ii, qui hoc palliolo amicti essent, sibi vehementer placerent seque in primis ornatos putarent* (!).“ *Fischerum* diversas res commiscuisse et nonnulla etiam finxisse patet. *Schneiderus* in Lexico gr. s. v. *κόμβος* et *Passovius* s. v. *ἐγκόμβωμα* servorum encomboma candidum palliolum fuisse putant, quod servi exomidi superinduerint, *ne exo-*

bomatis notionem haberemus, nisi personae Terentiananae rem illustrarent picturaeque encomboma oculis subjicerent. Contende quaeso hos libros: Commentatio de personis, vulgo larvis seu mascheris, *von der Carnevals-Lust*, critico, historico, morali atque juridico modo diligenter conscripta a Christoph. Henr. Nob. Dom. *de Berger*. Francofurti et Lipsiae 4. sine anno (picturae post paginam 128. adjectae sunt) et M. Acci Plauti fragmenta inedita, item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae inventore *Angelo Maio* Mediolani 1815. 8. p. 47. Consulto *Dacieriae* nullam mentionem feci, quum ea ut mulier personas magis oxornaverit, quam historia et rei veritas pateretur. Et primum quidem gestasse eum quem Pollux descripsit lemniscum servos picturae apud *de Bergerum* et *A. Maium* docent. Nam fere semper gerunt encomboma servi et si quando eo destituuntur (vide apud *de Bergerum* tabulam 20. 89. 90. et 110.), causa idonea patet, cur abjecerint (cf. infra). Interdum etiam ancillae encomboma habent, ut Mysis apud *de Bergerum* tab. 22. Deinde legitimum et maxime usitatum gerendi encombomatis modum hunc fuisse, ut a tergo illigatum cingulo sinistro humero superduceretur et sinistrâ manu teneretur illae picturae ostendunt. Ita enim non solum saepissime servos encomboma tractantes repraesentant, sed etiam tum maxime hunc iis habitum tribuunt, quum neque faciendae gesticulationes neque obeunda negotia vel replicationem vel amotionem encombomatis postulabant (cf. apud *de Bergerum* tab. 18. 32. 33. 34. 36. 53. 55. 57. 64. 65. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 77. 85. 90. 94. 100. 103. 104. 105. 107. 111. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 123. 124. 125. 127. 141. 142. 144. 152. 153.). Cingulo autem a tergo innexum esse encomboma nonnullae picturae planum faciunt (vide apud *de Bergerum* tab. 33. 36. 57. 65. 67.). Denique etiam aliter et diversis quidem modis encomboma a servis in illis picturis gestatur, quorum nonnullos afferam. Cingulo solutum cervicibusque circumplicatur ambabus tenetur manibus (vide apud *de Bergerum* tab. 24. cl. 29. et 35.: cingulo solutum apud sinistroque humero superimpositum sinistrâ manu tenetur dextroque brachio circumvolvitur (vide *de Bergeri* tabulam 10.): dextro humero

---

midem inquinarent, ergo aliquod genus subligaculi. Quod falsum esse intelliges, si τὸ ἐγκόμβωμα Polluce auctore non nisi spithamae latitudinem habuisse memineris et Terentianas servorum personas apud *de Bergerum* et *Angelum Majum* contuitus fueris. Unus, si recte memini, *Hermannus*, vir summus et pie mihi colendus, in scholis de Atheniensium theatro quale servorum encomboma fuisset e Polluce recte explicato docuit.

superinjectum in sinistrâ corporis parte requiescit cingulo illigatum (cf. *de Bergeri* tab. 11.): cingulo implicati altera lacinia sinistrâ manu comprehenditur, altera, ne terram verrat, dextro brachio sustinetur (v. *de Bergeri* tab. 14.): sinistro humero impositum sinistrâ manu tenetur neque in anteriore neque in posteriore corporis parte cingulo inditum (v. *de Bergeri* tab. 23.): cingulo in tergo sic implectitur, ut lacinia usque ad extremam exomidis oram dependeat (v. *de Bergeri* tab. 91.): sinistrae manui alligatum dextroque humero superinjectum ita dextrâ manu tenetur, ut circa corpus volitet: v. *A. Maium* l. c. Sunt etiam nonnullae servorum personae, quae encombomate prorsus careant, ut supra monuimus. Quas picturas qui diligenter contemplatus fuerit locis ad quae pertinent collatis, is facile intelligat, servos tum aut ab usitatâ encomboma gerendi ratione discessisse, aut encomboma deposuisse, quum vel sententia actione adjuvanda vel aliquod peragendum negotium postulasset, ut vel alio quam qui maxime solemnis esset modo ad corpus applicaretur, vel etiam deponeretur. Hanc rem Longi locus Pastor. l. II p. 59. *Villois.* egregie confirmat, ubi Tityrus, Philetae bubulci filius, qui pro servili conditione [8]) encomboma gestat, fistulam afferre jussus, quo celerius currat, encomboma abjicit: — Ὁ μὲν, ῥίψας τὸ ἐγκόμβωμα, γυμνὸς ὥρμησε τρέχειν ὥςπερ νεβρός. Nam encomboma sive manu prehenderis sive paullo liberius circa corpus vagari passus fueris cursum retardat, quem multo majori celeritate conficias passis manibus et corpore expedito. Male *Schneiderus* in Lex. gr. s. v. κόμβος τὸ ἐγκόμβωμα h. l. ipsam tunicam denotare dixit, motus, ut videtur, voce γυμνός. At eam hîc non absoluto sensu, quo nudum vocamus plane non vestitum, sed relativo, quo nudum eo vestimento carentem, de quo agi vel ante dicta vel res ipsa doceat, appellamus collocatum esse elucet (v. ערוֹם Jes. XX, 2. Virg. Georg. I, 299. nudus ara, sere nudus, et *Gatakerum* l. l. p. 228.). Ad encomboma igitur γυμνός h. l. refertur et encombomate levatum designat.

Si quaeras, *cur* servi encomboma gesserint, respondeo *signum* fuisse, quo dignoscerentur ab ingenuis. Nam horum quoque nonnulli et quidem aetate provecti potissimum et tenuioris conditionis homines exomidem gestarunt. Igitur encombomate exomidi incincto

8) Nempe Philetas ceterique pagani, quos Longus in scenam producit, servi sunt: liber unus est Dionysophanes, qui eos lauto convivio excipit l. IV. p. 133.

servi cognoscebantur. Nunc justum nonnullis glossis pretium statui potest. Hesychius ἐγκομβωθείς, δεθείς. ἐγκεκόμβωται, ἐνείληται. ἐγκομβώσασθαι, ἐπισωρεύσασθαι (sic), στολίσασθαι. *T. Hemsterhusius* conjecit ἐπιπορπώσασθαι, sed fortasse Hesychius scripsit ἐπισύρασθαι (v. supra). Zonaras: ἐγκομβώσασθαι στολίσασθαι. Oecumenius ad 1 Petr. V, 5. ἐγκομβώσασθε δὲ ἀντὶ τοῦ ἐνειλήσασθε, περιβαλέσθε et schol. Cd. Coislin. 26. ἐγκομβώσασθε, ἀντὶ τοῦ ἐνειλήσασθε, περιβαλέσθε, ἢ ἀναστείλασθε. Sane sumto encombomate *vinctus* (δεθείς) es. Item ad corpus accommodato encombomate *potes* te involvere (ἐνειλεῖσθαι), lemniscum ut volitantem caudam tecum abstrahere (ἐπισύρεσθαι) et te *succingere* (ἀναστέλλεσθαι), sed *non debes* (cf. supra). Itaque hae interpretationes ex ejusmodi locis petitae, in quibus aliquis vel encombomate, se involvit, vel eo se succinxit, vel lemniscum dimissum vagari sivit, verbi ἐγκομβοῦσθαι vim non exprimunt. Minus etiam hae glossae verbi naturam exhauriunt: στολίζεσθαι et περιβάλλεσθαι. Latius enim patent, quum *se vestire, amicire* declarent, eo verbo, quod explicandum erat. Nunc de Apollodori et Epicharmi fragmentis, quae ex eodem, quo Photius epist. 156. 9) usus est, fonte hausta Suidas et Etymologus habent, disputandum mihi est. Continent enim verbum ἐγκομβοῦσθαι. Suidas: Ἐγκομβώσασθαι. Ἀπολλόδωρος Καρυστίοις ἀπολιποῦσι (l. Καρύστιος ἀπολιπούσῃ: vide Athenaeum

---

9) Θαυμάζω μάλιστα, εἰ καὶ σοὶ γραμματικευομένῳ καὶ ταῖς τῶν ποιητῶν λεσχηνεύοντι μελέταις τὸ ἐγκομβώσασθαι βαρβάρου φωνῆς, ἀλλ' οὐχ ἑλληνικὴ λέξις, ἔδοξεν. Ὁ μὲν γὰρ μακάριος καὶ κορυφαῖος Πέτρος, οὐδὲν περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ἑλληνικῶν ὀνομάτων σπουδάζων, ταύτην τοῖς ἑαυτοῦ παρείληφε γράμμασιν· οὐ γὰρ ἠχώ τινα καὶ τέχνην ῥημάτων, οὐδὲ λεξιδίων ψόφον καὶ κτύπον ῥημάτων, δι' ὧν τινες τὰ τῶν μειρακίων ὑπογαργαλίζουσιν ὦτα καὶ κρότον ἑαυτοῖς ἐγείρουσιν ἐκεῖθεν, ἀλλὰ ψυχῶν σωτηρίαν τοῖς ἀκροαταῖς ἐνθεῖναι φροντίδα ἐτίθετο. Σὲ δὲ οὖν Ἐπιχάρμου μάλιστα καὶ Ἀπολλοδώρου τοῦ Καρυστίου τῶν σῶν μεμνημένον, ἐχρῆν περιπτύσσεσθαι μᾶλλον ἢ δυσχεραίνειν τῇ λέξει. Ὁ μὲν γὰρ πολλαχοῦ καὶ κατὰ διαφόρους ἐγκλίσεις σχηματίζων τὴν λέξιν ἐχρήσατο ταύτῃ. Ἐγκεκόμβωται γάρ φησι καὶ ἀπαρεμφάτως ἐγκομβώσασθαι. Ὁ δὲ Καρύστιος ἐν ἀπολειπούσῃ (εἰρήσθω γὰρ εἰς τὴν σὴν χάριν καὶ ἡ χρῆσις) τὴν ἐπωμίαν (l. τὴν ἐπωμίδα), φησί, πτύξασα διπλῆν ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην. Οὓς ἐχρῆν ἀναλαμβάνοντα μὴ βαρβαροφωνίας τὸν τῆς ἀληθείας κήρυκα αἰτιᾶσθαι, ὑπερθαυμάζειν δὲ μᾶλλον, ὅτι καὶ τῆς τοιαύτης σπουδῆς ὡς παιδιᾶς ὑπερορῶν ὅμως κατὰ τοὺς τῶν ἑλληνικῶν κριτὰς ὀνομάτων ἐστὶν οὗ (i. e. *aliquando*: temere *Toupius* in l.: Emendationes in Suidam et Hesychium T. I, p. 158. conjecit ἐστὶν οὕς,) τὰς ἑαυτοῦ ἐπιστολὰς ἐξεδίδου.

III, 125. a., Photium epist. 156. et *Gatakerum* l. c. p. 228. et 231.). Τὴν ἐπομίδα πτύξασα διπλῆν ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην. Ἐπίχαρμος· Εἶγε μὲν ὅτι κεκόμβωται καλῶς. Ἀμύκῳ. Etym. M. 311, 4. sqq. Ἐγκόμβωμα — — — — —. Ἀπολλόδωρος — τὴν ἐπωμίδα πτύξας διπλῶς ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην: — Ἐπίχαρμος, Εἶγε μὲν ὅτι κεκόμβωται καλῶς. Ἀμύκῳ. Et Apollodori quidem fragmentum ita cum Photio (v. supra not. 9.) et Suida scribendum est:

— τὴν ἐπωμίδα
πτύξασα διπλῆν ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην.

Nam feminam loqui ex *epomidis*, quae muliercularum vestis erat, mentione apparet. Pollux 7, 13, 49. καὶ ἴδια δὲ γυναικῶν ἐπωμίς, διπλοΐδιον, ἡμιδιπλοΐδιον κτλ. Διπλῆν probo ut lectionem doctiorem. Etymologi διπλῶς glossema redolet. Videtur quae verba facit mulier verbo ἐνεκομβωσάμην ad artificiose contextum cingulum respicere (v. supra). Sed qualecunque tandem encomboma dixerit, certe ἐγκομβώσασθαι ibi valet *encomboma sibi implicare.* Difficilius est de Epicharmi fragmento, quod in verbis εἶγε μέν haud dubie corruptum est, recte judicare. *Toupius* (Emendationes in Suidam et Hesychium Vol. I. p. 156 sq.) hanc conjecturam fecit:

Εὖγε μέν, ὅτ' ἐπωμὶς ἐγκεκόμβωται καλῶς.

Bene est, quod epomis mihi recte et decore constricta est.

Gravibus hanc conjecturam *Porsonus* impugnavit argumentis Append. ad *Toupii* Emendatt. p. 444. Quid in Epicharmi versu agat μέν negat se videre: εὖγ' ὅτι in Aristoph. Nub. v. 866. *Dind.* (εὖ γ' ὅτι ἐπείσθης.) legi fatetur, sed εὖγε μὲν ὅτι nusquam inventum iri putat: praeterea ι in ὅτι contra comicorum consuetudinem elidi parumque sibi placere ἐπωμίς articulo destitutum observat. Adde quod Toupius ἐπωμίς ex Apollodori fragmento sumtum sine ullâ ratione inseruit. Ipse *Porsonus* quod fugiat se habere, quod sequatur non habere omnibusque fere in rebus et maxime in criticis ut Cotta apud Ciceronem D. N. D. I, 21, 60., citius quid non sit, quam quid sit dicturum esse affirmat. Quod magni Critici judicium conjectandi libidinem reprimat. Nihilominus recte *Toupium* ἐγκεκόμβωται rescripsisse dixerim. Diserte enim Photius l. l. (cf. not. 9.) in Epicharmo ἐγκεκόμβωται legi testatur. Praeterea mihi haec conjectura:

Ὡς εὖγε μήν, ὅτι ἐγκεκόμβωται καλῶς.

quam pulcre vero cecidit, quod encomboma bene sibi adaptavit, non prorsus spernenda videtur. Nam et facilitate commendatur, quando-

quidem ὡς post Ἐπίχαρμος in Suida et Etymologo facile periit, et justum senarium s. trimetrum comicum facit [10]), et idoneam praebet sententiam. Quemnam Epicharmus loquentem introduxerit, sane nescimus. Sed sententia ejusmodi est, ut *in servum* dicta esse potuerit. Illud certum est, ἐγκομβοῦσθαι hic quoque *encomboma* (qualecunque tandem fuerit) *sibi incingere* denotare. Ἐγκόμβωμα *non atticum* esse vocabulum Etym. M. 311, 4. Ἐγκόμβωμα, ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων, ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθοιβος, ὑπὸ δὲ ἄλλων κοσύμβη testatur. Firmant hoc testimonium attici scriptores, qui se ab illo voc. prorsus abstinuerint. Videtur in Siciliâ natum esse verbum, quum quos primum eo usos esse scimus, Siculi fuerint, Epicharmus et Apollodorus Gelous. Scilicet comoediam ἀπολιποῦσα nominatam Apollodore *Geloo* diserte tribuit Athenaeus III, 125. a. (I, 285. *Dind.*), cujus major est quam Photii et Suidae comoediam ad Apollodorum Carystium i. e. Euboicum poëtam referentium auctoritas. Ceterum cognomines poëtas comicos *Apollodorum* Carystium et *Apollodorum* Geloum saepe tum antiquitus tum recentiore memoriâ confusos esse jam *Gatakerus* l. c. p. 231. monuit.

Quae de servorum encombomate disseruimus egregie illustrant nobilissimum Petri locum I, V, 5. Ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις· πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, ὅτι ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Apostolus juniores hortatus, ut senioribus se non magis subjiciant, quam senioribus cedendum sit junio ribus, quum in coetus christiani gubernatione iis non suorum commodorum ratio habenda sit, sed juniorum saluti prospiciendum v.

---

10) Obiter moneo, *Winerum* Gr. p. 562. ed. 4., ubi loca recenset, in quibus N. T. scriptoribus versus exciderint, nonnunquam errasse. Sic Hebr. XII, 26. hunc pentametrum formavit:

οὗ ἡ | φωνὴ | τὴν | γῆν ἐσά | λευσε τό | τε.

At hic nullus versus est. Namque οὗ ἡ intolerabilis hiatus est et τὴν a γῆν male per caesuram separatur. Minus etiam 1 Cor. V, 6. versum investigare potui, ubi V. D. trimetrum acatalecticum invenit:

ὅτι μι | κρὰ ζύ | μη ὅλον | τὸ φύ | ραμα | ζυμοῖ.

Nam in μικρά prior syllaba producitur et μη ὅλον inauditus et qui ferri plane nequit hiatus est. Et, si haec vitia poëtae condonari possent *Hipponacteus scazon*, qui in fine spondeum (ζυμοῖ) haberet, exsisteret.

1—5., omnes lectores oratione in eos conversâ admonet, ut, *quemadmodum servi heris se modeste submittant*, ita unus alteri tanquam minor majori cedens obsequiosum modestumque se praebeat. Quod Apostolus praeclare sic enuntiat: *πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε* i. e. *omnes autem lubenter alter alteri cedentes modestiam vobis pro servorum encombomate incingite: ihr alle aber schleift euch, indem sich einer dem andern unterwirft, die Sclavenschärpe der Demuth ein.* Declarant servi implicato encombomate, se heris obnoxios esse: ita vos omnes alterum alteri obnoxium esse sumtâ modestiâ ostendite. *Vestrum,* quos ut homines christianos vobis mutuo servire oportet, *encomboma sit modestia!*

Lectio vulgata sanissima est. Damnavit *ὑποτασσόμενοι,* quod A. 13. 27. 29. 68. Barb. 1. Syr. Copt. Arm. Vulg. Harl. Antioch. non agnoscunt, *Millius* Proleg. §. 1502. et *Griesbachius,* expunxit *Lachmannus. Millius* l. c. haec scripsit: „*Πάντες δὲ ἀλλήλοις* (*ὑποτάγητε* scil.). Lector quispiam, qui haec relata volebat ad sequentia, adjecit in sententiae supplementum ad marg. *ὑποτασσόμενοι,* quod irrepsit postea in textum.“ At praeterquam quod haec nimis abrupta oratio est: *Ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις· πάντες δὲ ἀλλήλοις* (scil. *ὑποτάγητε*)*· τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, ὅτι κ. τ. ἑ.*, neque verba permittunt, neque sententia, ut cum *Millio* sentiamus. Inepte enim esset eloquutio: et debebat Petrus si quod *Millio* visum est dicere voluerat id aut his verbis enuntiare: *ὁμοίως νεώτεροι πρεσβυτέροις, καὶ πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτάγητε τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβωσάμενοι, ὅτι* etc. aut his vocc. exprimere: *ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις· καὶ πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτάγητε τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβωσάμενοι, ὅτι* etc. Deinde quum encombomatis illigatio documento esset, fateri se aliquem servum esse et hero auctoritate cedere, ea quoque res scripturam quae vulgatur corroborat (*omnes* autem, *alter alteri cedentes modestiae encomboma* vobis incingite) neque nos voce *ὑποτασσόμενοι* carere posse docet. Idem quod *Millio* visum est, librario Cd. 9. placuit qui ex *ὑποτασσόμενοι* fecit *ὑποτάσσεσθε.* Melius tamen *Millius,* quam *Lachmannus* hîc versatus est, qui deleto v. *ὑποτασσόμενοι,* vocabula sic interpunxerit: *ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις, πάντες δὲ ἀλλήλοις τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, ὅτι κτλ.* Est enim *ἐγκομβοῦσθαι sibi,* non alii, encomboma innectere. Itaque *ἀλλήλοις* cum *τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε* consociari nequit: posset *ἀλλήλοις*

τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσατε connecti. Sed hoc in uno Cd. A. lectum pessumdat sententiam quandoquidem Apostolus h. l. lectores monere debet, ut quisque modeste de se sentiat, non ut alios modestos reddat. Non patet ratio palaeographica, quae effecerit, ut *ὑποτασσόμενοι casu* excideret. Itaque *de industriâ* sublatum esse existimo, postquam vel vulgatâ loci lectione depravatâ vel verbi *ἐγκομβοῦσθαι* ratione parum perspectâ aut parum aptum aut supervacaneum visum est. Sic A. simul *ὑποτασσόμενοι* omittit, simul *ἐγκομβώσατε* continet (*omnes autem vobis invicem modestiae encomboma innectite:* v. supra). Is igitur *ὑποτασσόμενοι* praetermisisse videtur ut ineptum aut superfluum. Alios *ὑποτασσόμενοι* induxisse credo, qui quum *τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε* et legissent et recte interpretati essent, tamen esse encomboma *servilis conditionis signum* non in tempore meminissent. Hoc de Syro dixerim, qui verba sic convertit: ܘܐܬܥܛܦܘ ܡܢ ܠܒܪ ܡܟܝܟܘܬ ܪܥܝܢܐ ܠܘܬ ܚܕ̈ܕܐ. Haec v. alii sic interpretantur: et amicite vos *per praecinctum* mansuetudine animi coram vobis invicem, alii (v. c. *Gatakerus* l. l. p. 227.) ita exponunt: et vestite vos *extrinsecus* animi mansuetudine coram vobis invicem. Illud si Syrus voluit eo respexit, quod encomboma *cingulo* innectebatur, hoc si dixit, eo spectavit, quod encomboma exomidi *superinjiciebatur.* Sed sive hoc sive illud ei placuit, Participium *ὑποτασσόμενοι* non concoxit, quum Apostolum encomboma pro re commemorasse, quâ servi ab ingenuis dignoscerentur, ut qui encomboma sibi incingerent servilem suam conditionem agnoscerent, non vidisset [11]). Fieri etiam potest, ut, quum antiquitus scriptura *πάντες δὲ ἐν ἀλλήλοις* exstitisset, *ὑποτασσόμενοι* deleretur ut extra structuram positum rationeque destitutum. Ea lectio in Syri ܠܘܬ ܚܕ̈ܕܐ deprehendi potest. Sed eum *ἀλλήλοις quoquo modo* vertisse verisimilius esse existimo. *Ἐγκολπώσασθε* et *ἐγκολπίσασθε*, quod pauci Cdd. pro *ἐγκομβώσασθε* offerunt (v. *Wetst., Griesb.* et *Matthaeium* ed. maj. et min. ad hunc l.) aut correctiones sunt librariorum, qui *ἐγκομβώσασθε* a nonnullis

11) *Fischerus* l. c. p. 139. opinionem suam, fuisse *τὸ ἐγκόμβωμα genus quoddam brevis pallii* eo firmare studuit, quod Jes. III, 21. מִטְפַּחַת *pallam* declaret et Syrus h. l. *ἐγκομβώσασθε* verterit ܐܬܥܛܦܘ. At convertit ille *ἐγκομβώσασθε* verbis ܐܬܥܛܦܘ ܡܢ ܠܒܪ eâ de causâ, quam supra diximus.

male ἐγκομ π ώ σασθε scriptum, ut in Complutensi exemplo est, non intellexissent (cf. *Fischerum* l. l. p. 140.) aut parum accuratae verbi ἐγκομβώσασθε explicationes, ut ἐνειλήσασθε, περιβαλέσθε et hujus generis aliae (v. supra). Sed ne his quidem quisquiliis receptis ὑποτασσόμενοι oblitterari potest. Est enim ἐγκολποῦσθαι τι *sibi* (non alii) sinum ex re facere et ἐγκολπίζεσθαί τι in *suum* sinum aliquid recipere (non alii aliquid in sinum inferre). Vulgatus, quum verteret: omnes autem invicem humilitatem *insinuate*, ἐγκολπί σ α σ θ ε reddidit, sed id confudit cum ἐγκολπί σ α τ ε.

Quum nemo non iis usus, quae a me disputata sunt, errores ab interpretibus in loci Petrini expositione commissos refutare possit, in iis redarguendis longus esse nolo. *Erasmus*, *Sibranda* l. c. §. 28. p. 964 sq., *Dresigius* de verbis Mediis 42. p. 252., *Passovius* in Lex. gr. s. v. ἐγκομβοῦσθαι aliique τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε sic explicuerunt: modestiam vobis innodate, innectite *(bindet sie euch ein)*, ut tam animis infixa sit, quam encomboma indutum nodoque alligatum corpori assidere solet. Significat ἐγκομβοῦσθαι *encomboma cingulo sibi innectere*, non ita incingere, *ut corpori affixum haereat.* Multo minus ostendi potest, ἐγκομβοῦσθαί τι metaphorice hoc sensu usurpatum esse: aliquid sibi ita innodare, ut quemadmodum incinctum encomboma sedeat. Nimirum Hesychii glossae, quibus illi abusi sunt, ἐγκομβωθείς, δεθείς. ἐγκεκόμβωται, ἐνείληται. rem pro arbitrio sumtam minime comprobant (v. supra). *Gatakerus* l. l. p. 229. 230. ita interpretatus est: modestiâ vos *ornate*, ut virgines ingenuae encombomatibus se ornant. Sed ut encombomata feminarum ornamenta fuerint (cf. supra), tamen vel argumentum loci Petrini ostendere potest, Apostolum ad *servorum* encombomata respexisse. *Fischeri* l. c. p. 141., *Matthaeii* ed. min. ad h. l. aliorumque judicio v. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε nihil nisi *modestiam induite* (i. q. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐνδύσασθε, v. Col. III, 12.) i. e. omisso tropo *modestiam sequimini* enuntiant. Quibus objici potest, si nihil aliud nisi hoc Petrus dicere voluisset: *vestite vos modestiâ, modestiâ vos induite* i. e. *instruite* (v. *Gatakerum* l. c. p. 223. et *Kypkii* Observ. s. I, 345 sq.), mirum videri, quod verbum tam insolens (ἐγκομβώσασθε), quam simplex et in hâc re usitatum ἐνδύσασθε ponere maluerit. Neque ἐμπορπᾶσθαί τι (3 Macc. VII, 5. νόμον Σκυθῶν ἀγριωτέραν ἐμπεπορπημένοι ὠμότητα), ad quod provocatur, simpliciter rem sibi *tanquam vestem* infibulare, *aliquid sibi induere* notat, sed aliquid sibi pro *chlamyde*, quâ totum corpus involvitur, infibulare (Cf etiam homericum χλαῖναν περονήσασθαι, quod supra comme-

moravimus). Verum tamen hoc unum rem conficit, quod *ἐγκομβοῦσθαι* veteribus scriptoribus semper *encomboma sibi illigare*, nunquam *vestem sibi induere*, *se vestire* valet. Veteres grammaticos, qui *ἐγκομβώσασθαι* verbo *στολίσασθαι* et finitimis verbis explicuerunt, parum accurate fecisse supra monuimus. Recte vidit *Dan. Heinsius* in Exercitt. sacris, a Petro ad *servorum* encomboma respici, sed erravit eo, quod hoc vilissimam *vestem* (palliolum), quam super breves tunicas, *τὰς ἐπωμίδας* [sic], induerint, fuisse autumavit (v. *Gatakerum* l. c. p. 229 sq.).

Ottonis Fridolini Fritzsche

Theologi Turicensis

DE

epistolarum Johannearum locis difficilioribus

COMMENTATIO I*).

Epistolae Johanneae, quarum prima quidem summa commendatur argumenti gravitate, his annis, quibus plures Novi T. libri, maxime vero epistolae Paulinae novis interpretibus abundant, imo ab iis paene obruuntur, minus, quam velles interpretum studiis illustratae sunt. Sed sive verborum facilitas et perspicuitas novam interpretationem desiderare non videbatur, sive rectius Johannis subtilitas atque sublimitas viros doctos deterruit, sive denique post Lückium, optimum scilicet interpretem, acta agere sibi videbantur, apud me quidem hae rationes non eo usque valuerunt. Quamquam enim nihil omnino de laude Lückii, docti et sobrii explicatoris, detraho neque temere me eum duco, qui reconditos motus et sensus divi Apostoli omnino aperire possim, repperi tamen, nisi mea me fallit

---

*) Quam nunc paullo auctiorem et emendatiorem exhibeo commentationem nuper primum divulgavi (Turici, ap. Franc. Hoffmannum), cum orationem indicerem professionis theologicae causa d. XII. m. Aug. a. 1837. habendam. Sed alteram certe et tertiam subjunxissem jam commentationem, nisi dulcissimus pater sero demum consilium opusculorum edendorum mecum communicasset. Interim igitur hanc primam commentationem benevolis lectoribus acceptam esse cupio.

opinio, quae plurium illarum epistolarum locorum intellectum plus minus adjuvent. Hac itaque scribendi occasione itá fruar, ut de locis earum paullo obscurioribus, quae nondum satis accurate intellecta esse existimo, disserere exordiar.

Proficiscor autem ab ipso epistolae primae initio (I, 1 — 4.), difficili illo quidem, sed quod minus interpretum ingenia vexasset, si satis perpendissent, versus illos exordii vim habere, quibus Johannes sublimem sectatus orationem pro indole sua mystica necessario obscuritatem quandam obduxisset cf. ev. Joh. I, 1 sq. Quam ob rem in universum quidem nihil continere possunt, nisi quod lectores hujusmodi epistolae primum monendi sunt, nimirum qui sit scriptor, quid et quo scribat consilio, neque offensioni esse debet, quod oratio non leniter fluit, sed scriptor quo erat animo commoto et sententias audacius connexuit et nonnulla obscure, vel certe ambigue enuntiavit. Atvero in alia omnia abierunt permulti interpretes [1]), qui primum eo peccarunt, quod veram rationem hujusmodi prooemii non assequuti Apostolum nescio quae alia egisse existimarunt. Quum enim historicas rationes, quibus epistola niteretur, accuratissime cognovisse sibi viderentur, ad has ipsas magnam partem temere excogitatas hic respici opinati [2]), totam interpretationem perverterunt. Deinde vero dogmaticis capti studiis singulis verbis et partibus horum vss. justo magis ita inhaeserunt, ut nec singula satis accurate explicarent, nec quale totum esset prooemium assequerentur.

De universa versuum et sententiarum complexione nihil obscurum. Dudum enim intellectum, vs. 1. sententiam inchoari, quae cum vs. 2., qui modo dicta explanaret intercepta esset, vs. 3. ita demum continuari et absolvi poterat, ut in fronte hujus vs. non-

---

1) Nonnulli sane quid hac in re verum esset plus minus assequuti sunt. Sic jam Hieron. Zanchius, reformatae ecclesiae theologus, qui post saec. XVI. med. floruit (in I. ep. J. capita priora (II.) praelectiones. Opp. T. VI.), hic totius epistolae προοίμιον idque perfectum deprehendit, quo nimirum lectores redderentur attenti, dociles et benevoli. Nec male Heumann (Nova Syll. dissertatt. II. p. 161.) „Joannes in hoc exordio totus pio affectu ardens magis res, quam verba loquitur“ sed quae addit „minusque adeo ejus v. sunt exigenda ad normam grammaticam“ cautionem habent. Lücke autem (*Commentar über d. Briefe d. Ev. Joh.*, *Bonn* 1836. ed. II. p. 125.) universum prooemii argumentum recte constituit.

2) Illud maxime iis fraudi erat, quod jam hic Apostolum haereticos nescio quos impugnare putarunt, qua in re quid probabile sit, infra dicam.

nulla verba ex praegressis perspicuitatis causa repeterentur. Quam vis vero haec ratio, quam jure plurimi inierunt interpretes ([Syr.] Oecum., Bulling., Calvin., Beza, F. Socin., Grot., Abr. Calov., Lücke al.), facilitate, imo verbis ipsis satis manifesto commendetur, nec quidquam habeat, quo recte offendaris [3]), exstiterunt tamen, qui verba aliter struenda esse dicerent. Sed horum tria tantum nupera consilia hic referam, alia priorum interpretum congessit Seb. Schmid in comm. ad h. l. Agmen ducat J. Bened. Carpzov (Epp. cathol. septenarius. Halae 1790. p. 127.), qui v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* — *κ. ἑωράκ.* uncis inclusit, ita explicans: „Qui exstitit ab initio, quem — (filium Dei *puto* aeternum; nam ille suscepit naturam humanam et cum eo viximus familiariter) eum *inquam* annunciamus — “, quasi vero liceret post v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ. λαλοῦμεν* vel *γράφομεν* cogitando addere et, ne plura afferam, vocula *καί* apodosin inchoare. Nec Ven. Pauli probari potest sententia, qui (*Die drei Lehrbriefe von Joh. Wortgetreu — übersetzt und — erklärt. Heidelberg* 1829. p. 4.) jam vs. 1. sententiam absolutam esse censet h. m.: Quod erat — *illud etiam* manibus contrectavimus utpote quod erat circum *τὸν λόγον* (*περὶ τ. λ. ὄν*). Hoc enim graece ita fere enuntiandum erat: *ὃ — τὸ αὐτὸ καὶ — ὡς —*. Denique mihi res est cum clarissimo Winero, qui (*Grammatik des neutest. Sprachidioms* ed. IV. p. 495.) ideo credo, quod alioquin de legitima v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* explicatione desperaret, his ipsis v. apodosi initium constituit. Johannem enim, cum post v. illa *γράφομεν ὑμῖν* scripturus esset, *τῆς ζωῆς* memoria adductum (? v. inf.) explicandi causa versum 2. adjecisse et cum jam vs. 3. *ὃ ἑωρ. κ. ἀκηκ.* utpote primaria vs. 1. v. repetiisset, structura verborum commutata *ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν* scripsisse. Verum enimvero dura haec et satis

3) Sed Lückio l. l. p. 109. parenthesis vs. 2. non satis recte habere visa est, cum apodosis, quae re vera vs. demum 3. sequeretur, jam vs. 2. v. *ἀπαγγέλλομεν* initium caperet. Putat igitur V. D. sententiam apodosis vs. 3. jam vs. 2. ex parte enuntiari. Sed mea quidem sententia hoc non omnino verum est, quia *ἀπαγγέλλειν τ. ζωὴν τ. αἰ.* vs. 2. minus late patet, quam *ἀπ. ὃ ἑωρ. κ. ἀκ.* vs. 3. Sane vero vs. 2. nonnisi hoc dicendum erat, Verbum vitae antea ignotum jam ita apparuisse, ut cerni et manibus adeo contrectari potuisset, sed cur plura Johannes adjecerit facile est intellectu v. inf. Addit praeterea V. Vener. v. vs. 3. repetita argumentum vs. 1. et 2. per compendium complecti. Imo primaria vs. 1. v. perspicuitatis causa repetuntur, nec habet quidquam hujusmodi verborum repetitio, quo recte offendaris.

importuna explicatio eo prorsus evertitur, quod illa ratione Johanni finita parenthesi non v. ὃ ἑωρ. κ. ἀκηκ., quippe quae huc omnino non pertinerent, sed v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ., quibus apodosin inchoarat, repetenda erant. In his enim vis sita erat, quae etiamsi verborum γράφομεν ὑμῖν, quibus apodosin claudere voluerat, esset oblitus novo certe verbo aptanda erant h. m.: περὶ τ. λόγ. τ. ζ. — καὶ ἡ ζ. — — ἐφανερώθη ἡμῖν — τὸν λόγον τῆς ζωῆς ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. Profecto ejus Apostolum mentis perturbationis et confusionis V. D. postulavit, quam ne in infimo quidem scriptore facile quaererem. Ne plura; nam v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ. cum antecedentibus arctissimo vinculo contineri infra docebo.

Jam vero si verba ea, qua dixi ratione consociata attente perlegeris, de nonnullorum quidem notione et vi fortasse etiamtum dubitabis, sed haudquaquam de summa sententia. Nam cum Apostolus se etiam atque etiam auritum et oculatum rerum christianarum testem dicat lectorumque doctorem, nihil nisi hoc in verbis inesse potest: Ego, vester doctor, qui ipsis rerum christianarum initiis intereram quemque pessime sperneretis doctorem, ea ipsa, quae vidi et audivi vobis annuntio, ut vos etiam mecum communionem, at quantam illam, habeatis. Haec vero scribo, ut fides vestra christiana magis magisque crescat, imo perfecta reddatur. Sed haec quidem in universum dicta sunto, nunc accuratius disserendum. Tripartita autem nostra sit disputatio. Primum enim praecipuas explicatorum sententias recensebo, deinde meam qualemcunque loci interpretationem enarrabo, denique totius loci ambitum et vim describam.

Ac praecipua et quae summam rem continet interpretum dissensio in v. ὃ et ὁ λόγ. τ. ζ. sita est, quae cum duplici modo explicari posse viderentur in duas partes viri docti abierunt. Vetus autem et maxime pervulgata eorum est sententia, qui (Syr., Beda Ven., Oecum., Calv., Beza, Abr. Calov., Bengel al.) illis v. ipsam τοῦ λόγου personam indicatam esse censent idque cum l. ev. Joh. I, 1 sq. tum aliis rationibus aut probarunt, aut certe probare potuissent (v. inf.). Sed in singulis v. explicandis nec satis accurate versati sunt nec prorsus inter se conveniunt. Quamquam verborum ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς potestas dubito an ullum alium horum interpretum ita fugerit, ut Carpzovium [4]). Nam si ὃ ad Christi personam re-

4) V. D. l. c. v. illa ita enarrat: „qui ab initio fuit nobiscum nempe ab initio annunciati evangelii.“ Sed praeterquam quod verbis illud „no-

fers, quid quaeso aliud de ea illis v. praedicari potest, nisi quod fuerit jam inde ab initio rerum, imo, nam hic quidem eodem redit sententia, jam ante mundum conditum? Ut vero Syrum omittam, qui liberius verba transtulit [5]), graecorum Patrum interpretatio et aliena in locum invexit nec verborum obscuritati succurrit. Quantum ex Oecumenio video, Theophylacti catena mihi non ad manus est, v. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ad τὸν λόγον rettulerunt. Affirmat autem his v. eorum judicio Johannes contra Judaeos et Graecos, Christianorum mysterium (ὅτι ζωὴ αἰώνιος ὢν ἐφανερώθη ἡμῖν) non novum, sed antiquissimum esse [6]), cujus vero rei in ipsis v. nec vola est nec vestigium. V. ἀκούειν de auditu explicarunt per legem et prophetas de Messia venturo accepto et quae jam sequuntur vocc. ὃ non de illo ὃ ἦν, sed de illo ὃ γέγονεν, verba θεᾶσθαι autem et ψηλαφᾶν alii proprie, alii metaphorice intelligere maluerunt [7]). Pari fere modo multi posterioris aetatis interpretes, nisi quod verbis θεᾶσθαι et ψηλαφᾶν propriam vim vindicarunt. Nec multum negotii iis facessiverunt v. περὶ τ. λ. τ. ζ., quae ut perspicuitatis causa voc. ὃ notionem afferrent h. m. adjecta esse: de Verbo vitae loquor, scribo, illud intelligo (ita, si recte memini, plerique v. Abr. Calov., Seb. Schmid. al., jam Syro, ut videtur, praeeunte) recte

---

biscum" temere obtrusit, qui hoc modo Apostolus ὃ neque vero ὅς adhibuerit nemo dicat. Schoettgen etiam in voc. ἀρχή initium ministerii Christi deprehendit. (v. ej. hor. hebr. p. 1053.), sed quaeritur, quomodo reliqua v., de quibus nihil monuit, intellexerit.

5) „*Annuntiamus vobis illum, qui* erat a principio, *quem* — *illum, qui* est verbum vitae. vs. 3. Et *quod* (ܕ ܚܙܝܢ) vidimus —.

6) Oecum.: Τοῦτο πρὸς Ἰουδαίους κ. πρὸς Ἕλληνας, οἳ καὶ νεώτερον διαβάλλουσι τὸ καθ' ἡμᾶς μυστήριον. δείκνυσιν οὖν ὡς κ. παλαιὸν τοῦτο. ἀπ' ἀρχῆς γάρ, τουτέστιν, ἅμα τῇ ἐννοηθείσῃ ἀρχῇ, ἢ οὐ μόνον τοῦ νόμου, ἀλλὰ κ. αὐτῆς τῆς ὁρατῆς ἀνώτερον τοῦτο κτίσεως. ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴν ἔσχε, τοῦτο δὲ ἦν κ. πρὸ τῆς ἀρχῆς ταύτης.

7) Oecum.: Τοῦτον οὖν ἐλθόντα μετὰ σώματος ἐμφανῶς εἴδομεν κ. ἐψηλαφήσαμεν· γυμνὸν γὰρ θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. οὐ γὰρ ὡς ἔτυχε συγκατεθέμεθα τῷ ὀφθέντι, ἀλλὰ μετὰ πολλὴν ψηλάφησιν, τουτέστι, συζήτησιν τῶν νομικῶν τε κ. προφητικῶν περὶ τούτου μαρτυριῶν, ἐπιστεύσαμεν τῷ ὀφθέντι σαρκὶ λόγῳ· ἢ τό, ὃ ἐθεασάμεθα, ἀντὶ τοῦ, ὃ ἰδόντες τοῖς ὀφθαλμοῖς τεθαυμάκαμεν. — οὐχ ὃ οὖν ἦν ἐθεασάμεθα ἢ ἐψηλαφήσαμεν· τούτου γὰρ τὴν γενεὰν τίς διηγήσεται; ἀλλ' ὃ γέγονεν, ἤτοι γνωστικαῖς ἐπαφαῖς, ὡς εἴρηται ἤδη, ἢ κ. αἰσθηταῖς, ὡς κ. Θωμᾶς μετὰ τὴν ἀνάστασιν.

statuere sibi videbantur. Ita fere theologi orthodoxi, etsi in singulis inter se dissentiunt. Sed haec interpretatio inprimis hoc vitio laborat, quod illam ellipsin linguae leges neutiquam admittunt. Quamquam qui primum eam rejecerunt haud animo libero ut videtur maxime voc. ὅ interpretatione offensi aliam plane viam inierunt. Jam altera loci excogitata est explicatio, quae multos nacta est patronos, ita vero, ut fere quisque ei correctionem quandam adhiberet. Nuper autem, cum utraque ratio non prorsus a vero abesse videretur, utramque inter se conciliare studuerunt. Haec vero pluribus.

Sum quidem nescius, quis primum voc. ὅ ad evangelium Christi rettulerit et voc. ἀρχή initium praeconii evangelici intellexerit, sed jam Faustum Socinum quosdam commemorare video interpretes qui in hac sententia fuissent. Hic igitur, Socinianorum quasi antesignanus et dux, primus prodeat (v. Biblioth. fratrum Polonor. T. I. Irenopoli 1656. f. p. 157 squ.), qui cum sibi persuasisset, non Neutro illo ὅ Johannem Christi personam indicare potuisse, sed Masculino opus fuisse, vocabula illa eo quo dixi modo, v. autem ὃ ἑωρ. — ἐψηλ. tropice interpretatus est h. r.: „Quod erat (et videlicet adhuc durat) ab initio, quod, — quod (quasi) — et manibus contrectavimus, (scilicet) de sermone (doctrina) vitae (annuntiamus vobis) — et vita (antehac non patefacta, sed tantum ipsi Deo nota, qui illa homines sibi obedientes donare decreverat) — — quod — —.“ At nihil profecto hac explicatione esse potest falsius. Bene quidem haberet illud ὅ, si modo reliqua concinerent, quod idem de vocc. ἀπ' ἀρχῆς dicendum. Haec enim cum per se indefinita sint, ex contextis cognoscendum, de quonam principio sermo sit. Ac sane quidem Johannes voc. ἀρχή aliis ll. de eodem fere, quo Socinus vult, principio adhibuit (II, 7. 24. III, 11. ev. XV, 27. XVI, 4. II. ep. v. 5.), sed hic contexta oratio alio nos ducit (v. inf.). Porro v. ὁ λόγ. τ. ζ. doctrinam vitae (Phil. II, 16.) intelligere, quamvis singula paene vs. 1. et 2. v. de ipso λόγῳ Dei jubeant cogitare, quinimo τῆς ζωῆς voc. vs. 2. de hac ipsa doctrina antea nonnisi patri nota accipere, verba pervertere hoc quidem est, non enarrare. Denique, ne plura cumulem, Socino aliisque explicatoribus v. ψηλαφᾶν fraudi erat, quod illo modo adhiberi potuisse temere statuebant. Nam cum ψηλαφᾶν, ut μάσσειν (מוּשׁ ,מָשַׁשׁ Gen. XXVII, 21.) contrectare notet (Luc. XXIV, 39. Hebr. XII, 18.) atque ita notionem quaerendi contrectando facile adsciverit (Hom. Odyss. 9, 416.)[8]),

8) Audacius Oecum.: ψηλάφησις τουτέστι συζήτησις.

tropice de rebus obscuris, quae non sub sensus caderent ita usurpari potuit, ut significaret quaerere quasi contrectando aut obscure cognovisse (Act. XVII, 27.) at nunquam ψηλαφῆσαι ut nostrum *mit Händen gegriffen haben* clarissime cognovisse, vidisse declarare potuit, ita ut h. l. Apostolus suo de evangelio testimonio summam fidem adjecisset. Sed etiamsi recte hanc significationem verbo illi subjiceres, hic quidem ideo locum habere non posset, quod Johannes vocc. ὃ ἑωρ. τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν et αἱ χεῖρες ἐψ. sat manifesto indicavit, se rem, de qua loqueretur, ipsis illis sensibus percepisse.

Socino pejus Jonas Slichtingius [9]) (v. ej. commentaria posthuma in plerosque N. T. libros. Irenop. 1656. T. II. p. 369 squ.), qui temere sumsit, Johannem propter exortos falsos prophetas, qui Jesum esse Christum negassent credentibus in Christum id commemorare, quod a principio evangelii fuisset traditum et cujus certissima esset veritas, nempe Jesum esse Christum, filium Dei. Hac igitur opinione nisus locum ita enarrat: „quod erat a principio (evangelii), quod audivimus (ab ipso Jesu, imo et ab ejus praecursore baptista), quod vidimus oculis nostris (np. ita se habere), quod spectavimus (in tot tantisque miraculis) et veluti manibus nostris palpavimus de sermone vitae (de Jesu, qui vitam primus annunciavit) — et vita (vitae aeternae promissio) manifestata est (np. a Jesu) et vidimus et testamur (np. manifestatam esse) — — quod vidimus et audivimus (np. Jesum esse Christum, filium Dei) annunciavimus vobis.“ In his cum alia, tum illud miror, quod sententia, quam v. d. primariam esse voluit, nimirum Jesum esse Christum, ab Johanne ne apice quidem indicata est.

Ad Grotium accedimus, quem socinianam interpretationem magis perdidisse, quam adjuvisse dixerim. Recte quidem arbitratur, voc. ἀρχή idem tempus notari, quod in primis v. ev. Joh. et Genes., nec v. ὁρᾶν, θεᾶσθαι et ψηλαφᾶν metaphorice intellexit, sed novos errores eo incurrit, quod voc. ὅ in universum eas res intellexit, quas apostoli sensibus suis percepissent Johannemque contra eos, qui evangelii doctrinam novitatis accusassent, disputantem v. ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς significare existimavit, illas res a Deo jam

9) Socinum sequutus est Sam. Crellius in l., quem a. 1726. nomine Artemonii (Initium ev. Joh. restitutum. p. 347.) divulgavit, sed cum hic liber mihi non praesto sit, nescio, an socinianam explicationem paullo immutaverit.

ab ipso mundi primordio destinatas fuisse et ab eo tempore multis umbris praefiguratas multisque vaticiniis praedictas. In tanta voc. ὃ ambiguitate verbis ὁρᾶν, θεᾶσθαι et ψηλαφᾶν jure sibi propriam vim vindicare videbatur. Permiram hanc magni interpretis interpretationem ne multis aggrediar, tria afferam. Primum enim ratio exigit, ut qui ἀρχήν primordium mundi esse vult cl. ll. Joh. I, 1. Gen. I, 1. etiam ὃ nonnisi de λόγῳ Dei enarret eoque magis, quod v. ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς per se nunquam significare possunt: quod erat ab initio mundi *destinatum*. Imo haec sententia aut clarioribus v. enuntianda, aut contextus ita comparatus esse debet, ut de ea nihil haesites. Deinde pro arbitrio sumsit, Johannem ei objectationi occurrere, quam nullibi in hac epistola non dico impugnavit, sed ne commemoravit quidem [10]). Denique ut recte v. ὃ — περὶ τ. λόγ. τ. ζ. quod — de verbo (doctrina) vitae explanares et per contexta v. eas intelligeres res, quas apostoli sensibus suis percepissent, bene quidem haberent v. ἀκούειν, ὁρᾶν et θεᾶσθαι, non aeque ψηλαφᾶν, quod nisi ad solam Christi personam refers, me quidem judice nec rationem habet neque explicatum. Illa vero inita ratione ita explicari omnino non potest. Pulchre hoc Grotius perspexit, sed difficultatem v. αἱ χ. ἡμ. ἐψηλ. haud sane feliciter de medio sustulit his v.: „tertium sensum adjicit tactum. Nam is quoque intervenit, tum alibi, tum in panibus multiplicatis et in Lazaro." Voc. τῆς ζωῆς vs. 2. vitam aeternam intellexit, quae in decretis Dei diu latuisset et Christi exemplo nobis perspicua esset facta cl. l. II. Tim. I, 10. [11]).

Socini explicationem paullo tantum immutavit J. Sal. Semler, magnum quondam lumen almae academiae Fridericianae. Hic enim (v. ej. paraphrasin in I. Joh. ep. cum prolegomenis et animadversionibus. Rigae 1792. p. 73 squ.) tum eo, quod aures, oculi et manus apostolorum non convenirent aeternae deitati in Christo, quo-

---

10) Minus recte Lücke l. l. p. 112. illud contra Grotium attulit, quod istam evangelii reprehensionem a Graecis profectam aetas apostolica non cepisset. At *Graecos* evangelium novitatis accusasse non dixit Grotius et si dixisset, mihi quidem non ideo reprehendendus videretur. Facile enim erat illud opprobrium, quod Judaei et Graeci in evangelium conjicerent v. Marc. I, 27. Act. XVII, 19.

11) A Grotio Henr. Hammondus eo distat, quod v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ. vs. 1., ἡ ζ. vs. 2. de Christo ejusque evangelio intellexit, sed quod sane mireris v. τὴν ζ. τ. αἰών. — ad solum Christum referri maluit.

cum vixissent, inveniendae tum aliis ductus rationibus, omnino de iis rebus hic sermonem esse statuit, quae ad historiam et doctrinam Jesu Christi unice pertinerent h. m.: „Quod inde ab initio novae religionis (ab illo inde tempore, quo Jesus initium fecit novarum rerum, publico ipse munere docendi jam usus, post baptismum v. Joh. XV, 27.) ab ipso Christo confirmatum fuit et proditum (Ἰησοῦν Χὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι al. Hebr. VI, 1. Act. I, 1. Luc. I, 1.) — vidimus (mente ἐθεασ. cl. I. Joh. I, 14.) et manibus quasi contrectavimus (Respicit auctor hic maxime ad hanc partem: Christus, Messias, ἐν σαρκὶ jamjam ἐλήλυθεν) de doctrina verae felicitatis. Certo enim manifestata est haec doctrina antea ignota." Sed ne superius dicta repetam, Johanni h. r. multo aliter dicendum erat. Neque enim ex v. ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀ. περὶ τ. λόγ. τ. ζ. illam eruas sententiam et vaga Semleri interpretatio v. χεῖρες ἡ. ἐψηλ. vehementer claudicat.

Ab his, quos hucusque memoravi valde discrepat Sam. Theoph. Lange *(Die Schriften Johannis übersetzt und erklärt. Th. 3. Weimar* 1797. p. 42 squ.), qui recte quidem v. περὶ τ. λ. τ. ζ. vs. I. et ἡ ζ. vs. 2. de Jesu Christo intellexit, sed cum vs. I. ita explanaret: quod domino nostro, verbo illi vitae, inde ab initio (muneris ejus docendi) evenit, quod — — et manibus quasi contrectavimus —. eo maxime peccavit, quod ψηλ. tropice intellexit et verbo ἦν significationem v. ἐγένετο tribuit, ll. Matth. XXIV, 3. Marc. XI, 23. 24. perperam collatis. Sane vero cognata est notio v. εἶναι et γίνεσθαι atque ideo uno eodemque l. hoc illudve levissimo discrimine adhibere licet, ut illis ll. (πότε ἔσται quando *erit*, locum habebit, π. γενήσεται quando *fiet*, eveniet) [12]), sed non ubique. Oratio contexta consulenda.

---

12) Sed de iis Novi T. locis, quibus v. εἶναι et γίνεσθαι significatio convenire videtur, paullo latius disputare placet, cum horum verborum rationem nondum satis accurate explicatam esse cognoverim. Et Ven. Wahlium (in Lex. maj. ed. II. I. p. 401. sq.), qui permulta loca attulit, quibus verbo εἶναι notio v. γίνεσθαι competeret, in errore versari haud difficile est docere. At saepe quidem εἶναι collocatum est, ubi eo discrimine, quod non summam sententiam contineret, sed rei informationem pari modo γίνεσθαι poni potuit nunquam vero, si a paucissimis recesseris locis, quae minus accurate de hebraeo facta sunt graeca, eadem qua v. γίνεσθαι pollet vi. Quod ut perspicias a propria utriusque verbi potestate proficiscendum. V. γίνεσθαι enim cum et *existere* et *evenire* denotet, εἶναι vero *esse,* sive quod est tempore commutatur, sive minus, quibus ll. γίνεσθαι evenire significet etiam εἶναι tum poni posse emergit, cum quod evenit utpote

Hoc autem l. ut recte v. ὃ ἦν ἀπ' ἀ. περὶ τ. λ. τ. ζ. consociares, nec posses ea tamen illa, qua dixi ratione explicare, quia: quod erat

---

unum totumque, cui recte ita τὸ εἶναι tribuatur, animo potest informari. Hoc autem cur in ea maxime cadat, quae futura sunt haud obscurum est. Quid igitur? Sane interdum leve tantum inter utrumque v. intercedit discrimen, discrimen tamen, quandoquidem εἶναι nonnisi durandi (τοῦ esse) complectitur notionem, cujus ratio ex contextis cognoscenda, γίνεσθαι contra temporis effert vicissitudinem, qua quid fiat vel eveniat. Sed ea l., quae clarissimus Wahl. perperam in suam rem attulit, singulatim percensere nihil attinet, cum ad eam, quam modo posui normam facile sint exigenda. Quare de nonnullis tantum dicam, quorum ratio minus videri potest perspicua. Marc. XIV, 2. — ne, quod suspicamur (v. C. F. A. Fritzsche ad h. l.), tumultus futurus sit h. e. *erit* alioquin (neque enim oriendi notio inculcatur), ut suspicamur, tumultus. Luc. XII, 55. Et quando austrum flantem videtis dicitis: aestus solis *erit* (non: exorietur, quamquam idem h. l. dici potuisset) et fit ([*und es geschieht*] ut vos dixistis, v. vs. 54. Ὄμβρος ἔρχεται· κ. γίνεται οὕτω), non: exoritur, etsi cum hac etiam explicatione mea de v. εἶναι staret sententia, cum aliter turba aliter Servator rem mente concepisse putandi essent. Act. XI, 28. — magnam famem jam futuram esse super totum orbem h. e. brevi magna erit fames per totum orbem terrarum. Luc. XXII, 49. Cum autem ejus discipuli vidissent τὸ ἐσόμενον h. e. quid futurum, locum esset habiturum scil. Jesum traditum iri inimicis suis. Act. XXVII, 25. Fidem enim Deo habeo, rem ita futuram, se habituram esse, quo modo mihi dictum est. Hujusmodi autem locis quis non videt levi discrimine et εἶναι et γίνεσθαι adhiberi potuisse? Ne longum faciam; his disputatis pleraque ll.. quae vulgo propter neglectum illorum v. discrimen perperam explicantur, nullo negotio expediri possunt. Sed unum addo l. Luc. I, 34., cujus v. πῶς ἔσται τοῦτο;, cum Wahl. ita verteret: qui tandem hoc fieri poterit? Mariae mentem non assequutus est. Neque enim Futurum propria sua vi caret et εἶναι nihil nisi esse valet. Maria, quae se gravidam factam filium partu edituram esse audiverat, qui Messiae sustineret personam, angelo haec ingerit: quomodo hoc (quod nuntiasti) erit, locum habebit, quum nullius viri habeam notitiam? Non igitur dubitat, quin illud futurum sit, sed tantummodo rationem se perspicere negat, qua futurum sit, cum virum non cognoverit. Quare non erat, quod ei angelus incredulitatem exprobraret, sed recte eam docuit, quo modo gravida fieret. Sequuntur duo locorum genera, quibus εἶναί τινα εἰς τι fieri aliquem ad aliquid (הָיָה לְ) notare vulgo statuunt. Sed illud genus permire afferunt, quo εἶναί τινα εἰς v. c. ἔπαινον legitur, cum εἶναί τινα nonnisi aliquem esse significet et cui rei sit vocc. εἰς — indicatur. Ita prorsus Latini saepissime esse sequente Dativo usurpant. E N. T. huc pertinent ll. Act. XIII, 47. 1 Cor. XIV, 22. 2 Cor. VI, 18. Eph. I, 12. Coloss. II, 22. Hebr. I, 5. VIII, 10. Jac. V, 3. Verum alia ratio locorum est Matth. XIX, 5. Mrc. X, 8. 1 Cor. VI, 16. Eph. V, 31., ubi v. LXX. afferuntur, qui v. וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד (Genes. II, 24.) minus accu-

a principio de — per genuinam v. *εἶναι* vim nihil dici potest, nisi quod jam a principio locum habuit. Sed quod fiebat a principio nondum ab eo erat nec potest, quum singula complectatur tempore ac ratione admodum inter se diversa, una quasi res, quae quidem tempore mutationem subierit, mente concipi.

His disputatis satis opinor perspicuum est, neutram interpretationem, quomodocunque inflexam verbis Apostoli ita ut velles respondere. Nec fugit nonnullos viros doctos, qui loco ita medicinam afferre studuerunt, ut utramque rationem inter se conciliarent et ὅ ad personam, historiam et doctrinam Jesu Christi referrent. Ita v. c. Morus. Hanc viam ingressus quae priores interpretes inchoata reliquissent Lücke l. l. p. 116. 117. ita persequutus est, ut et accurate enucleasse sibi videatur, quomodo singula v. haberent et perspicue docuisse, cur Johannes ut tum animo esset affectus illo modo scripsisset. Haec vero Viri Doctissimi est disputatio. Cum Johannes scribendi initium faceret, apostolici sui praeconii, cujus fundamentum et argumentum Christus esset, qui vere homo apparuisset vitamque cum hominibus communicasset, scopus vero hominum communio fide Deo et filio habenda inter se conjunctorum, quam maxime sibi conscius fuit. Jam cum haec omnia simul animo complecteretur, primo quidem notionem evangelii, quod ipsa sua experientia edoctus praedicaret, breviter enuntiaturus, hac notione personam Christi, manifestati Verbi, cum tota ejus historia et effectu mente ita copulavit, ut non ὅς ἦν

---

rate ita reddiderunt: *κ. ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.* His ll., quibus ex LXX. plura alia adjici possunt, ut Jes. XL, 4. (Luc. III, 5.) *εἶναι* idem sane valet, quod *γίνεσθαι*, sed interpretibus lingua hebraea fraudi erat. In iis autem ll., quae pari modo ex hebraeo versa sunt, ut l. Act. II, 17. *κ. ἔσται — ἐκχεῶ* — (v. Joël. III, 1. וְהָיָה־ אֶשְׁפּוֹךְ־) non est, quod a propria *εἶναι* vi recedas. Restat denique l. Act. XXI, 22., ubi v. *τί οὖν ἐστι;* cum Wahlio non ita explanari posse: quid igitur fit? evenit? quod in oratione concitatiori dictum esset pro: quid igitur eveniet? jam ex ante dictis perspicuum est. Quamquam haec explicatio ne speciosa quidem est, siquidem minus recte ita procederet sententia: quid igitur eveniet? Utique vulgus convenire oportet, cum pro *τί οὖν ἐ.;* hujusmodi quid: *τί οὖν ποιητέον;* requireres. Imo enarra: quid igitur est? h. e. quomodo igitur res habet? Quae v. cum auditorem monerent, ut ante dictis recte perpensis rerum faciem satis accurate sibi ob oculos poneret, simul sequentium continuerunt rationem. Ita enim quid jam factu opus esset facile perspiciebatur. Quare v. *τί οὖν ἐ.;* a *τί οὖν ποιητέον* non tam universo sensu, quam significatione h. l. differunt. Pari modo interpretare 1 Cor. XIV, 15. 26.

ἀ. ἀ. scriberet, sed ὃ ἦν ἀ. ἀ., quippe quae latius paterent. Sed statim ei persona Christi, cardinis quasi totius evangelii magis obversatur ideoque usque ad v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ., quibus denuo magis ad evangelii notionem accedit, ita scribit, quasi ὅς ἦν ἀ. ἀ. exarasset. Jam v. κ. ἡ ζ. ἐφαν. adjiciuntur, ut intelligatur, quo Apostolicum nitatur de λόγῳ τ. ζ. testimonium. Ut vero notio praeconii apostolici absolvatur v. ἑωρ. jam perspicuum repetitur reliquaque vs. 2. v. adduntur, quibus apodosis (quoad sententiam) inchoatur. Haec autem ut omnino enuntietur priora vs. 3. v. adjiciuntur. His omnibus, quae primo animum Apostoli commovebant, dictis oratio jam sedata lenius fluit [13]).

Haec loci explanatio nescio quanti ab aliis aestimetur, mihi quidem vehementer laborare videtur. Etenim jam eo prorsus conficitur, quod ea probata tanta Johannes usus est obscuritate, imo tanta animi perturbatione et confusione, ut in eo interpretando male studium et operam consumeres. Scripserit animo excitato, sed haud dubie sciebat, quid scriberet. Itaque res diversissimas uno eodemque vocabulo significare, adjicere vero, quae modo huic modo illi rei competerent, denique ebrii instar huc illuc fluctuare profecto non potuit. Sed fac v. ὃ ἦν ἀ. ἀ. et περὶ τ. λ. τ. ζ. dicta esse ambigue. Ambiguitas autem verbis tum demum recte subjici potest, si rerum, ad quas referenda sunt, notionem omnino complectuntur nec fieri potest, ut alia nonnisi ad hanc, alia ad illam quadrent rem. At hoc in v. ὃ ἦν ἀ. ἀ. secus est, quorum priora (ὃ ἦν) de doctrina dici poterant, nec vero posteriora, siquidem ἀρχή, ut supra jam

---

13) Lückii vestigia sequutus C. Rickli (*Johannis erster Brief erklärt und angewendet in Predigten. Luzern* 1828. app. p. 5.) v. ὃ ἦν non solum ad doctrinam, sed in universum ad omnia, quae Jesum, utpote qui apparuisset attingerent (— *auf das Ganze der Erscheinung Jesu* —), v. ἀρχ. autem ad initium evangelii cl. II. Joh. XV, 27. Luc. I, 2. rettulit. Omnino vero tribus prioribus vss. contra pseudo-doctores affirmari, quam verum et incontaminatum praeconium esset apostolicum. Hoc enim eo niti, quod apostoli Jesum hominem (— *nach seiner äussern Erscheinung* —) ipsis suis sensibus (vs. 1.) et internam ejus majestatem (— *nach seiner geistigen Grösse* —) mente percepissent (vs. 2.), ex summo autem proficisci amore, quo apostoli fratres amplecterentur (vs. 3.). Nova sane interpretatio, quam Viro D. in mentem venire potuisse miror. Neque enim in vs. 3. per se ulla est amoris significatio et ex vs. 2. illam sententiam ne per summam quidem vim erueris. Quid plura? Cujusmodi sit haec explicatio tum ex iis perspici potest, quae contra Lückium dicturus sum, tum ex mea loci enarratione.

innui et infra pluribus probabo, mundi principium indicat [14]). Quid vero, quod Lücke ipse ἀρχήν ita explicat? Quamobrem v. ὃ ἦν ἀ. ἀ. nonnisi de Verbo divino possunt intelligi. Nec minus miror, quod V. D. v. περὶ τ. λ. τ. ζ. fluctuantem Apostolum magis ad evangelii notionem accessisse opinatus est. Verissime haec. v. l. Joh. I, 1—4. explicavit, sed qui tandem in iis vel levissima quaeri potest evangelii significatio, cum et praegressa et statim sequentia solam Verbi divini notionem complectantur? Denique, ut me contineam, hoc unum addo, verborum περὶ τ. λ. τ. ζ. nullam redditam esse rationem.

Qui nuperrime Johannis exstitit interpres, clarissimus de Wette, eam hujus loci iniit explicationem, quae valde vereor, ut sobrio explicatori probetur. Disputat autem hunc fere in modum (v. ej. l.: *Kurzgefasstes exeget. Handbuch zum N. T. Bd.* I. *Th.* 3. *Leipzig* 1837. p. 229 ss.) Verba ὃ ἦν ἀ. ἀ. cl. I. Joh. I, 1. nihil denotare possunt, nisi: quod erat ab initio mundi scil. vita divina, quae in

---

14) Atvero aliter visum est Crednero, qui in elegantissimo libro nuperrime edito (*Einleitung in d. N. T. Halle* 1836.) I. p. 680. squ. plura de hac Johannis epistola disputavit, quibus calculum addere nequeo. Nunc vero nonnisi ea delibabo, quae ad hunc locum, de quo Vir Eximius pro libri sui instituto pauca tantum disseruit, pertinent. Et Crednero judice statim ab initio epistolae affirmat Apostolus lectoribus, praeconium suum non diversum esse ab illa Dei revelatione, quae primo homini contigisset (I, 1. [II, 7—17. 24. III, 10 squ.]), nec niti, nisi rebus, quibus testis oculatus ipse interfuisset (I, 1—4. [IV, 14.]) cf. l. l. p. 685. cl. p. 680. Sane quidem Johannes his verss. inculcat, se testem esse rerum christianarum oculatum, sed notionem primae illius revelationis aeque minus deprehendo ac quomodo V. D. totum l. explicuerit satis perspicio. Addidit tantummodo, omnia pendere a vero v. ἀπ' ἀρχῆς intellectu, quae ll. I, 1. II, 7. 13. 14. 24. III, 8. 11. diversam sententiam continere non possent (Sed hanc opinionem, quae Viro D. in pluribus hujus ep. ll. fraudi erat, jam supra dilui.) et manifesto verbis ἐν ἀρχῇ Joh. I, 1. responderent. Jam memorat notum illud Ebionitarum decretum de primitiva Dei revelatione, quasi idem in hoc l. Johannes innuisset (νόμον αἰώνιον Clem. homil. 8, 10. esse νόμον ἀπ' ἀρχῆς 1 Joh. II, 7.) et hujusmodi quid jam veteres interpretes hic deprehendisse observat. Hinc, si quid video, v. ὃ ἦν ἀπ' ἀ. de doctrina christiana enarravit. Verum injuria veteres illos interpretes in auxilium vocavit, qui cum ὃ τὸ καθ' ἡμᾶς μυστήριον esse dicerent, solam τοῦ λόγου personam intellexerunt (v. s.). Magis miror, quod Johanni ebioniticam illam opinionem, quae paucorum erat hominum, tribuit. Non disputo jam, quam facile ea oriri potuerit, sed loca expeto, ex quibus Johannem ita statuisse emergat. Illud vero certissimum, ll. I. Joh. 1, 1. II, 7. 8., si satis accurate explicantur nec misere torquentur, nihil hujusmodi continere. (v. inf.)

Christo apparuit et ab aeterno erat. Ὃ autem neque ὅς collocatum, quod vitae illi non personam accommodavit scriptor, sed eam spectavit, quam ipse sensibus percepit. Jam v. ὃ ἀκ. — — περὶ τ. λ. τ. ζ. arcte conjungenda, iisque diversae rationes recensentur, quibus apostoli divinam illam vitam, quae in Christo sese manifestasset, sensibus percepissent. Et v. ἀκούειν quidem respicit ad Jesu doctrinam, ὁρᾶν τ. ὀφθ. ad ejus personam et facta, verbo θεᾶσθαι autem notatur, quomodo Jesum ejusque vitam contemplati essent. Denique v. ψηλαφᾶν certum illum et falli nescium significat sensum, qui ea quae vidissent confirmasset idque propter docetas adjectum est. V. περὶ τ. λ. τ. ζ. Vir Ven. de evangelio, quod verbum vere vitale contineret, vel potius, ut magis ad Christum ipsum respiceret, de verbo vitae intellexit, quod Christus nuntiasset atque in ejus persona et vita se manifestasset. Addit praeterea, v. ὃ ἑωρ. κτλ. (?) connectenda esse cum verbis περὶ τ. λ. τ. ζ., nec vero cum v. ὃ ἦν, quandoquidem hoc (ὃ ἦν) ὁ λόγος (ἡ ζωή) ipse esset. Jam vs. 2. quod inter v. ὃ — ἀρχ. et ὃ ἀκ. κτλ. omissum esset, nimirum aeternum in Christo apparuisse, adjici illudque aeternum propter antecedentia τὴν ζωήν vocari [15]). V. τὴν ζ. τ. αἰών· autem ancipitem quandam et mediam continere notionem, quae vitam et in Christo manifestatam et fidelibus petendam complecteretur. Hanc respici v. ἀπαγγέλλομεν, illam v. ἥτις ἦν κτλ.

His dictis, quomodo Vir Ven. totum locum explanaverit non minus perspicuum, quam quod parum tantum distat a prioribus nonnullis interpretibus, Lückio maxime. Sed quae de suis adjecit, ejusmodi fere sunt, quae nullo negotio refellas. Omnino vero hanc etiam interpretationem illud conficit, quod istam sententiam ne obscurissimus quidem scriptor illis v. enuntiare potuit, quia singulis v. ea inferuntur, quae re et cogitatione mirum quantum differunt. Sed ne supra dicta et infra dicenda ad nauseam usque disputem, hic duo subjunxisse sufficit. Et permire Vir D. v. περὶ τ. λ. τ. ζ. de evangelio intellexit, quod ut per praegressa fieri posset (quamquam vel hoc secus est, primum propter v. ὃ ἦν ἀ. ἀ., quae nullam habent rationem, nisi eorum notio in sequentibus etiam inest v., deinde vero propter v. ἀκ., ὁρ. τ. ὀφθ. et ψηλ., quae necessario ad personam referenda) propter sequentia v. κ. ἡ ζ. ἐφ. (= σὰρξ ἐγένετο) non

15) Mire sane V. D. καὶ h. l. non explicare dixit, sed omissa subnectere et praegressa definire. Quasi vero nono eodem rediret explicandi vis, quae h. l. huic voci vulgo tribuitur.

potest. Num evangelium σὰρξ ἐγένετο? Sensit hoc Vir Egregius, cum adderet, magis ad Christum esse respiciendum illudque verbum vitae intelligendum, quod Christus nuntiasset et in ejus persona se manifestasset. Sed cum ita Johanni mentis perversitatem affingeret, suam interpretationem prorsus perdidit. Quid vero, quod secum ipse pugnat? Recte monet, v. περὶ τ. λ. τ. ζ. non cum v. ὃ ἦν ἀπ' ἀ. conjungenda esse, sed perperam hujus rei hanc reddidit rationem, quod ὃ ἦν ipse esset ὁ λόγος. At ὃ ἦν ἀ. ἀ. de Verbo Dei, quod in Christo apparuit, intellexit, τὸν λ. τ. ζ. contra de evangelio. Deinde autem male profecto v. τ. ζ. τ. αἰών. ancipitem illam notionem tribuit, quod cum per se vanum sit, tum contextu refellitur. In. vs. 2. enim solam notionem Verbi divini cadere, ut alia omittam, ex v. ἥτις ἦν κτλ. perquam est perspicuum.

Sed ne diutius et ambitiosius in impugnandis viris doctis versatus esse videar, tempus jam est, ut vexatissimum hunc locum mea qualicunque opera collustrem. Nec vero de sententia verborum ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ullo modo licet dubitare, quae de Christi persona intelligenda esse solis luce est clarius. Dudum enim verissime intellectum, magnam inter prooemium evangelii Johannei et primos hujus epistolae versus intercedere similitudinem. Ibi docte Apostolus de Christi indole et natura exposuit, hic paucis tantum verbis ea lectoribus in mentem revocat, quae jam antea hac ipsa de re acceperant. Obscurius igitur hic loquutus est et pro diverso consilio et tempore alia adjecit, alia paullo immutavit. Ex quibus duo efficiuntur, unum ut ὃ notionem τοῦ λόγου complectatur, alterum ut quae Johannis doctrina hic quodammodo velis obtecta est prooemio illo lucem accipiat. Praeterea vero alia etiam accedunt, quae illam explicationem non dico commendant, sed flagitant. Sive enim v. ὃ ἑωρ. τ. ὀφϑ. ἡμ. — κ. αἱ χ. ἡ. ἐψηλ. intueris, quippe quae non possint nisi ad rem vel personam referri, quae sub sensus cadit oculisque et manibus potest usurpari, sive ad v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ., κ. ἡ ζ. ἐφ. κ. ἑωρ. et ἥτις ἦν πρὸς τ. πατέρα κ. ἐφαν. ἡμῖν respicis, de persona hic agi existimes necesse est, quae antea occulta se post in hominum conspectum dederit. Adde denique, quod verborum ornatus hic altius quid quaerendum suadet quodque ὁ λόγος, qui sane in ev. Joh. ἐν ἀρχῇ dicitur fuisse, in hac ipsa epistola II, 13. 14. ipsis vocc. ὁ ἀπ' ἀρχῆς notatur. Sed quamvis haec omnia recte disputata esse fatearis, quaerere tamen licet, cur Johannes ὃ et ἀπ' ἀρχῆς scribere maluerit, quam ὅς et ἐν ἀρχῇ, quo denique consilio his verbis epistolam suam inchoarit.

Mirari licet, quod illud ὅ viros doctos tantopere offendit et lusit. Nam cum scriptores saepissime Neutro genere unam pluresve personas ita significent, ut aut universali notione sententiae vim acuant (cf. Hebr. VII, 7. [Horat. Sat. I. 3, 18. Nil fuit unquam sic impar sibi]) aut notionem ex contextis nemini ignotam in universum innuant (cf. Matth. I, 20. Luc. I, 35. Joh. III, 6. VI, 39. XVII, 2. 1 Joh. V, 4. 1 Cor. I, 27. 28. 2 Thessal. II, 6.), non sane video, cur in vocula ὅ haereas, qua universali notione quid indicatum sit per adjecta verba satis est perspicuum. Cur vero hoc modo scribere maluerint in singulis locis fere ratio reddi potest probabilis, quae hic quidem nullum fugere debebat interpretem. Praeterquam enim quod illud ὅ orationis sublimitati, cui Johannes h. l. studuit, perquam erat accommodatum, effecit etiam concinnitatem orationis verborumque conclusionem cf. ὅ-ὅ-ὅ-ὅ- [16]). De v. ἀπ' ἀρχῆς magnopere titubatum. Alii enim cum ἀπ' ἀ. et ἐν ἀ. utique inter se convenire dictitarent ll. Matth. XIX, 4. 8. perperam cl., alii hoc quidem l. ἀπ' ἀρχ. omnino diversum esse contenderunt, pauci utriusque generis dicendi diversitatem utcunque assequuti sunt. Magnum profecto discrimen est, utrum ἀπ' ἀ. an ἐν ἀ. dicas, quamquam interdum de una eademque re utrumque adhiberi licet, non quo summa commutetur sententia, ita vero, ut si hoc illudve adhibueris sententia paullo aliter animo informata sit, id quod in hunc cadit locum. Johannem illis ll. voc. ἀρχή mundi initium indicasse non minus certum est, quam quod fuisse Christum jam ante mundum conditum docuit (cf. Joh. XVII, 5.), unde sequitur, v. ὁ λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ et ἀπ' ἀρχῆς non ita explicari posse, ut huic sententiae Johanneae repugnent. Jam vero ἐν ἀρχῇ, quod plane respondet nostro *im, beim Anfange*, minus est definitum et pro contextis latius patere potest. Sic aeque recte dicas ἐν ἀ. ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν atque ἐν ἀ. ἔπλασεν ὁ θ. τὸν Ἀδὰμ κ. τὴν Ἕναν. Ὁ λόγος autem si jam

16) Aliter nuper de Wette (v. s.), sed ejus ratio meo judicio argutior est et eam Johanni tribuit cogitationem, in quam nostri homines inciderint, non Johannes. Vix enim dubitandum, quin Johannes τὸν λόγον nunquam non personam habuerit. — Priores interpretes, qui voc. ὅ Verbum divinum intellexerunt, per usitatam generum commutationem Neutrum pro Masculino usurpatum esse perhibuerunt vel etiam dogmaticas argutias hic quaesiverunt. Sic Henr. Bullinger „Christum, inquit, sine nomine insinuat, quod hominibus divina natura sit ineffabilis nomineque careat.“ Contra de Abr. Calovii, J. Christoph. Wolfii al. sententia voc. ὅ indicatur, in Christo esse ἄλλο κ. ἄλλο, non ἄλλον κ. ἄλλον.

ἐν ἀ.' ἦν (erat, non ὑπέστη), dicitur tantummodo tum fuisse. Potuit ἐν ἀ., potuit vero etiam jam antea existere; hoc non illa v. declarant, sed ex contextu vel aliunde cognoscendum. Hoc vero l. quid scriptor voluerit ex vs. 3. perspicitur. Sed ni fallor quaesitum, cur Johannes non scribere maluisset πρὸ τῆς ἀρχῆς vel simile quid. Quod curiosius faciunt; quamquam haud difficilis est responsio. Cum enim ἡ ἀρχή ultimus finis et terminus sit, quo tempus et spatium circumscribuntur, ab hoc ipso profecti sunt, qui non philosopha subtilitate, sed ad populi captum loquebantur accommodate, ut captui populari satisfacerent et quae esset τοῦ λόγου origo et natura quodammodo posset perspici. Quid enim, si jam tum erat? Ἀπ' ἀρχῆς multo est definitius, quandoquidem terminum accurate definit, a quo quid fuerit, quamquam non ubique haec est scriptoris mens, quasi ab illo ipso tempore quidquam fuerit nec jam ante esse potuerit. Oratio contexta consulenda. Fieri enim potest, ut scriptor tum quidem satis habeat, illum ipsum terminum, a quo quid fuerit, cum vi indicare, cum jam antea illud fuisse nemo nesciat [17]). Ita hoc prorsus l., quo Johannes hanc ipsam ob causam, quam supra memoravi, ab initio mundi profectus τὸν λόγον ab illo initio fuisse asserit, non quo illum jam antea fuisse neget, sed quia loquitur ad populi captum accommodate. Neque obscuritatem loco obduxit, cum quid sibi vellet nulli latere posset lectori, quamquam si qua est hujusmodi in locis ambiguitas non tam scriptor eam effecit, quam res ipsa. Cf. 2 Thess. II, 13. — εἵλατο ὑμᾶς ὁ ϑ. ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν —. Quae si recte disseruimus, v. ἐν ἀ et ἀπ' ἀ. in locis illis Johanneis sententia conveniunt, significatione differunt neque anxie quaerendum, cur h. l. ἀπ' ἀ. scriptum sit. Nam cum duo verba aeque bene poni poterant, raro docebis, cur hoc illudve scriptor collocare maluerit. His dictis jam est perspiquum, Johannem animo commoto elatius dicendi genus sequutum v. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς (*Welches Wesen vom Anfange an war*) epistolam inchoasse. Sane quidem non utique opus erat hac sententia et ei satius videri poterat dixisse, ea se lectoribus de Christo nuntiare, quae ipse sensibus suis percepisset. Sed illa v. ei orationi, quam sectabatur maxime erant accommodata, quae cum ei, uti esset af-

---

17) Haec pari modo ad vocc. עַד, μέχρι, ἄχρι et quae hujus sunt generis accommodanda, qua de re plura disputavit C. F. A. Fritzsche ad Matth. p. 53. s.

fectus, facile sese obtulissent eo libentius propter lectores posuit, quos statim ab initio epistolae de magnitudine Christi monerent [18]).

Ut quae sequuntur vs. 1. verba, quorum genuinam vim nullus quod sciam interpres hucusque satis assequutus est, recte intelligas, primum de notione vocc. ὅ et quo vinculo v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* cum antecedentibus contineantur disquirendum. His recte constitutis reliqua intellectu sunt facillima. Omnino v. ὃ ἀκηκ. — — *περὶ τ. λ. τ. ζ.* arctissime copulanda. Jam nisi antegressis v. te decipi passus es, in voculis ὅ nonnisi universalem notionem *quod*, quae sequentibus v. accuratius constituitur, deprehendere potes, duabus maxime de causis. Quidquid enim de v. *περὶ τ. λ. τ. ζ.* statuendum, illud perspicitur, ea explicandi causa ita adjecta esse, ut quo illud ὅ referendum esset intelligeretur. Praeterea vero illam notionem expetit apodosis vs. 3. Licuit quidem dicere *ἀπαγγέλλομεν τὸν λόγον, τὸν Χόν*, sed multo erat proclivius ita disputare: *ἀπαγγ.* ὃ — *περὶ τ. λ. τ. ζ.*, idque hic locum habere ipsa v. *περὶ τ. λ. τ. ζ.* argumento sunt, quae alioquin nullum habent explicatum. His recte perpensis tantum abest, ut v. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς offendi liceat, ut nunc demum appareat, cur Johannes haec v. illa, qua dixi; ratione praemiserit. V. *περὶ τ. λ. τ. ζ.* fere semper explicatoribus negotium crearunt. Sed vocc. ὅ illo modo explicatis Apostolum, cui accuratius ita dicendum erat: ὃ *ἀκηκ. περὶ τ. λ. τ. ζ.*, ὃ ἑωρ. — — *τούτου τοῦ λόγου*, aut concinnius ὃ ἀκ. — — ἐψηλ. *τοῦ λ. τ. ζ.*, v. *περὶ τ. λ. τ. ζ.* licet in fine protasis collocata non verbis ὃ ἑωρ. — — ἐψηλ., sed primo verbo ἀκηκ. aptasse tam est perspicuum, quam quod maxime. Itaque v. ὃ ἑωρ. — ἐψηλ. *διὰ μέσου* posita sunt, quae dicendi ratio apud Graecos usu venit saepius [19]) cf. Eurip. Hecub. ed Herm. 689. ὤ μοι, αἰαῖ, ἔμαθον

---

18) Quibus nuper argumentis haec verborum explicatio impugnata est (*v. Theolog. Literaturbl. zur Allg. K. Zt.* 1837. N. 142.) iis vereor, ut multum tribuendum sit. Quum enim Vir Doctissimus illa ratione ὅς scribendum fuisse asserit, non satis ad ea videtur attendisse, quae super hac de re disputavi. Praeterquam enim quod Johannes inprimis pro indole sua Neutro genere delectatur, quo notionem ex contextis satis notam in universum designat, cur h. l. ita scripserit aliae praeterea afferri possunt rationes, v. s. Deinde vero v. ἀπ' ἀρχ. cum propter l. Joh. I, 1. tum propter orationem contextam de initio mundi explicanda sunt. Tantum enim abest, ut hac ratione aliena huic l. obtrudatur sententia, ut haec sola subjectis verbis, quibus de Verbo Dei exponitur, respondeat.

19) Sed recte frater meus Erasmum vituperavit, qui eam in l. Marc. XIV, 54. deprehendit.

ἐνυπνον ὀμμάτων | ἐμῶν ὄψιν. οὐδὲ παρέβα μεφά | σμα μελανόπτερον, ἂν ἐσεῖδον ἀμφὶ σ', | ὦ τέκνον, οὐκέτ' ὄντα Διὸς ἐν φύει. Alia hujusmodi attulit carissimus frater Franc. Volkmar. F. Quaest. Lucian. p. 176. Hoc autem l. Johannes illa v. ideo ad ἀκηκ. accommodavit, quod hoc verbum utpote primarium memoria tenebat et sequentia v. eo tantum adjecerat consilio, ut quantum esset suum testimonium, qui ipse rebus christianis testis oculatus interfuisset, graviter enuntiaret et lectoribus quasi ob oculos collocaret. Τὸν λόγον hic ut Joh. I, 1. Christum dici jam supra satis comprobavi [20]), nec quid adjectus Genitivus τῆς ζωῆς sibi velit obscurum. Non male vetus interpres apud Matthaeium τ. ζωῆς] τῆς αὐτοζωῆς, τῆς πηγαζούσης τὸ ζῆν. Potest enim aliquis duplici modo tropice ἡ ζ. dici, quia nimirum vitam, quae indicatur quam maxime habeat aut aliis impertiat, quorum quid quovis l. significetur ex contextis cognoscendum, quamquam utrumque ita conjunctum esse potest, ut quo maxime singulis in ll. scriptor respexerit satis sit indicasse. Christus vero, qui vitam vere vitalem, vitam aeternam quam maxime continuit eamque jam inde a mundo condito cum hominibus communicavit (v. Joh. I, 5. 9. 10.) potuit quidem utraque ratione ἡ ζωή appellari, sed ut se ipse τὴν ζωήν Joh. XI, 25. XIV, 6., τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς VI, 35. 48. cl. vss. 27. 33. 34. 51., τὸ φῶς τ. ζωῆς VIII, 12. (cl. ll. Luc. II, 32. Joh. I, 9. IX, 5.), quippe qui vitam hominibus suppeditaret, nuncupavit patique modo ab Johanne I, 4. ἡ ζωή dicitur (Coloss. III, 4.), ita h. etiam l. Christum τὸν λόγ. τ. ζ. et τὴν ζ. ideo dici consentaneum est, quia vitae fons et dator hominibus exstitit. Accedit, quod hic quidem ὁ λόγος non tam is describendus erat, qui

---

20) Mira narrat de Wette, cum v. περὶ τ. λ. τ. ζ. de evangelio dicta esse comprobare studet, cujusmodi hoc est, v. ὃ ἦν ἀ ἀ. connecti non posse cum v. π. τ. λ. τ. ζ., quia ὃ ἦν ipse sit ὁ λόγος (v. s. Imo quia nec per verba, nec per sententiam fieri potest. v. s.). Rationem autem, quae inter v. ὃ ἦν ἀ. ἀ. et π. τ. λ. τ. ζ. intercedat multo melius intelligi, si τ. λ. τ. ζ. de evangelio explanes. At vero v. ὃ ἦν ἀ. ἀ. non dico causa ac ratione carent, sed plane absurda sunt, nisi pari modo τ. λ. τ. ζ. explicas. Et satis credo convenienter ita disputatur: quae natura erat ab initio, quod — — de Verbo vitae (= de illa natura) —. Habeat sane haec v. insoliti quid, sed ejus rationem jam supra aperui. Altera de Wettii ratio, Apostolum alioquin paullo post scripturum fuisse κ. οὗτος (ὁ λ. τ. ζ.) ἐφαν., non κ. ἡ ζ. ἐφ., ei tantum videri potest speciosa, qui non reputavit, potuisse h. l. nullo sententiae discrimine utrumque collocari, Johannem vero τῆς ζ. vocabulum, quod adamaret, h. l. propter memoriam v. τῆς ζ. adhibere maluisse.

vitam illam complexus esset, quam qui hominibus eam impertiret. Quare enarra: de Verbo vitae (vitam praebente, vitae fonte), vita (vitae fons) nimirum — . ὃ ἀκηκόαμεν] quod audivimus de Verbo vitae; explicationis causa adjiciunt alii „ex prophetis," alii „a Johanne baptista," vulgo (v. s.) „Dominum ipsum docentem." Sed eorum sententia, qui ad prophetas respiciunt, ideo stare non potest, quia Apostolus ea intellexit, quae ipse usu expertus est v. squu. Omnino cum sententiam universe enuntiaverit, non quaerendum, quae singula maxime innuerit. Imo omnia comprehendit, quae fide quippe dignissima sive ab Johanne baptista, sive a Domino ipso, sive denique ab aliis audiverat. Cum vero hic et vss. statim sequentibus prima Pluralis usus sit persona, quaesitum, utrum se solum intellectum voluerit, an alios praeterea testes oculatos innuerit. (Beza) Vulgo posterius ita probant, ut ad reliquos etiam apostolos respexerit, pauci (Slichting., Lange) prius amplexi sunt. Hi quidem verissime. Nihil enim hujusmodi Plurali, quo scriptor se solum significat, usitatius est et frequentius parique modo Johannem hic loquutum esse, ut historicas omittam rationes, verba γράφομεν (vs. 4.), ἀκηκ. κ. ἀναγγέλλομεν (vs. 5.) gravissimo sunt argumento. Nam his haud dubie se solum significavit neque vero ullo modo indicavit, haec aliter dicta esse atque antecedentia verba, quod utique necessarium fuisset. ὃ ἑωρ. — — ἐψηλ.] quod vidimus oculis nostris, quod contemplati sumus et manus nostrae contrectàrunt. In his v., quibus egregie describitur, Apostolum testem oculatum res christianas ipsis suis sensibus percepisse, gradatio inest, quae paucos praeteriit explicatores. Verbo ἀκούειν gravius est ὁρᾶν τ. ὀφθ., hoc gravius θεᾶσθαι, gravissimum vero ταῖς χερσὶ ψηλαφᾶν [21]). De v. θεᾶσθαι paucioribus, quam velles, absolvit J. A. Henr. Tittmann (De synonymis in N. T. l. I. Lips. 1829. p. 120. 121.), qui θεᾶσθαι et θεωρεῖν plerumque poni observat, quum studium videndi et contemplandi cogitandum sit. Omnino θεᾶσθαι, quod a Graecis saepissime de spectaculis dictum est (θέα, θέαμα, θέατρον al.) et nostro *schauen*, *beschauen* prorsus respondet, attente videre, contemplari notat (Matth. XXII, 11. Luc. V, 27.) ideoque in iis locis poni solitum est, in quibus oratio augustius quid redolebat cf. Matth. XI, 7. Luc. VII, 24. Act. I, 11. Joh. I, 14. 32.

---

21) Attulerunt viri docti ll. Joh. XX, 20. 27. Luc. XXIV, 39. Sed nihil hujusmodi locis opus est; an probandum, Johannem, amatissimum et ἐπιστήθιον Christi discipulum, Dominum suum manibus contrectasse?

IV, 35. ep. I. I, 1. IV, 12. 14. Sed neque in his neque in aliis locis propriam suam et genuinam vim prorsus amisit, quamquam per contexta hanc illamve notionem adjunctam habere potest [22]. Male antesteris hujusmodi loca Marc. XVI, 11. 14. Joh. I, 38. VI, 5. VIII, 10. XI, 45. Act. XXI, 27. XXII, 9., in quibus non nego quidem aliter dici potuisse, ita tamen, ut sententiae paullo aliter animo conceptae essent. Imo scriptores graviori et augustiori verbo gravius loqui maluerunt. Nec denique locus in ep. ad Rom. XV, 24. me offendit: *ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλπίζω διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς κ. ὑφ᾽ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ*, quem Tittmann l. l. perperam ita explicat: „Paulus non dicit tantum, se eos visurum, sed res eorum diligenter inspecturum esse.“ Ubi tandem hoc dicit? Contra praetereuntem tantum se eos conventurum scribit et abiturum, cum ex parte eorum consuetudine satiatus fuerit. Sed bene habet *θεᾶσθαι* in hujusmodi locis, si modo memineris, Graecos saepissime aliter ac nos notiones animo esse complexos. Ita aliquem convenire utrique verbis aliquem videre expresserunt, nisi quod Germani lenius videndi, Graeci gravius contemplandi verbum adhibere maluerunt.

Jam sententia vs. 1. inchoata vs. 2. intercipitur. Quum enim Apostolus dixisset, se Verbum vitae vidisse, contemplatum esse, quin adeo manibus contrectasse, quaeri sane poterat, qui tandem Verbum illud sensibus potuisset percipi. Omni igitur obscuritati, qua illa verba laborare videntur, ita occurrit, ut Verbum vitae apparuisse asseveret seque illud ipsum vidisse, quod jam lectoribus suis praedicet. Est autem manifestum, Johannem suam mentem brevius ita fere declarare potuisse: *καὶ ἡ ζωὴ, ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, ἐφανερώθη ἡμῖν*, sed veritus, ne prave intelligeretur, multo pluribus usus est verbis nonnullaque adjecit, quae Lückium offendisse nollem. Bene habent omnia. *Καί* explicat, ut sexcenties: nimirum. Cf. Fritzsche frater carissimus ad Matth. p. 52. *Φανεροῦσθαι* se manifestum reddere, se conspiciendum praebere, apparere notat. De Christo tum ideo usurpatur, quod carne indutus homo apparuit cf. I Joh. I, 2. III, 5. 8. (IV, 2.), 1 Tim. III, 16. 1 Petr. I, 20., tum quod aliquando ultimis temporibus iterum veniet cf. I Joh. II,

---

22) Oecum. *θεᾶσθαι ἐστι τὸ μετὰ θαύματος καὶ θάμβους ὁρᾶν*. Male. Neque enim per sese hanc vim habet, sed hic illic per adjecta verba accepit, ut Matth. VI, 1. XXIII, 5.

28. Coloss. III, 4., tum quod post resurrectionem discipulis se conspiciendum praebuit cf. Marc. XVI, 12. 14. Joh. XXI, 14. 1. ἑωράκαμεν] ὃ ἑωρ. B. 40. Haec lectio nec verborum complexionem faciliorem reddit (utique enim langueret haec oratio: vita enim apparuit et quod vidimus, illud etiam testamur et nunciamus vobis hanc vitam aeternam; quin perplexa esset, cum illud ὅ sententiam universalem afferret, quae ab h. l. prorsus aliena est, neque cur μαρτυροῖμεν cum vi dictum esset perspiceretur. Quamquam v. τὴν ζ. τ. αἰών. satis magno sunt argumento, v. ἑωρ. κ. μαρτ. nonnisi ad ἡ ζ. posse respicere), neque correctionem sapit (Lücke l. l. p. 119. 120.), sed manifestus scribarum est error, quibus vs. 1. fraudi erat. Nec magis Lückium probare possum, qui multo simpliciorem eam rationem esse existimat, qua v. κ. ἑωρ. κ. μαρτυρ. ad v. τὴν ζ. τ. αἰών. referuntur, quam si ex praegressis ἡ ζωή ea mente repetis, quae illa verba expetunt. Nihil dubitandum, quin v. κ. ἑωρ. κ. μαρτυρ. cum antecedentibus arctissime conjungenda sint, in quibus neminem facile breviloquentia usitatissima male habebit, qua ad ἑωρ. αὐτήν et ad μαρτυρ. περὶ αὐτῆς mente addenda sunt. Verba autem κ. ἀπαγγ. ὑ. τ. ζ τ. αἰών. sui juris sunt, quae cum v. μαρτυρ. effecisset denuo cum vi inculcandum videbatur, de quanam vita sermo esset. Si ἥστις ad certam quandam antea memoratam rem refertur modo leviorem explicandi, modo, ut hic (quippe quae) Rom. I, 25. II, 15. VI, 2 al., graviorem causae et rationis vim habet. Jam v. ἥτις — — ἡμῖν arcte consocianda, quae causam reddunt, cur jam liceat vitam illam, quae aeterna sit, annuntiare. Quippe vita illa apud patrem erat, sed nobis apparuit *(das ja bei dem Vater war, aber uns erschienen ist)* τὴν ζ. τ. αἰών.] Calvinus: „non dubito, quin de effectu loquatur, nempe quod annuntiet, beneficio Christi partam nobis esse vitam.“ Sed si hanc inieris explicationem: annuntiamus vobis vitam aeternam, quippe quae (priusquam Verbum homo apparuisset) apud patrem esset et mihi (per Verbum, quod vitam aeternam manifestavit) apparuerit (ita ut eam jam possim praedicare), vereor, ne alienam prorsus loco obtruseris sententiam. Imo per contextum (attende etiam ad Articulum τὴν ζ. τ. αἰ.) Christus ipse intelligendus, qui jam non ἡ ζ., sed ἡ ζ. ἡ αἰών. ideo credo dicitur, quia notio τῆς ζ. clarius efferenda videbatur, h. m.: — hanc vitam (vitae fontem) aeternam (*diese ewige Lebensquelle*). Nam cum ἡ ζ. h. l. Christi notionem in universum complectatur, v. s. ἡ ζ. adjectum voc. αἰών. eam magis definiat necesse est nec potest statui,

Christum τὴν ζ. τ. αἰών. utpote aeternae vitae auctorem dici. Non negamus equidem, hoc per se recte fieri posse, sed nostram explicationem cum antecedentia commendant, tum sequentia flagitant, quibus cur aeternum illum jam annuntiare liceat exponitur. His dictis nihil puto hoc versu clarius magisque est perspicuum. Johannes enim explicaturus, qui ὁ λ. τ. ζ. sub sensus ceciderit ita disputat: vita (vitae fons) enim apparuit (quae cum verborum ὃ ἑωρ. — — π. τ. λ. τ. ζ. explicandorum causa dicta essent se ipse magis explanans adjecit) et vidimus (eam. Sed quam ita inchoarat sententiam eum ulterius prosequi in proclivi erat, cum praesertim ejus animo praegressorum apodosis obversaretur. Itaque addidit) et testamur (de ea) et annuntiamus vobis vitam illam aeternam (sed qui tandem?), quippe quae apud patrem esset, nobis vero apparuerit. Jam dixerat, quae hic dicenda erant, vel potius dici poterant et interceptam sententiam texere perrexit. Lückio judice hanc parenthesin minus accurate constitutam esse jam supra dixi. Sed licet fatear, v. κ. ἑωρ. — — τ. ζ. τ. αἰών. non utique necessaria fuisse et v. κ. μαρτ. κ. ἀπαγγ. ex parte propter apodosin adjecta esse, quam Apostolus in mente haberet, nihil tamen offendor. Verbum ex verbo natum est. Neque apodosis anticipata, quandoquidem τὸ ἀπαγγέλλειν τὴν ζ τ. αἰ., quod hic scriptum legitur, de solo Christo valet, contra quod sequitur τὸ ἀπαγγ. ὃ ἑωρ κ. ἀκηκ. in universum omnia complectitur, quod praeconium apostolicum continent. Unum concedo, illis verbis lectis jam attentum lectorem apodosis sententiam conjectura assequi posse.

Ut quam vs. 1. inchoaverat Johannes et propter longiorem vs. 2. parenthesin neglexerat sententiam vs. 3. absolveret, perspicuitatis causa primum memoriam vs. 1. verbis ὃ ἑωρ. κ. ἀκηκ. redintegravit, h. m.: quod (igitur) vidimus et audivimus —. ὑμῖν] καὶ ὑμῖν ABC. 7. 13. 40. 68. al., quos libros sequutus est Lachmann. Vetus est textus depravatio, quae cum ex v. καὶ ὑμεῖς facile orta esset in plures eosque bonos libros irrepsit. Apostolo aut ut est in textu recepto scribendum erat, aut ita: ἀπαγγ καὶ ὑ., ἵνα κοιν. ἐχ. —, illo modo scribere non potuit [23]). Quod cum Syrus, quem utrumque καί in textu graeco invenisse probabile est, perspexisset prius tantum transtulit, posterius omisit. V. ἀπαγγέλλομεν (vs. 2 et 3.)

---

23) Alius generis sunt ll., in quibus καί comparativum bis legitur, ut Matth. XVIII, 33. Rom. I, 13. Coloss. III, 13.

non ad hanc respicere epistolam tum ex ejus argumento elucet, quod non tam in historia et doctrina enarranda versatur, quam exhortatorium est, cum ex vs. 4. perspicitur. Verbis enim *ταῦτα γράφομεν*, quae ab illo *ἀπαγγέλλομεν* utique diversa sunt, ea Johannes significavit, quae jam scripturus erat. Sed cum epistolam ita exaraverit, ut Apostolum Christianis, quos probe cognoverat, doctorem discipulis scribere par erat, hanc, qua cum lectoribus junctus erat, necessitatem prioribus vss. intuitus non *ἀπηγγείλαμεν*, sed Praesens usurpavit, quo lectorum se doctorem esse in universum indicaret (Joh. VIII, 58.). Nam his evangelium praedicaverat et licet tum per literas praedicabat et vero etiam praedicaturus erat. *ἵνα κ.* — — *ἡμῶν*] ut vos etiam communionem habeatis nobiscum (sicuti jam alii nobiscum communionem habent) *μεθ' ἡμῶν*] nobiscum i. e. mecum; non, nobiscum sc. Christianis aut Apostolis. Johannes enim in praegressis de se solo loquutus est (v. s.). *Κοινωνίαν ἔχειν* (vss. 6. 7.) ita plane ut *κοινωνὸν εἶναί τινος* per se indefinitum est ideoque qua in re cernatur communio ex contextis vel aliunde constare debet (cf. II Cor. VIII, 23. Phil. I, 7. Hebr. X, 33, Matth. XXIII, 30 al.). Hoc autem l. illa cum Apostolo communio eo accuratius definitur, quod communio esse dicitur cum patre ejusque filio Jesu Christo, cujus ratio et indoles lectores haudquaquam effugere potuit[24]. Etsi vero *κοιν. ἔχειν* ubique denotat communionem habere, in communione versari, potest tamen per contexta ita adhiberi, ut sententiam explanaturus transferas communionem assequi. Ita hoc prorsus l., ubi Apostolus vocula *ἵνα* satis indicavit, eo consilio se lectoribus evangelium praedicare, ut communionem secum assequerentur, v. *ἔχειν* autem, non quod assequendi notionem haberet, adhibuit celeritate quadam cogitandi, qua non ad assequendi respexit actionem, sed ad posteriorem habendi, possidendi statum, quod in omnibus credo linguis usu venit saepissime. Aliter vero Lückio visum est, qui haec v. de communione, quam jam lectores cum Apostolo iniissent

---

24) Verissime Lücke l. l. p. 126. monuit, communionem Christianorum fidei vinculo patri ejusque filio habendae contineri, modo ne adjecisset, hoc clare et perspicue v. *κ. ἡ κοιν.* — *Χοῦ* enuntiari. Imo ex his v., quae alio plane consilio addita sunt (v. inf.) hoc nonnisi ratiocinando effici potuit. Ceterum de notione *κοινωνίας* Johanneae, quam minus assequutus est Traug. A. Seyffarth *(Ein Beitrag zur Special-Charakteristik der Johann. Schriften* p. 87. squu.) v. praeclarum Neandri librum *Geschichte der Pflanzung und Leitung der christlichen Kirche durch die App.* II. p. 483.

retinenda enarravit: ut etiam vos communionem retineatis, in ea perseveretis; quia nimirum Johannes non primus illos praeconio suo fide christiana imbuisset, sed post demum eorum necessitatibus succurrisset. Sed ut v. *κοινων. ἔχ.* illam interpretationem admitterent, V. D. non satis ad diversitatem attendit, quae inter *ἀπαγγέλλ.* vs. 3. et *γράφομεν* vs. 4. intercedit nec vim v. *μεθ' ἡμῶν* omnino assequutus est. Hoc enim l., ubi Apostolus *in universum* de nuntio suo evangelii, quem ad lectores perferret, loquutus est, verissime hoc se spectasse affirmavit, ut communionem *secum* assequerentur, haberent. Nec prius enim cum eo communionem habebant, quam iis evangelium praedicaverat. Sed recte aliter vs. 4. loquutus est, ubi *hujus* epistolae scopum indicavit. Verba *κ. ἡ κοινων.* — — *Χοῦ* satis plana sunt, si modo communem fere interpretum errorem evitaveris, quo v. *ἡ κοιν. ἡ ἡμετέρα* aut communio cum apostolis (Seb. Schmid al.), aut quae omnino inter fideles intercedit (Lücke) intelligitur. Quum enim Johannes in antecedentibus Plurali Numero se solum significaverit (v. s.), v. autem *κ. ἡ κοιν.* — *Χοῦ* notionem *κοινωνίας μεθ' ὑμῶν* explicent magisque definiant, non potest profecto *ἡμετ.* nisi ad solum Apostolum referri. Praeterea Lücke eo sententiam corrupit, quod vocc. *καὶ* — *δέ* significationem *non solum — verum etiam, et — simul vero etiam* tribuit. Mire hanc opinionem duobus ll. ex Vigero (ed. Herm. ed. II. p. 545.) petitis firmavit, quorum alter Thucydidis: *δίκαιον γὰρ αὐτοῖς, κ. πρέπον δὲ ἅμα, τὴν τιμὴν ταύτην δίδοσθαι* continet quidem notionem *simul*, sed quam adjecto voc. *ἅμα* accepit, alter Demosthenis: *εἰ ῥήτωρ ἐστὶν, οἵους ἐνίους ἐγὼ κ. ὑμεῖς δὲ ὁρᾶτε* nihil nisi hoc enuntiat: si rhetor est, cujusmodi nonnullos ego, *et* vos *vero* videtis. Potuissent quidem scriptores in hujusmodi ll. interdum illam, quam Lücke vult, sententiam efferre, sed tum notionem aliter animo informassent aliisque verbis opus fuisset. At satis constat, voculas *καὶ* — *δὲ* semper ita poni, ut aut *et* — *vero* (maxime in gravi distinctione: ut ego — et vero tu) Marc. IV, 36. Luc. II, 35. Joh. VI, 51. VIII, 16. 17 al., aut *etiam* — *vero* Joh. XV, 27 al. denotent. Noster locus, quo communio antea tantum memorata paucis exponitur, solam priorem recipit significationem h. m.: et communio vero nostra cum patre est (pessime Vulg., Grot. al. sit) et cum ejus filio J. Chr., h. e. communio autem mea (mecum) est, si rem accuratius consideraveris, communio cum ipso patre ejusque filio, quae temere sperneretur. Non igitur otiosa illa v. sunt, sed utique necessaria, quippe quae lectores moneant, quanti facienda sit illa cum Apostolo

communio. A nonnullis libris Msscr. (C. 13. 27. 29. al.) abest δέ, quibus si obsequutus fueris, ita enarrandum: communio nimirum mea (non, mecum) communio est cum patre —. Sententia nihil habet offensionis, quamquam non dubito, quin δέ, quod non perspexissent, consulto damnaverint.

Postquam his prioribus tribus vss. in universum significavit, se, testem rerum christianarum oculatum, ea ipsa, quae vidisset et audivisset lectoribus praedicare, quo hi etiam secum communione conjungerentur, reliquum erat, ut quo consilio hanc ad eos daret epistolam subjungeret, quam sententiam versu 4. enuntiavit. Voc. ταῦτα non ad praegressa, sed ad ea, quae jam exponuntur respicere cuique in promptu esse debet, qui tum satis memor est, hos quattuor vss. epistolae prooemium esse, tum ad diversitatem attendit, quae inter v. ἀπαγγ. — μεθ' ἡμῶν et γράφομεν — πεπληρ. intercedit. γράφομεν ὑμῖν] γρ. ἡμεῖς A*B. 13. harl*., quod in textum recepit Lachm. Male. Quamquam enim non plane quidem incommodum acumen in locum inveheret (Lücke), licuit enim ita scribere: et haec *ego* (testis scil. rerum christ. oculatus) scribo, fateor tamen, hoc acumen hic neutiquam requiri. Praeterea ἡμεῖς paucis illis libris non satis firmatur ejusque originem ex eo repetierim, quod in antecedentibus v. ἀκηκ. rell. apostolos notari opinati (v. s.) jam voc. requirebant, quo vs. 4. de solo Johanne valere indicaretur. V. etiam ll. II, 26. V, 13. ἡ χαρὰ ὑμῶν] ἡ χ. ἡμῶν 31. 40. 57. al., Syr. ܚܕܘܬܢ ܕܝܠܢ Eadem lectionis diversitas invenitur in ep. II. vs. 12., ubi Lachm. plaudente Lückio ὑμῶν scripsit. Sed valde dubito, an utrique loco par sit ratio. Et hoc quidem l. per sententiam nonnisi ὑμῶν ferri potest, siquidem v. ἀπαγγ. — μεθ' ἡμ. in universum consilium praeconii Apostoli edisseritur, v. vero γράφ. — πεπλ. quid hac epistola spectetur adjicitur. Itaque vs. 3 et 4. eandem sententiam contineant necesse est, nisi quod in vs. 4. gradatio inesse debet. Pari modo licet alia, sed nihil attinet omnia afferre, cum praesertim ἡμῶν vetus quidem, sed paucis pejoris notae libris firmata sit lectio, quam exinde puto exstitisse, quod ἡ χ. ὑμῶν male intellecta offensioni erat. Sed alia ratio est ep. II. vs. 12., ubi quamquam ὑμῶν A. 13. 27. 29. al. firmant libri, lectio tamen vulgata ἡμῶν contextis commendatur. Χαρά h. l. gaudium est hominis christiani de fide sua, „gaudium, ut recte Bengel, fidei, gaudium amoris, gaudium spei.“ Sane vero hac in terra illud nunquam plenum et perfectum esse potest, cum fides nostra nonnisi manca sit,

sed ut Servator probe quidem memor fragilitatis humanae summum tamen et perfectum exemplum hominibus imitandum proposuit (Matth. V, 48.), ita etiam Johannes id se agere perhibet, ut lectores plenum gaudium nanciscantur. Solet omnino ad eam Christianorum perfectionem respicere, quae nunc quidem sola cogitatione comprehenditur nec vero vita exprimitur (v. 7. III, 6. 9.). Cf. quae Neander l. l. II. p. 474. sequ. exposuit. V. χαρὰν πληροῦν praeterea leguntur Joh. III, 29. XV, 11. XVI, 24. II. ep. v. 12. In eo igitur hujus epistolae consilium cernitur, ut lectores in vera fide christiana magis magisque confirmentur, non ut primum ea imbuantur.

His disputatis horum versuum vis non jam obscura esse potest, quam ut uno quasi obtutu pervideas, totum locum ita describere placet: „Quod (quae natura) erat ab initio (mundi), quod (quas res) audivi — quod oculis meis vidi, quod contemplatus sum et manus meae contrectarunt — de Verbo vitae (vitae fonte) — vita (vitae fons) enim apparuit (potui igitur eam videre, contemplari et contrectare) et vidi (eam) et testor (de ea) et praedico vobis hanc aeternam vitam, quippe quae apud patrem esset, nobis vero apparuerit (ita ut eam jam possim annuntiare) — quod (igitur) vidi et audivi annuntio vobis, ut vos etiam mecum communionem habeatis (sicuti jam alii mecum communionem habent), et communio vero mecum est communio cum patre ejusque filio, Jesu Christo (unde communionem meam pessime flocci penderetis). Et haec (quae sequuntur) vobis scribo, ut gaudium vestrum de fide vestra christiana in diem majus fiat, imo perfectum reddatur.

Ecce epistolae prooemium, quod nihil continet, nisi quod lectoribus tum primum dicendum videbatur, nimirum Johannem, initiorum christianorum testem oculatum, lectorum esse doctorem v. 1—3. jamque ad eos scribere, ut eorum fidem christianam reddat perfectam v. 4. Quaeri vero potest, cur Apostolus tam multis verbis se testem significaverit rerum christianarum oculatum. Sed cum ita verissimum esse suum testimonium et quod male in dubitationem vocarent probaverit, qua alia quaeso ratione ductus esse potest, quam quod ejus animo pseudodoctores obversarentur, quorum in errores ne lectores inciderent, pluribus hujus epistolae locis cavere studuit. Quomodocunque autem illi ceteroquin animati erant, hoc loco nonnisi ad eorum docetismum respexit, cf. vs. 1. id quod l. IV, 2. egregie concinit. Itaque huic errori, qui se ultro Apostoli animo offerret, cum suam doctoris auctoritatem esset vindicaturus *oblique* occurrit. Quae si recte disserui, non male quidem interpretes hoc l. adversarios

impugnari statuerunt, sed longe plurimi tum in eo errarunt, quod fere nihil, nisi polemicas rationes hic deprehenderunt, tum cujusmodi fuissent falsi illi doctores non perspexerunt.

Ad alterum jam accedimus hujus epistolae locum (c. II. vs. 7. 8.), non minus illum quidem ab interpretibus vexatum, sed de quo paucioribus absolvere licet. In eo enim explicando plurimi infelicissime versati sunt et nihil sane attinet, ea recoquere quae nec loco ipsi lucem praebent nec per historicas rationes ullius sunt momenti. Quare pauca tantum priorum interpretum eaque quasi praeteriens referam. Quo magis autem hujus loci ratio perspiciatur, priusquam ipsam interpretationem aggrediar, prioris epistolae partis argumentum exponam, praesertim cum hac de re aliis alia placuisse cognoverim.

Omnino ipsa epistola in duas partes distribuenda [25]), quarum priori (I, 5 — II, 11.) Apostolus sententiam: homini christiano Dei praecepta observanda ejusque vitam ad Christi exemplum componendam: duplici ratione (I, 5 — II, 2. II, 3 — 11.) persequutus est. Ita vero. Cum Deus, sicuti accepimus, lux sit (sanctus) et ab omnibus tenebris abhorreat, non possumus sane cum eo communionem (cui studemus) habere, nisi in luce incedimus (sancte vivimus) vs. 5. 6. Sin vero in luce incedimus, ut ille est in luce, habemus illam communionem sanguisque Jesu Christi liberat nos ab omni, quod commisimus, peccato. Sane quidem fideles etiam peccant, sed si modo recte affecti quam fieri potest maxime peccata fugiunt et quae peccarunt confitentur, tum fidus et justus Deus iis peccata remittet. Christus quippe iis opitulatur, qui (morte sua) mundi peccata expiavit. — II, 2. [26]) Porro, nos Deum cognovisse ex eo elucet, quod ejus

---

25) De alterius partis ratione et argumento in secunda dicam commentatione, in qua aliorum etiam de totius epistolae argumento sententias fusius recensebo.

26) Tum alia Lückii probare non possum, tum haec: vs. 7. *καθαρίζειν ἀπὸ πάσης ἁμ.* non notare purum reddere a peccatis commissis, poena peccatorum liberare, sed a peccato ipso liberare h. m.: et (tum) sanguis Jesu Christi efficit, ut omne vitemus peccatum (illum nimirum, summum divini amoris documentum, sanctum nostrum amoris studium provocare, alere et perfectum reddere). Hanc explicationem eo probavit, quod h. l. non de eo sermo esset, quod locum haberet, cum homo peccasset, sed cum peccata evitaret. Praeterea ex vs. 9. cognosci inter *ἀφιέναι τὰς ἁμ.* et

praecepta observamus [27]). Haec qui observat, certo Deum perfecte amat, in eo est. II, 3—5. Qui vero in eo se manere dicit, debet ut Christus vitam instituere (quandoquidem Christus noster dux et antesignanus est, qui in eo erat omniaque sua studia ad Dei voluntatem accommodavit) vs. 6. Ita vero non novum vobis scribo praeceptum, sed quod vobis jam scriptum est, cum ad castra christiana accederetis, quamquam quodam modo illud novum sane vobis scribo, siquidem vera lux jam lucet vs. 7. 8. Neque vero in luce versatur, qui fratrem odit. v. 9—11. [28]).

Sed de vss. 7 et 8., quorum genuina vis ex eo, quod modo posui argumentum, nondum satis perspicitur, uberius dicendum. Ver-

---

καθ. ἀπὸ π. ἁμ discrimen statuendum esse. Mihi secus videtur. Primum enim non illo modo tam obscure sanguinis Christi mentio facta esset, qui quamquam nos quam maxime monet summi Dei amoris nosque ad Dei fratrumque amorem instigat (IV, 9—12.), hanc tamen primariam vim habuit, ut hominum peccata expiaret (II, 2. IV, 10.). Si igitur in universum de efficacia sanguinis Christi sermo est, non licet nisi ad eam respicere, quae utpote primaria et genuina in toto N. T. praedicatur. Ita plane h. l. Et potestne tandem memoria illius sanguinis eam vim in homines exhibere, ut *omnino* vitent peccata? Praeterea perperam V. D. contextum antestatus est. Dixerat Johannes in universum, communionem cum Deo nos tum habere, cum in luce incederemus, ut Deus in luce esset, sed hoc non omnino fieri posse satis memor sequentia adjecit, ut sententiam suam explicaret, nimirum etiam fideles quidem peccare, sed si modo recte animati peccata quam maxime fugerent Christum esse *ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν*. Itaque v. κ. τὸ αἷμ. — ἁμ. nihil continere possunt nisi quod in vss. sequ., satis illis perspicuis, inest. De industria autem hanc sententiam tam multis persequutus est, ne male intellecta virtutis studio obesset. Vs. 9. denique formulae ἀφ. τ. ἁμ. et καθαρ. ἀπὸ π. ἀδ. metaphora, quae iis subest, distant, non sententia, nisi placet ita enarrare: — condonet nobis peccata et (imo) nos purget ab *omni* (vel levissima) injustitia. — *Παρακλ.* II, 1. vulgo advocatum, defensorem enarrant, malim opitulatorem, adjutorem, tum quia eodem sensu apud Johannem Spiritus S. ita nuncupatur (Joh. XIV, 26. XV, 26. XVI, 7.) atque etiam Servator ipse (Joh. XIV, 16.) tum quod vs. 2., qui cur Christus *παράκλητος* dictus sit explicat, in universum ad meritum Christi expiatorium respicitur.

27) Non munitur haec sententia, quia lectoribus non probanda, sed tantummodo in memoriam revocanda erat. Egregie vero Apostolus a v. *ἐγνώκαμεν αὐτόν* profectus est, quae tum, cum de *γνώσει* gloriari solebant, in omnium fere ore versabantur, h. m.: Deum cognovisse quis non cupiat, non dicat? Sed —.

28) Ut ita prorsus, ut scripsit, scriberet, ultimis vs. 8. v. adductus est. Quasi praeteriens autem lectoribus amorem fratrum commendavit, quem utpote primarium Dei praeceptum sexcenties inculcat.

sus septimus perquam est perspicuus, in quo non magis dubitandum erat, quodnam praeceptum novum dictum esset, quam quae vis verbis ἀπ' ἀρχῆς iisque subesset quae sequuntur. Nam cum Apostolus omnino hac epistolae parte lectoribus praeceptum commendet, quo in luce versari, Dei praecepta observare, ita vivere jubemur, ut Christus vixit, imo vs. 3. et 6. ejusmodi verbis illud enuntiaverit, quibus nihil potest esse clarius, vs. 7. autem vel ideo ad sequentia respicere non possit, quia nullum praeceptum iis continetur miro sane errore sero demum intellectum est, illud ipsum praeceptum jam non novum, sed vetus ab Johanne dictum esse. Sed ut peccatum ex peccato, sic ex errore nascitur error. Multi enim interpretes, qui praeceptum de diligendis fratribus notari sibi persuasissent [29]), tum ut praeceptum illud recte vetus et novum dictum esset tum aliis ducti rationibus, ἀπ' ἀρχῆς ad pristina mosaicae religionis tempora (Levit. XIX, 18.) rettulerunt, quod utut alioquin falsissimum nemini facile in mentem venisset, qui de novo illo praecepto recte statuisset. Cum enim h. l. de praecepto christiano sermo sit, quod lectoribus simulac facti sunt Christiani est scriptum, quae per se indefinita sunt v. ἀπ' ἀρχ. (v. s.) non possunt sane nisi lectorum initia christiana respicere ut vs. 24. III, 11. al. [30]) Postquam igitur Apostolus praeceptum illud lectoribus etiam atque etiam commendavit, ita disserere pergit: Amati, non novum ita vobis scribo praeceptum, sed vetus, quod ab illo inde tempore habuistis, quo fidem christianam amplexi estis. Hoc vero quamquam lectoribus satis cognitum esse debebat, ne ullus tamen dubitandi locus relinqueretur, altera versus parte firmare maluit. V. ἡ ἐντ. ἡ παλ. idem notare praeceptum quod modo οὐκ ἐντ. καιν. ἀλλ' ἐντ. παλ. dictum erat, vulgo perperam statuitur, sed ea collective, uti loquuntur, sumenda esse tum ex adjecto Articulo intelligitur, quo voc. ἐντολή et paullo ante vs. 7. et post vs. 8. caret, tum ὁ λόγος sat gravi argumento est, cujus universali notioni ἡ ἐντ. ἡ παλ. alioquin non responderet, quod utique necessarium est. Quare ita disputat: vetera

---

29) Usque ad novissima paene tempora vulgaris erat haec interpretum sententia, qui quidem in hoc loco explicando inter se discrepant. Quid, quod de Wette l. l. p. 235 ss. eam recoxit? Fraudi erat Viris DD. vs. 9. et II. Joh. XIII, 34. II. ep. 5.

30) V. ἀπ' ἀρχῆς, quae vulgo in fine vs. leguntur, sed a multis Codd. absunt (ABC. 27. 29. al.), recte delevit Lachm. Orta sunt ex priori vs. membro — ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς.

(enim) praecepta sunt doctrina, quam audivistis (quaeque vobis neutiquam nova videri potest) h. e. vetera enim praecepta sunt eadem doctrina, quae vobis, qui eam dudum audivistis, satis est nota, *(Sind doch die alten Gebote mit der vernommenen [also euch wohlbekannten] Christuslehre identisch)* unde sequitur, illud praeceptum, quod pertinet ad illum λόγον, in illo λόγῳ inest, nonnisi vetus esse posse. Neque vero addidit, quod ex suis verbis efficiendum erat, cum nemini facile obscurum esse posset.

Haud ita quidem planus et perspicuus versus est octavus, sed minus in eo enarrando interpretes titubassent, si satis perpendissent, solere Johannem pro indole sua mystica sententias positas saepius diversa ratione animo informare et persequi. Ita hoc prorsus loco; unde duo efficiuntur, unum, non aliud praeceptum, quam quod modo vetus dictum erat, jam novum appellari, alterum, dubitari vix posse, quin vs. 8. versui 7. respondeat. Haec vero accurata versus explicatione mirum quantum probantur. Sed primum de struendis verbis quaeritur, in quibus Knappio (Scripta v. arg. ed. II. I. p. 347.) ita obsequerer, ut v. h. m. resolverem: *Πάλιν* [31]) ὑμῖν *τοῦτο*, ὅ —. Rursus (utpote) novum vobis scribo praeceptum illud, quod — [32]), nisi orationis ratio, qua vs. 7. et 8. continentur, v. ὅ ἐστιν — ὑμῖν Appositionis causa ad ἐντ. καιν. adjecta esse (ut vs. 7. ἐντ. παλ., ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς) satis gravi esset argumento. Enarra: Rursus novum vobis scribo praeceptum h. e. praescribo vobis, quod verum

---

31) Voc. πάλιν saepe levem tantum et paene nonnisi copulandi vim apud sacros scriptores habere verissime adnotavit frater ad Marc. p. 651.

32) Minus accurate Knappium adortus est Lücke, qui, ut leviora omittam, miratur, quod hoc pacto non scriptum esset ἥ ἐστιν ἀληθής —. At cum non ipsum praeceptum, sed id quod praeceptum est verum fiat in hominibus, illo modo loqui multo sane erat proclivius. Ipse V. D. alia recte explicuit, in aliis me quidem judice erravit, cujusmodi hoc est. Morum enim ex parte sequutus, verbis ὅ — ὑμῖν explicari et probari existimat, cur ἐντολὴ καινή dicta sit, illa ipsa autem v. ὅ — ὑμῖν verbis ὅτι — φαίνει muniri h. m.: Quod eandem ἐντολήν rursus novam appello, hoc verum est in eo et in vobis *(dass ich dieselbe* ἐντ. *wieder eine neue nenne, das hat seine Wahrheit in ihm und in Euch)* —. Sed ubi tandem legitur illud: Quod eandem ἐντ. rursus *novam appello* —? Omnino meo judicio illa sententia tum demum efficitur, si hoc vere m. v. animo copulata esse censes: π. ἐντ. κ. γρ. ὑ., ὅ (sc. τὸ γράφειν με ὑμῖν ἐντ. κ.) ἐστιν ἀλ. κτλ., quod nemini facile probabitur.

est, vere locum obtinet in eo (Christo II, 6.) atque in vobis [33]. Jam reliquum erat, ut qui illud praeceptum novum dici potuisset exponeret idque probavit v. ὅτι ἡ σκ. — φαίνει, sicuti vs. 7. v. ἡ ἐντ. ἡ παλ. — ὃν ἠκούσατε vetus illud esse docuerat. Quod si recte perpenderis non sane in vulgarem incides errorem, quo v. ὅτι ἡ σκ. κ. τ. λ. praegressa v. ὅ ἐστιν ἀλ. κ. τ. ἑ. firmant, sed cum haec nonnisi Appositionis causa adjecta sint pertinent ad totam praegressam sententiam: quia nimirum tenebrae (perversa vivendi ratio, vita improba), praeterit (magis magisque evanescit) veraque lux (vita Deo, sanctitati dicata) jamjam lucet. Brevi praecidam. Johannes, qui praeceptum, quo lucem sequi, Christum imitari jubemur, vetus esse modo probaverat, jam idem alia ratione novum nuncupari posse evicit. Novum quippe praeceptum illud quod in Christo et vobis verum est ideo dici potest, quia hoc ipsum (vita sancta) in Christo et fidelibus nunc locum occupavit, verum factum est, imo, ut rectius dicam, etiamnunc sensim ac paullatim verum fit. Nondum enim tenebrae prorsus depulsae, etiamnunc pugna inter lucem et tenebras, sed lux magis magisque vincit. In his nihil video, quod obscurum sit. Sane vero ideo tantum vetus illud praeceptum novum commendari poterat, quod Christus ei satisfecerat et lectores ex parte ei steterant, sed hoc unum sibi vult Apostolus. Omnino vero indubitata redditur haec explicatio vs. 7., cui vs. 8. ita demum ut par est respondet. Si denique quaeritur, cur hi vs. additi sint, non difficilis sane est responsio. Nam cum gravissimum illud praeceptum iis lectoribus quam maxime inculcaret, quorum fides pernicioso novitiorum pseudodoctorum strepitu periclitabatur, nihil novi se praecipere, sed quod dudum iis injunctum esset recte eos cum vi monuit. Ex vs. 7. natus est vs. 8., quo ingenio suo ductus eandem sententiam diversa plane ratione persequutus est [34].

---

33) ὑμῖν] ἡμῖν A. 29. 31. 76* al., quae lectio forsitan exinde exstitit, quod ὑμῖν lectoribus, quibus virtutis studium tantopere esset commendatum, non satis convenire videbatur.

34) Plane alia hac de re disseruit Lücke, quae ut profunda esse videantur, vera quidem non sunt. Johannem, cum vs. 6. primariam illam praeceptionem lectoribus injunxisset, memorem factum esse tum difficultatis, quam hominibus exhiberet, tum *infidelibus* illam quidem *novam* esse, *fidelibus dudum cognitam*. Itaque veterem (lectoribus dudum cognitam) eam dici, ne lectores pro humana sua infirmitate eam utpote novam reformidarent, novam autem (scil. infidelibus) ne utpote veterem vilipen-

lescentium more, qui plerique lubenter audiunt philosophos, vacarat, verum etiam proprio suo, ejusque studium singulari libello (hanc habet epigraphen: *Etwas für junge Freunde der Philosophie*; Lips. 1779.) etiam atque etiam commendavit. Historiam ecclesiasticam neque juvenis neglexerat, et postea dòcuit eam ipse in scholis academicis, docuit autem diligenter et exquisite. Nam in libris, quos scripsit, exegeticis, dogmaticis, apologeticis, aliis haud pauca inveniuntur, ex quibus manifestum sit, ad ipsos eum historiae fontes revertisse multaque ex iis hausisse digna cognitu, quibus alia parum intellecta explanaret, alia temere negata confirmaret, alia confidentius quam verius per manus tradita sciri non posse ostenderet. Neque paedagogicam et didacticam artem indignam censuit, in quâ operam collocaret: ut enim aliis omissis unum tantummodo librum commemorem, quem multis Vestrûm a primâ juventute carum esse scio, assensus Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, Vitebergae anno 1800. librum edidit hunc: *Lateinisches Gesangbuch für meine Kinder und andere* etc., qui iterum prodiit Halis 1817.

Nonnullis vero practicae Theologiae partibus tantopere delectari visus est, ut et ipse eorum studio diutius teneretur, et literis hisce multum sane prodesset. Etenim christianam de moribus doctrinam quum in libro quodam perutili sigillatim exposuit (*Lehrbuch der theol. Moral oder kurzer Entwurf der allgem. christlichen Tugendlehre*; Lips. 1780.), tum de aliquot hujus doctrinae capitibus pluribus in locis plura dixit, de quibus et olim et nuperrime in varias partes disputatum est, ut de decalogo. Scripsit etiam asceticos libros, quorum unus hoc indice: *Morgen- und Abendandachten für vernünftige und fromme Christen auf alle Tage überhaupt und jeden Tag der Woche insbesondere* (Lips. 1782.) ter in lucem editus est. Hîc non praetereo complures orationes sacras, quas quum Lipsiae aut Vitebergae habuisset, vehementerque in eis placuisset, auditorum rogatu typis exscribi passus est: in utrâque autem urbe concionatoris munus academico conjunctum obiit, Lipsiae ad aedem Paulinam, Vitebergae ad Arcis, quam *Martinus Lutherus ὁ πάνυ*, nuper vero permagnus et ipse vir *Franciscus Volcm. Reinhardus* nobilitarunt. Et quemadmodum aliis exemplo fuit, quod auctoritate multum valeret, sic etiam praecepta homiletica eaque prudentissima multos annos juvenibus tradidit Vitebergae ibidemque exercitationes homileticas egregie moderatus est. Catechesis rationem, addito etiam usu ipso ad locos artis, jam Vi-

tebergae professus est, neque omisit eam Halis, magno tum aliorum emolumento, tum etiam Vestro, Commilitones: ad multos enim Vestrûm quoque ex his *Weberi* scholis magna utilitas redundavit.

Atque hoc intuenti mihi caeterasque disciplinas, in quibus maxime floruit, animo repetenti in mentem venit, non esse dubitandum, quin *Weberus*, quem ad Theologiam sive fortuna detulit, sive potius ratio adduxit, tamen in aliis quoque literis, quibuscunque demum se dedisset, facile ante multos eminere potuerit. Ad omnes enim res, quas meditaretur, non solum diligens studium, sed etiam ingenium acutissimum afferebat, nec quidquam magis in aliorum libris animum ejus offendere solebat, quam si eandem semper cantilenam audisset. Quum igitur a semet ipso, non ab aliis, penderet, de veteribus docte, de vulgaribus nove, ingeniose autem de cunctis disserebat, multaque primus invenit, quae etiamsi interdum nullo modo probare audeas, non possis tamen ea non cum voluptate cognoscere et animum Viri atque ingenium valde amplecti.

Quid dicam de illo omnibus viris doctis non glorioso magis, quam necessario, ad mentem excolendam unice apto, jucundissimae oblectationis pleno literarum studio humanitatis? sine quo Novum Testamentum, atque etiam Vetus ne intelligi quidem potest, aut explicari, si modo explicationum, tanquam aedium, ne corruant, primum firma jacere fundamenta placet. *Weberus* vidit, divinos libros interpretari posse neminem (hoc dico, recte interpretari, absurde enim nihil moror), nisi qui prope ad justi philologi morem veteres linguas ita perceperit, ut secundum illud *Melanchthonis* „Theologice, sed antea Grammatice" cum Theologiâ Grammaticam, cum sacrâ philologiâ profanam rite conjungat. Quare et Graeca assiduo legit, quae hodieque a multis non leguntur omnino, et in latinis scriptoribus praeclaram operam posuit, maximeque in deliciis suis, Cicerone. Hunc enim ita sequutus est, ut quae scripsisset, ob insignem latini sermonis integritatem et elegantiam, quâ libri ejus nitent ad unum omnes, doctis etiam hominibus, a Theologiâ alienis, ipsisque adeo philologis probarentur: tantâ curâ latinam orationem, tametsi facile contagione antiquorum et recentiorum Theologorum, quibus familiariter utendum est, maculae nonnihil suscipere et barbariei potest, puram tamen et incorruptam conservavit. Quanti vero Grammaticam ad ultimam usque senectutem fecerit, ex *Symbolis* ejus *ad Grammaticam Latinam et Criticam* apparet, eo ipso anno Lipsiae editis, quo annos quinquaginta munere academico functus erat (1828.).

Haud raro invenias nostrâ aetate, eosque in ipsis partim Academiis, qui dici haberique docti viri velint, sed ab usu sermonis latini (qui et adhuc fuit sermo eruditorum, et erit posthâc) tanquam a re, si non perabsurdâ, at inutili tamen, inter docendum et scribendum justissimis de causis, quas omnium optime ipsi norunt, abstinendum esse dicant; plures etiam, qui durâ aliquâ necessitate ad latine loquendum compulsi, tum denique balbutiant potius, quam loquantur, qui miserum *Priscianum* misere illudant, ac potius contumeliosissime tractent. At *Webero* nostro in hâc arte facultateque pares fuerunt sane pauci, superior quidem nemo. Notissimum hoc est Vobis, qui, *Webero* directore, seminarii nostri fuistis sodales (ibi autem ultima vox doctoris praestantissimi, paucis diebus antequam moreretur, est audita), Vestra etiam testimonii dictio est, quos in disputando optime exercuit, postremo Vos sententiam rogo, quibuscum in examine theologico pro concionandi facultate et copiâ saepe ac multum colloquutus est. Fatebimini Vos omnes, clarius, planius, elegantius et promtius disputantem a Vobis auditum esse neminem: neque vero jucundius. Nam erat in hoc sene juvenile quiddam et poterat ille ridere, praesertim in refutandis commentis et ineptiis ad jocandi impunitatem liberrimis. Hic vir egregius risit quidem merito, ita tamen, ut neque quemquam liberali joco urbanoque sciens laederet, et utilia dulcibus miscendo saepe etiam specie ridentis res doceret gravissimas.

Tot autem tantisque virtutibus, quae viro docto singulae magno ornamento sunt, Ille profecto non splenduisset, nisi Deus O. M. ei singulares animi vires, ingenium cum primis docile, perspicax et acutum, visa ac sensus celerrime informandi potestatem, denique admirabilem memoriam benigne largitus esset. Accedebat ad has animi dotes optima corporis valetudo, industria et assiduitas per omnem vitam plane eximia, justus ordo ingrediendis studiis, persequendis iisdem sapiens delectus. Neque tamen silentio praetereundum est, quam multa in hujus Viri vitâ inde a teneris usque inciderint, quae, Deo propitio, conjuncta ipsa quoque eo valerent, ut talis evaderet, qualem nos omnes eum cognovimus, reveriti sumus, adamavimus.

Agite igitur, Cives suavissimi, videamus, quidnam a *Webero* parentibus optimis debitum sit, quid praeceptoribus fidelissimis, denique quid, se puero juveneque, toti studiorum rationi et temporum voluntati. Videbitis, ne patrum quidem avorumque Vestrorum temporibus omnem defuisse commendationem sui, atque adeo optandum

esse, ut nostra aetas in multis felicior ad complura redeat, a quibus magno nostrorum hominum incommodo deflexit.

Natus est d. VIII. m. Decemb. anni MDCCLIV. *Groebenae* (vicus est *Zizam* inter et *Leucopetram*) loco humili illo quidem, honesto tamen. Patrem habuit sollertem agricolam, qui et strenue opus suum faceret, et rei rusticae valde esset intelligens, eundem admirabili erga Deum pietate virum et singulari quodam amore in religionem evangelicam maximeque in *Lutherum* nostrum, cujus memoriam, audiente *Webero* nostro puerulo, quasi divino afflatu concitatus esset, saepenumero recolebat. Sed gratissimum filium ipsi audiamus. Sic igitur ille in „*brevis vitae brevi descriptione*“ *Schwarzii* programmati subjectâ, quo ad solemnia disputationis *Weberi* inauguralia invitavit (Lipsiae 1784.): „ne diem quidem praetermittebat, quo non Deum deprecatus fuerit, ut me in veritatis virtutisque studio spiritus sancti auxilio adjuvaret. A primâ inde pueritiâ omnem adhibuit operam, ut verae pietatis sensum animo meo ingeneraret, meque hoc pacto ad hujus et futurae vitae felicitatem praepararet. Quum vero ab eo tempore, quo literarum causâ abesse coepi, admonitionibus quotidianis me non amplius posset instruere, quotiescunque mecum colloquendi potestas facta est, multo diligentius me cohortandum putavit, ut in honestatis viâ pergerem, nec ullâ ratione ab eâ me abduci sinerem. In eam se consuetudinem adduxerat vir beatus, ut me tum quoque, quum jam Baccalaurei Theologiae honorem accepissem, non prius a se dimitteret, quam tria illa dicta Genes. XXXIX, 9. Tob. IV, 6. 2 Tim. III, 15. saepissime inculcata in memoriam revocasset. Et quum morienti non liceret coram praecipere, fratri hoc dedit negotii (adeo ipsi curae cordique erat religionis meae constantia), itaque in coelum rediit.“

A talibus igitur parentibus (nam mater non minore erat pietate) timor Dei, in quo initium est verae sapientiae, in primâ jam pueritiâ *Webero* insitus erat. Dici autem vix potest, quanto ardore, quantâque eloquentiâ in summâ adhuc senectute patris pii carissimaeque matris laudes celebraverit: mox scilicet parentum sancta imago penitus animo infixa pias excitabat lacrimas. Quin etiam in scholis dogmaticis, quoties locum illum explicaret, qui est de scripturâ sacrâ ejusque vi ad animum nostrum maximâ, ingenue fatebatur, ut ego quoque audivi, quum aestate anni 1825. praelectionibus illis hospes interessem, tum igitur lubenter narrare sole-

bat, quantum deberet tribus illis Bibliorum versibus a pio patre sibi iterum iterumque demonstratis.

Prima literarum elementa a *Teichmanno*, Catechetâ Groebenensi, accepit. Erat tum temporis in Saxoniâ catechetarum, qui dicuntur, tristissima conditio et vere deploranda, quam in Borussiâ nostrâ jam dudum emendatam esse, jure nostro laetamur gratissimoque animo erga optimum Regem, Patrem patriae, et Amicos ejus, quibus cura rei scholasticae demandata est, sapientissimos Viros praedicamus, agnoscunt etiam exteri*). In regiâ quidem Saxoniâ muneris catechetici dignitas nondum etiam in eum locum, quem velles, deduci potuit**). Atvero olim miseri catechetae, ut famuli rusticani, conducebantur, semper plerumque *minoris*. Auctionabantur agricolae, quoties catechistae locus vacaret, vacare autem poterat, quoties Praetori vici reliquisque patribus conscriptis placuisset, quorum et optio et missio erat liberrima. Vulgo sub hastâ ámplissimum praeceptoris munus vendebatur atque ei addicebatur, qui se et minimo contentum fore promisisset, et illis, penes quos erat creandi potestas, falsum vinum et luridum atque cervisiam liberaliter propinasset, fortassis etiam Praetori ad vilissimos labores ipsius causâ subeundos operam suam obtulisset. Ex ejusmodi munere scholastico quotannis decem, aut summum quindecim imperiales redibant, interdum non plus quinque, nisi forte incredibilis Patrum sapientia cum catechetico munia bubulci, vel etiam vigilis nocturni conjunxisset***). Ceterum hi magistri nec domum neque scholam

---

*) Nemo nescit, quid cum maximâ laudatione scholarum nostrarum nuper scripserit *Victor Cousin* in literis ad comitem ***Montalevetum*** datis (Rapport sur l'état de l'instruction publique dans quelque pays de l' Allemagne et particulièrement en Prusse; Lutet. 1833.), de quo libro egregie disseruit auctor gravissimus *Johannes Schulzius*, quem honoris causâ nomino, in Ephemeridd. lit. Berolinens. *(Jahrb. für wissensch. Kritik)* n. 61. 62. a. 1832.

**) Testem habeo locupletissimum, virum de rebus ecclesiasticis et scholasticis in Saxoniâ egregie merentem, *Schulzium*, in Senatu supremo a consiliis intimis, qui hâc de re exposuit in libro optimae frugis pleno: *Das Volksschulwesen in den Königl. Sächsischen Landen von seiner mangelhaftesten und hülfsbedürftigsten Seite dargestellt und den jetzt versammelten Ständen des Königreichs zu ernster Berathung empfohlen von einem aufrichtigen Schul- und Volksfreunde*; Lips. 1833.

***) Similia tradit is, qui se haec omnia vidisse ipsum, non modo audivisse dicit, censor libri Schulziani in Ephemeridibus Halensibus a 1833. N. 93.

habebant certam, sed modo hîc, modo illîc per domos rusticorum deinceps, hospite cum suis praesentibus, docere cogebantur, nimirum in eo cubiculo, ubi vulgaria opera fieri cerneres plena strepitus et turbarum, ubi infantes ejulabant, oves balabant, porculi grunniebant.

Quantulum discipuli in tali scholâ proficere potuerunt? *Weberus* quidem multum profecit; cito enim legere literas et eas scribere, deinde numeros computare didicit, idem etiam non solum plurimos hymnos sacros et Bibliorum versus, sed etiam *Lutheri* catechismum minorem, hunc quidem integrum, praeterea magnam partem catechismi Dresdensis, iis potissimum exceptis, in quibus docetur, quam vim fidei christianae capita habeant ad virtutem alendam et ad animi tranquillitatem.*). Quae vero ludi magister minus expedire potuisset, ea puerulo discendi cupidissimo pii parentes explicare et plana facere studuerunt, idque haud raro, ut opinor, satis feliciter. Verissime enim judicavit b. *Knappius* in libro (qui a *Thilone* nostro, Collegâ carissimo, editus est) *Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre nach dem Lehrbegriffe der evangel. Kirche* p. I. p. 97. „*die Erfahrung lehrt auch*, inquit, *dass Ungelehrte bei dem blossen Gebrauche ihres gesunden Verstandes unter göttlichem Beistande einen Schatz sehr guter Kenntnisse und Einsichten, auch selbst oft aus mangelhaften Uebersetzungen der Bibel sammeln können. Ja, unbefangene Unstudirte von natürlich gutem Verstande und gutem Willen fassen Manches oft leichter und richtiger aus der heiligen Schrift, als viele Gelehrte, die so häufig mit vorgefassten Meinungen hinzukommen und i h r e eigenen Ideen in der Schrift finden*

*) Quia Catechismus Dresdensis (prodiit autem anno 1688.) mole suâ laborat, neque sine summâ molestiâ ad verbum edisci potest, ludimagistri quaestionum aliquem delectum habuerunt, ut alias memoriâ comprehendere tirones juberent, alias autem praeterirent. Sed, o factum male! omnes quaestiones, quae ita inscriptae sunt: „ *hoc igitur praeceptum quid ad vitam honestam?* “ *(wie dienet uns diese Lehre zu einem gottseligen Leben?* et „*porro quidnam huic praecepto est cum animo quieto?*“ *(wie dienet uns aber diese Lehre zum Troste?)* hae igitur paragraphi, ex quibus solis appareret, quid fidei capita ad vitam emendandam et tranquillandam valerent, in multis certe scholis omnes omittebantur. Aegerrime id ferre memini patrem meum, cui miranti ac stomachanti ludi magister admodum simpliciter, ut erat: vita honesta, inquit, et ista tranquillitas omnino in scholis non traditur *(vom gottseligen Leben und Troste gehört nichts in die Schule).*

wollen. Sie sehen dann alles wie durch ein gefärbtes Glas. Es ist auch die heilige Schrift eigentlich nicht für Gelehrte als Gelehrte geschrieben und zum Gegenstande der Speculation bestimmt, sondern hauptsächlich zum Genusse fürs Herz. Daher wird sie öfter von Gelehrten, die bloss für Speculation Sinn und wenig Gefühl im Herzen haben, verkannt und verachtet. Die biblischen Schriftsteller waren selbst Ungelehrte (hoc inprimis est memorabile), *und alle waren viel mit Ungelehrten umgegangen. Sie treffen also den Ton derselben und stimmen mit ihrer Denk- und Ausdrucksart mehr zusammen, als gewöhnlich die Gelehrten.*"

Neque diffidendum est, illorum temporum scholas, quamvis tenues mancasque, tamen etiam habuisse, quo egregie placerent. Loquor non tam de catechistis, qui et ipsi tamen, licet id incredibile videatur, aliquando rem bene gerebant, fortuito id quidem et suâ virtute, nullâ rusticorum prudentiâ: quam de veris ludorum magistris, qui etiam majorem pecuniam accipiebant, neque unquam, nisi spectati et cogniti ambire poterant, et, uti par est, publice creabantur. Quum enim pauca tantum tractari solerent, optime cavebatur, ne nimiâ rerum multitudine varietateque puerorum animi vel obrui possent, vel distineri. Nempe pleraque omnia ad libros sacros et quam ex his unis petere licet, ad fidem christianam referebantur: quo nihil magis necessarium est, quam ut ab ineunte aetate sacros libros accurate cognitos habeamus. Ita enim primum ipsis honor debitus tribuetur, deinde fides vere christiana radices agere poterit altissimas, postremo homines, quod non minus rem continet, hâc viâ unâ omnium certissime ad virtutem et ad consequendam salutem aeternam ducentur. Quam ob rem ubicunque modo idonei essent magistri, ibi tirones olim haud *multa* attingendo *multum* tamen, atque adeo plurimum discebant. Verum enimvero hodie in scholis etiam elementariis nimium saepe rerum, quae traduntur, tanta et copia est et diversitas, ut nulla propemodum res satis perspici queat: praeceptores enim, quemadmodum in proverbio est, *faciunt intelligendo, ut nihil intelligant* discipuli; illud autem, in quo maxime res vertitur, pessime ab iis negligitur, religionis dico accuratam notitiam. Atque haud scio, an juvenum nostrorum arrogantia, quam morosi quidam senes verbis falso exaggerant, suae juventutis obliti, sed ea tamen nonnunquam vel illis viris, quibus nihil comius est, nimia quaedam et vix ferenda videtur, an, inquam, arrogantia ista partim ex hoc ipso fonte manarit; jam enim pueruli sub magistro credere incipiunt, scire sese omnia; illud enim, recte scire quid sit, vulgo non docentur. Videlicet nunc

habemus scholas rusticas et civicas, ubi discipuli multa audiant de angulis rectis, acutis, obtusis, item de nidis avium indicarum, de situ Aethiopiae deque rupibus Caucasi: dum interea decem praecepta, fidei capita, orationem dominicam, catechismum non tenent, sacros denique libros, omnibus et per totam vitam certo profuturos, perraro in manus sumunt.

Ex *Teichmanni* scholâ noster *Ziegleri* curae, Rectoris Teuchernensis, traditus est eo quidem consilio, ut disciplinis juventuti rusticae partim necessariis, partim honestis, in his musicâ, cujus praecipuo quodam ferebatur studio, prae ceteris vero religionis praeceptis bene instrueretur. Erat autem *Zieglerus* eximius magister; qui simul atque egregium ingenium pueri, miram assiduitatem et literarum amorem plane singularem perspexit, auctor fuit parentibus, ut optimae spei filiolum literarum studiis dicarent. Idem visum est *Knoblochio*, sacerdoti etiamtum Teuchernensi, postea autem sacrorum antistiti Friburgano; at neque horum virorum, neque aliorum, qui id suadebant, quamvis permagna auctoritas, parentes quod filium agro colendo destinarant, potuit movere, neque unquam consensuri essent, „nisi admirabili Dei providentiâ eo essent compulsi, ut non amplius obniti posse viderentur.“ Ita ipse in vitae suae descriptione l. l.; ego vero, quidnam parentum pertinaciam fregerit, ut tandem aliquando in *Ziegleri Knoblochii*que sententiam concederent, nescio. Illud scio, *Ziegleri* institutionem post parentum pia studia multum eo valuisse, ut *Weberus* veram solidamque doctrinam sibi pararet et in libris sacris quasi habitare consuesceret.

Grammatica ab eo tractabatur diligentissime: dico autem priorem Grammaticae locum, qui est de formâ verborum, quod omnes ei tum primas dabant, non alterum illum de syntaxi; necdum enim hic quidem satis excultus erat, aut non certe in justam artis speciem redactus; quare in ipsis adeo Gymnasiis saepe perbreviter, nonnunquam etiam inepte ac sine ullo sensu exponebatur. *Rhenii* Donatus cum pulvisculo, ut ajunt, excutiendus erat. In componendis primum formulis, mox scriptis latinis tirones, praeeunte *Hoffmanno,* exerceri solebant. Legebantur *Joach. Langii* colloquia et Eutropius, sequebantur Cornelius atque Phaedrus, agmen claudebant Caesar et ex Ovidii metamorphosibus capita selecta: ita enim puerorum animi ad fructus a Gymnasii magistris percipiendos in latinis quidem satis erant praeparati. Ex his secundum Caesarem, scriptorem valde jucundum, in cujus oratione magnam facilitatem admiramur, Cornelio plurimum tribuebat: noverat enim, quantopere pueri legendo eo reti-

neri solerent, saepe etiam delectari. Utrum vero hic scriptor Cornelius Nepos fuerit, an Aemilius Probus, plane nesciunt pueri, nec scire desiderant, quibus illud tantummodo molestum est, quod interdum in antiquissimis verbis formisque parum usitatis offendunt: illud curant nullo modo, quod Cornelius malos plerumque auctores secutus esse, ne horum quidem sententiam ubique satis percepisse, denique fortassis ipse nonnulla ementitus esse dicitur. Sed de his viderint philologi. Omnia ad Grammaticae regulas revocabantur, quae quum nonnullae quotidie repetendae essent, paullatim sic in mente inhaerebant, ut eas pueri ne possent quidem oblivioni dare. Id qui temere negligunt praeceptores, committunt, ut alumni eorum in obscurioribus locis prosodiae et formarum per omnem vitam titubent atque vacillent, errore jam eo turpiore, si forte iidem, quod fieri plane potest, caeteroquin eleganti doctrinâ abundant.

Similiter in graecis versatus est. Primum *Welleri* grammatica memoriae erat tradenda: in quo id sequebantur aetatis illius magistri, ut, si a libro latine scripto profecti essent, simul latinae linguae studia quodam modo adjuvarent. Nondum scilicet praeclara *Buttmanni* opera exstiterat; sed tamen illis non *Welleri* potius grammaticâ, quam aliâ scriptâ germanice, et vel illâ non sane optimâ Halensi, utendum fuisse censeo. Etiamsi enim pueri latina ubivis recte interpretarentur, de quo est, quod dubitemus, duplex iis tamen negotium contrahebatur, alterum latina intelligendi, alterum discendi graeca: denique eos latinum sermonem maxime quidem scriptores ipsi, deinde quaevis latina grammatica rectius, quam *Welleri* graeca, docerent. Viguit tamen rei grammaticae studium, cujus nonnullae partes, me id quidem vehementer probante, prorsum et retrorsum saepissime recitanda erant. Praeterea ex Novo Testamento loci faciliores legebantur, ubique adhibitis ad eam rem grammaticis praeceptis et constructione vocabulorum accurate ostensâ, denique satis explicati ediscebantur. Hic mallem *Zieglerus* Chrestomathiam aliquam, ut *Gesneri*, elegisset, quam Codicem sacrum, quo ego certe in pueris instituendis semper abstinui. Primum enim Novum Testamentum explicandi tanta est difficultas, ut verum a pueris perspici nullo modo possit: deinde vero in graecis non placet, a dialecto alexandrinâ initium facere. Equidem ab atticâ, longe omnium politissimâ, exordiri solebam; malunt nunc alii ab ionicâ, quod caeteris antiquior est, neque quin id recte fiat, impedio. Verumtamen illo etiam modo literarum et latinarum et graecarum fundamentum

jactum est non ruinosum, sed tanto firmius, quod in privatis illis scholis haec, quae dixi, sola tractarentur.

Accedebat publica institutio, quam hîc noster cum reliquâ Teuchernensi juventute communem habebat. Libri sacri quotidie legebantur mane et post meridiem*); nec praeter hos, tum *Hübneri* historias biblicas, denique catechismum majorem et minorem**) alius liber ullus inveniebatur, in quo legendo discipuli occupati essent. Ne id quidem majorem in modum reprehendere possum: hîc enim, si usquam, praestat nimium, quam parum: dummodo ne plurimi magistri memoriae opes tam cupide auxissent, ut mentis thesauros, divinos illos atque e puero quam primum eruendos, mire contemnerent. Sed ita *Weberus* integrum fere codicem sacrum jam tum perlegerat, locorumque biblicorum magnum sane numerum memoriâ tenebat. Nosse enim Biblia sacra (ipsi „bibelfest sein" dicere solebant) id vero in laude erat maximâ. In catechismo autem tam egregie erat volutatus, ut quid respondendum esset ad quamcunque quaestionem catecheticam, promte dicere posset, neque unquam haereret.

Videtis, Commilitones, primam formam et nascentem quasi imaginem hominis accurate docti et biblici theologi *Weberi:* hunc ad-

---

*) *„Die ältere Erziehung hatte darin einen wesentlichen Vorzug vor der modernen, dass die erste geistige Bildung mit dem Lesen der Bibel begann. Zugestanden, dass einzelne Stellen der heiligen Bücher der Seele des Knaben dunkel bleiben mögen, welche erst bei der wiederholten Lectüre derselben in reifern Jahren ihre eigentliche Bedeutung erhalten; so ist doch unleugbar, dass schon der einfache Ton der Bibel das kindliche Gemüth unwidersprechlich anspricht, dass aber besonders durch diese Lectüre frühzeitig ein religiöser Sinn geweckt wird, der durch's ganze Leben wiederhält, und den keine Fibel in jungen, keine Mystik in reifern Jahren ersetzen kann. Kräftige Charactere, wie sie in der abgeglätteten Wirklichkeit zur Seltenheit geworden sind, begegnen uns überall in jenen ehrwürdigen Urkunden, und Abraham und Moses sind ungleich mehr dazu geeignet, einen festen, Gott vertrauenden Sinn und ein Betragen, frei von Menschenfurcht und Eigennutz, frühzeitig zu begründen, als Robinson Crusoe und andere Lesebücher unserer Jugend."* Haec *Poelitius* in libro: Dr. *Franz Volkmar Reinhard nach seinem Leben und Wirken dargestellt von Carl Heinrich Ludwig Pölitz* (Lips. 1813.) p. I. p. 17 seq.

**) Hic erat Dresdensis in Compendium redactus („*kurzer Auszug*" inscribitur), qui a *Dintero* praeclare emendatus hodie in plurimis scholis explicatur estque sine dubio in praestantissimis ex hoc genere libris.

modum etiam puerum, quaeso Vos, iterum iterumque contemplamini. Ita ne illud quidem mirabimini (nam audisse Vos credo), quod foeda nonnunquam candidatorum Theologiae ignorantia catechismi et notissimorum Codicis locorum animum ejus gravissime offendit. Nam in probatione eorum, qui cursum theologicum absolvissent, indignabundus interdum sic dicebat: „an ne hoc quidem scis? Ego vero id sciebam puer octo, aut novem annorum."

Ceterum quot beneficiis *Zieglero* suo se obstrictum teneret, etiam publice professus est non solum in vitae curriculo, sed etiam eo, quod carissimo praeceptori primum librum, quem vernacule scripserat (*Versuch einer Uebersetzung des Briefs Pauli an die Galater; Lips.* 1777.), grati animi testandi causâ dicavit.

Quum annum ageret quartum decimum, sive anno superioris seculi LXVIII. Zizam se contulit: scholam enim, quae ibi floret, episcopalem parentes, consiliis ultro citroque habitis, tandem ob loci vicinitatem elegerant. Erat autem temporibus illis, praecipue in Gymnasiis Saxoniae, literis humanioribus tantus honor, ut, si a librorum sacrorum lectione et institutione theologicâ discesseris, unice quasi regnarent. Quam parum enim Rectores saxonici novis rebus, quas tum *Basedovius* moliebatur, faverint, vel ex *Krebsii* vanno criticâ in inanes paleas operis Basedoviani (Lips. 1776.) intelligi potest. Quocirca, ut in omnibus scholis fiebat ad praeclarum illud *Melanchthonis* exemplum conformatis, sic etiam Zizae *Weberus*, ducibus *Hentschio*, *Schregero*, *Gelbrichto*, *Thimio*, doctis viris, in antiquis literis insignem operam posuit, nec impeditus aliis disciplinis*), in quibus tradendis circumspectio prudens et certus quidam modus adhibebatur, neque illis studiis praeoccupatus, quae academiis reservari jussit majorum sapientia. Aberat etiam aliud malum a Gymnasiis saxonicis, quo hodie nostra Gymnasia partim laborare video ex indicibus lectionum, qui in ephemeridibus literariis proponi solent. Etenim pauci tantummodo scriptores classici legebantur, sed hi quidem accuratissime, certe sic, ut nihil praetermissum diceres, quod grammatica interpretatio postulare videretur. Non temere primum quemque capiebant, sed sumebant idoneum, non promiscue cunctos arripiebant, sed difficili paene curâ eligebant probatos: ut in paucis omnino scriptoribus nullum reperi-

---

*) Male vulgo *realia* vocant; quasi veteribus scriptoribus verba modo, non etiam res optimae contineantur.

res, quin et cum reliquis communi vinculo cohaereret, et ad puerorum ingenium verbis atque sententiis plane accommodatus esset. Magistri a facilioribus libris exorsi ad alios, quorum major esset obscuritas, non prius transibant, quam discipulos tantum in illis profecisse animadvertissent, ut jam in his quoque ingenii vires recte periclitari posse viderentur. Ne multis: non vana gloria quaerebatur plurimis scriptoribus, poetis, pedestribus, tragicis, comicis, philosophis, historicis quum omnino, tum multo minus in uno eodemque discipulorum ordine non sine mirificâ pompâ evolvendis. Prudens autem, quam dixi, alias immiscendi doctrinas moderatio in eo cernebatur, quod, quae ex vetere Geographiâ et Historiâ scitu necessaria essent, inter legendos scriptores datâ occasione adjiciebantur, itemque nonnulla, quae ad Philosophiam et historiam ejus, ad antiquitates literarumque historiam pertinerent. Quodsi quis plura de his requireret, eum ad libros privatim legendos rejiciebant, quos aut ipse magister, aut bibliotheca scholastica suppeditabant, scilicet ut mature adolescentuli doctius literis studere ac jam, nescio quid, ipsi invenire possent *). Algebrae vero, physicae, astronomiae, sermoni veterum Germanorum, quibus sanscritica lingua aliaque haud paullo etiam suaviora mox, credo, addentur, tum nullus plane erat locus relictus.

Scio, nostrâ aetate multo plura ab juvenibus ad academiam abituris requiri solere: at *Weberum* nunquam poenituit vitae in Gymnasio vetere ac modesto transactae, neque juvenibus, qui nunc in Gymnasiis versantur, *πολυπραγμοσύνην* et *πολυμαθίαν* invidebat, quae quantum semper justae eruditioni noceret, penitus sibi perspexisse videbatur: verissime etiam Heraclitus *Πολυμαθία νόον οὐ διδάσκει*. Pueri nostrâ memoriâ in scholis plurima audiunt, quodammodo etiam discunt (si discendi verbo de operâ tam tumultuariâ utendum est), quae olim, antequam ex ephebis excessisset, nemo quisquam attigit. Ubi vero in academiam perventum est, literas priores aut plane abjiciunt, quippe quas se jam satis superque perscrutatos esse serio credant, aut infelicissime multi in eis pergunt, ideo, quia e plurimis, quibus in scholâ quasi oneribus quibusdam oppressi erant, paucissima, adde etiam levissima quaeque recte per-

---

*) Plausum id quoque tulit summi viri, qui in paedagogicâ et didacticâ superavit omnes, beati *Niemeyeri* nostri. Conferatur ejus aureus liber: *Grundsätze der Erziehung und des Unterrichts* (edit. 8. Halis 1825.) p. II. p. 35. et passim.

ceperunt *). Certe quidem nonnullae scholae (minime enim omnes vitupero, sed eas, in quas cadit reprehensio mea) tot tantasque res de se promittunt, ut primâ specie non dicam germanos Professores, sed hoc dicam meros heroas ex iis, tanquam ex equo Trojano, putes exire. In quo primum hoc admiror, quod heroes tam juvenes tamen lectionibus nostris interesse non dubitant, quod contra oportebat nos lectionibus illorum; deinde vero, ubi frontem forte contraxi, subvereor interdum, ne, hoc malo latius serpente, postremo ipsi Professores, nos quidem pro caeteris seniores, quibus adhuc novam sapientiam imbibere per aetatem non licuit, talis Gymnasii doctoribus in disciplinam tradendi simus ac tum *Laevo suspensi loculos tabulamque laeerto* vix satis honeste repuerascamus.

Accedo ad aliud Gymnasiorum illius temporis ornamentum, quod dici non potest, quantopere pertinuerit ad *Weberum* nostrum sic fingendum, ut biblici Theologi cognomine esset dignissimus. Etenim in Gymnasiis quoque libri sacri quotidie legebantur, primâ quâvis acroasi matutinâ, ut a Deo principium; lecti paucis explicabantur, additis, ut par erat, observationibus generis paraenetici. Ita alumni rerum sacrarum cognitione diebus singulis augebantur, quamvis in biblicis illis (sic enim appellabant) lectionibus in primâ etiam classe a *Lutheri* versione omnia penderent. Quo melius autem cum virtutis ac fidei christianae commendatione doctrina liberalis videretur conjuncta esse, Novum Testamentum idque graecum a trium superiorum ordinum alumnis certe bis per hebdomadem legebatur, dicta classica ediscebantur, in supremo quidem ordine etiam Veteris Testamenti breviores loci, rite antea explicati. Novi Rectorem, egregium virum, qui cum scholis biblicis praecepta religionis christianae satis diu copulavit. Et quanquam cum alio praeterea incommodo conflictabatur: duo enim ordines in unum locum collati simul audiebant, ut in primo Testamentum Graecum, in secundo autem *Lutheri* interpretatio evolvenda esset: tamen ille in re satis difficili tam praeclare versatus est, ut haud pauci discipuli ejus, in his, me audiente, viri quidam perdocti animo commoto earum scholarum unquam se oblituros esse negarint. Sed non multis, credo, magistris id continget, hos scopulos tam feliciter evitare, ut neque fides et cohortatio ad honestatem aliasque virtutes, nec porro docta explicatio quidquam

---

*) De his plane assentior Theologo eruditissimo b. *Tittmanno* in epistolâ ad *Hesslerum*, praeceptorem quondam suum, datâ, quam libro *de synonymis in Novo Testamento* (Lips. 1829.) praemisit.

detrimenti capiant. Quocirca vehementer censeo, duas scholas, Biblicas et Religionis, probe discernendas esse.

Tenuit igitur *Weberus* priscam illam scholae consuetudinem, et quum memoriâ esset admirabili, libris sacris quotidie legendis mox id assequutus est, ut totum fere Novum Testamentum mente complecteretur, magnam etiam partem Veteris. Neque senem memoria defecit. Nam in praelectionibus, disputationibus, examinibus perraro libros sacros evolvebat, quippe cui non solum sententiae, sed ipsa adeo verba ultro occurrerent. Postremo etiam illud in more positum erat, ut praecipua Theologiae capita in supremis Gymnasiorum classibus tractarentur, et in Saxoniae quidem Gymnasiis praeeunte *Huttero*, non redivivo illo, qui in vestris est manibus, hunc enim *Hutterus* ex inferis revocatus sui dissimillimum judicaret: sed antiquo illo et vero *Huttero*, cujus finitiones quum e libris nostrae ecclesiae symbolicis ductae sint, haud absurde scholarum doctores etiam hoc libro ediscendo alumnorum memoriam confirmari volebant. Sic enim ad usum cum sacris literis contractum notitia addebatur doctrinae ecclesiasticae, quam hodie, ut re ipsâ expertus sum, permulti non solum alumni Gymnasiorum, sed etiam doctores planissime ignorant.

Sex annos Zizae moratus est, tantum enim temporis a plerisque tum adolescentibus, non triennium, vel etiam quadriennium, in scholâ consumebatur. Ceterum quam carus fuerit praeceptoribus suis, *Schwarzius*, quem Zizae Inspectorem scholae habuerat, anno autem MDCCLXXXIV. ad impetrandos summos in Theologiâ honores Lipsiae habuit Promotorem, in programmate, cujus jam supra mentionem fecimus, his verbis declaravit: „si candide fatemur, eum a tribus inde lustris nobis ob praeclaram industriam et probatissimos mores carissimum fuisse et longe aestumatissimum, veritati id damus, non amicitiae. Vidimus enim eum in Gymnasio Zizensi literis operam tam strenuam navare, ut praemiis industriae et probitatis eximiae ex sententiâ superiorum aeque ac doctorum suorum publice ornaretur, et omnes, qui assiduitatem, morum honestatem et insignem modestiam in eo cernerent et laudarent, spem egregiam de eo nobiscum conciperent, cui nunc eventus exoptatissimus respondit.“

Vere omnino haec dici, etiam ex eo perspicuum est, quod *Schregerus*, Conrector scholae, et *Ackermannus*, verbi divini minister, *Weberum* Gymnasii alumnum dignum judicarunt, cui per integrum quinquennium filios suos ad instituendum committerent. Quae res *Webero* non utilitati fuit minori, quam voluptati; disci enim docendo, quotusquisque nescit? Quapropter in scholis provincialibus Saxoniae

sapientissimâ lege majores sciverunt, ut supremorum ordinum alumni cum civibus mediorum et infimorum, medii cives cum postremis, invisente id quidem cujusque hebdomadis praeceptore, quotidie literas communi studio tractarent, quod quidem quam fructuosum discipulis fuerit omnibus, et per se patet, et a viris rei scholasticae peritissimis saepe monitum est, in his a *Dintero*, viro, si quo alio, in hoc genere literarum eximio. Vide librum: *Dinters Leben von ihm selbst beschrieben* p. 28 seqq. (Neostad. ad Orlam 1829.), quem legite, quaeso, totum, carissimi Commilitones, studiose. Quanquam enim in eo hîc illîc jocosae res et prope dixerim scurriles inveniuntur, non satis dignae tanti viri personâ, tamen ille tot nitet virtutibus, ut omnes plurimum ex eo discere possitis.

Ad *Weberum* revertor. Is anno MDCCLXXIV Lipsiam commigravit, civiumque academicorum numero adscriptus est ab *Ernestio*, Rectore verè Magnifico. Erant tum temporis Lipsiensium Theologorum principes et tanquam antesignani *Crusius* et *Ernestius*, quos tamen satis constat, alterum ab altero perpetuâ vitâ dissedisse. Neque id mirum videtur: erant enim summi viri valde inter se dissimiles et naturae indole, et studiorum ratione. Et *Crusius* quidem ingenii acumine plane singulari ad subtilissime philosophandum ferebatur ita, ut antiquitati haud multum tribueret; *Ernestius*, vir prudens, magnâ, quae in eo fuit, perspicacitate usus est non tam ad nova invenienda, quam ad veterrima quaeque redintegranda, ac potissimum ad literas, in quibus unice excellebat, humaniores. Ita factum est, ut Lipsienses juvenes Theologiae studiosi multorum annorum spatio alii *Crusiani* appellarentur, qui quidem acutorum hominum laudem sibi certe ipsi assumebant, alii, ab his longe diversi, rursus *Ernestiani*, neutri a partium studio alieni, neque a maledictione. Despiciebatur ab Ernestianis magnus ille *Crusius*, qui inter aequales nullum in philosophando habuit parem, quocum ne comparandi quidem sunt isti, qui obscuris et barbaris formulis mentem aliorum conturbant atque pervertunt, monstruosa commenta excogitant, quadrata miscendo rotundis, et quum sint hujusmodi, tamen: *en, hoc demum est sapere!* clamitant. Fuisse post *Crusii* tempora tales philosophos, testis est historia. Summum igitur philosophum Ernestiani contemnebant, vel quod de propheticâ theologiâ complura inepte scripserat (ineptiora tamen nuper scripta vidimus), vel quia in explicandis libris sacris crebro philosophi magis partes, quam interpretis agebat, cujus rei vanitas ab *Ernestio* iis ostensa erat. Nam quae subtilissime ille explicavisse sibimet ipse et servo auditorum gregi visus esset, ea

Ernestius paucis verbis cum Grammaticâ, dicendi usu, lege interpretandi vehementer pugnare, falsa denique esse et inania, facile demonstrabat.

Weberum, alacris ingenii virum, vel in extremâ senectute ad *Crusium* rapiebat naturae similitudo; contra ad *Ernestium* communes literae, blandae conciliatrices, deducebant. Itaque neutri summorum virorum emancipatus est, nulliusque omnino nomen tulit, sed ex utriusque viri scholis, praeterea etiam e *Thalemanni, Mori, Dathii, Koerneri, Scharfenbergii* atque aliorum, qui tum Lipsiensium academiam ornabant et amplificabant, magnum fructum percepit. Qui quum apud *Crusium* accurate philosophari disceret, ab egregio viro perspicuitatem subtilitati junctam, constantiam in ratione concludendâ, Verbi Divini, in quo uno omnes thesauri verae sapientiae reconditi sunt, venerationem mutuari maximopere studuit, nec studuit frustra. Nam qui *Weberi* libros paullo diligentius versarint, cito illas ipsas, quas dixi, virtutes agnoscent, quibus etiam omnes ejus praelectiones, disputationes omnes, familiaria denique cum eo colloquia enitebant. Vestri est judicii, qui scholis *Weberi* interfuistis, quosve disputando de rebus theologicis exercuit, Vos, inquam, judicabitis, quam omnis ejus oratio plana fuerit, accurata, elegans, subtilissimis argumentis munita. Nam eruditionis suae copias multas magnasque optimo ordine disposuerat, quod quidem (ipse enim animo gratissimo fatebatur) *Crusio* suo acceptum referebat. In *Ernestii* autem scholis didicit, quid esset interpretari, perspexitque, in explicandis libris sacris, nisi qui usu atque interpretatione classicorum scriptorum satis exercitatus sit, feliciter versari posse neminem. Ita *Weberum* quoque literas profanas non despexisse, sed maximi potius aestimasse, quum alii multi ejus libri ostendunt, tum nonnulli antiquiores, satis tamen eleganter scripti, quos admodum juvenis Lipsiae edidit. Neque vero caecâ quâdam cupiditate *Ernestium* admirabatur, neque suspensus erat ab nutu immortalis viri, aut ab omnibus ejus decretis, quae apud Ernestianos multos, ac partim doctissimos homines, tantam auctoritatem adepta erant, quasi essent oracula divina. Quin summo viro modeste, ut decet omnes, in primis autem juvenes, in illis etiam libris, quos primum scripserat, obloquutus est, idque tam gravibus de causis, ut hodie doctos interpretes omnes sibi habeat assentientes.

Admirabilem disputandi usum, ut in tantâ et ingenii celeritate et latine sermonis peritiâ, admodum mature sibi comparaverat, neque in togâ praestantior erat, quam in armis. Supersunt ejus Scidulae

Lipsienses, in quibus, quid adversarii in disputationibus et publicis et privatis sibi objecerint, accuratissime perscripsit, quid responderit, quomodo paralogismos denudarit, cur propositionem majorem, cur minorem, cur conclusionem (consequentiam vocant) concedi posse negaverit. Namque subtilissimi disputatoris laude florebat jam Lipsiae, sed magis etiam Vitebergae, ubi muneris ratio, quod unus ex ephoris esset stipendiatorum, postulabat, ut publicis stipendiatorum disputationibus praesideret. Ac plures etiam libri ejus in hunc censum veniunt, ut hic: *quatuor centurias Thesium humanarum divinarumque literarum cultoribus in academiâ Vitebergensi quotannis publice et privatim vel disputaturis, vel commilitonum disputationes audituris obtulit* W. (Vitebergae 1802.). *Lutheri* verba, quae ab initio illius libri posuit, minime indigna videntur, quae nostrâ aetate, labante jam magis magisque in academiis disputandi more, hîc iterum repetantur. Igitur praeclare *Lutherus: „Etwa sind die Disputationes circulares sehr gemein gewest und oft gehalten worden. Aber es mangelte den Alten an der Materie, wussten's nicht zu brauchen, verstunden die Händel nicht recht. Wir aber haben Gott Lob! Materie genug und die rechte Wahrheit, l i e g e n a b e r u n d s c h n a r c h e n. Darum wollen wir solche Disputationes, will's Gott, wieder errichten. Wenn gleich junge Gesellen nicht sogar geschickt dazu seyn, noch so machen, was schadet's? wenn nur nicht Bosheit, Stolz und Vermessenheit dabei ist, als wären sie Meister Klügel. Es ist genug ein guter Wille, dass sie es gerne thun wollten.* In magnis sat est voluisse. *Keiner wird bald Doctor. Es ist kein Baum, der nicht zuvor wäre ein Sträuchlein gewest. Es gehört Zeit dazu. Tempus producit, non ager, Zeit bringt Rosen.“*

Plane hîc a *Lutheri* partibus stetit *Weberus* noster, quippe qui ingenue fateretur et palam prae se ferret, academicum doctorem magno illo, qui ei omnium judicio tribuatur, honore tum demum sibi dignum videri, quum ad alias laudes etiam disputandi sollertiam rite adjunxerit. Quare majorum nostrorum sapientiam cavisse, ne quis ad tantum honoris fastigium eveheretur, nisi prius publicae disputationes ab eo habitae fuerint, alia pro docendi facultate impetrandâ, alia pro summis in ordine suo honoribus adipiscendis, alia pro loco in facultate obtinendo. Neque enim Professorem officio suo satisfacere unâ istâ arte, dictata vel alia alio tempore, vel, quod male oderat, eadem semper de cathedrâ recitandi, quod fortassis etiam famulo credi posse, praesertim quum in Germaniâ omnium academiarum

instituta legesque Professores publicos, jurejurando interposito, ad disputationes cum commilitonibus crebro habendas adstringant.

Cursu academico absoluto, *Weberus*, qui sibi ad munus oratoris sacri aditum pararet, a senatu Lipsiensi petiit, ut in numerum catechetarum ad aedem Petri cooptaretur, sed hâc spe, quâ fretus a. MDCCLXXVII magistri dignitatem Vitebergae acquirendam esse putarat, quum bis excidisset, tandem ab animo suo impetravit, ut a. MDCCLXXVIII Lipsiensis magistri jura simulque docendi facultatem ab ordine philosophorum Lipsiensium expeteret seque totum academiae dicaret. Nos vero gratiam habeamus senatui Lipsiensi, qui insciens licet et invitus perfecerit, ut *Weberus* tres deinceps academias tam diu illustrare posset. Omninoque virtus sordidam repulsam, ut recte Horatius an quis alius, nunquam accipiet. Illud quidem fieri potest, ut excellens ingenium inepte repudietur seque hâc injuriâ per breve tempus sentiat afflictum, sive malo animo eorum, qui munera dividunt, sive potius, ut plerumque accidit, errore. Atvero Deus O. M. res humanas tam sapienter gubernat, ut primum ejusmodi repulsam gloria, quasi perpetua comes, sequatur, deinde vero leve istud damnum, si tamen damnum, postea certiore quodam lucro et majore compensari soleat. Veluti hîc *Webero*, etiamsi forte idem Verbi Divini minister splendere potuisset, at quomodo sic tot tantaque beneficia et in vitam hominum et in literas conferre licuisset, quanta nunc imprudentiae senatus Lipsiensis pravissimoque judicio debemus?

Fuit ille, id enim saepius dicendum est, plane biblicus Theologus, qui in rebus fidei christianae subjectis ad auctoritatem librorum sacrorum omnia referret. Quocirca divinam originem eamque supernaturalem nostrae religioni adjudicandam esse, non solum prorsus credebat ipse, sed etiam publice defendebat, neque argumenta, quibus hanc rem confirmare licet, gravissima clarius, plenius, disertius exponi possunt, quam in *Weberi* opusculis apologeticis exposita sunt. Secus vero sentientium opiniones refutavit; at neque quemquam damnabat, et ab istorum fastu, insolentiâ, stultitiâ, nequitie, qui heterodoxis aquâ et igne interdicendum esse dicunt, vel potius lugubri sono taediique pleno vociferantur, longissime semper abhorrebat. Audivistis Virum, carissimi Cives, pro christianâ veritate, quam ipse existimabat, fortissime propugnantem, quum alias sententias parum accuratas, alias etiam falsas, nonnullas denique absurdas sibi videri ostenderet; audivistis eum, quâ erat hilaritate et urbano lepore, ridendo vera dicentem, sed quis unquam clamo-

tem factiosum, quis modo vocem ejus damnatoriam audivit? Certe nullum tale verbum ex ore hujus Viri excidit. Nunquam enim summi Apostoli immemor erat haec praecipientis: *quis tandem es, qui alienum servum damnare audeas? suo ille Domino vel stat, vel cadit* (Rom. XIV, 4.). Per *Weberum* cuique Vestrum licebat, etiam in probatione illâ, quae coram nobis subeunda est, priore, suam sententiam ingenue profiteri, quam si improbandam esse vidisset, benevole eam correxit, neque vero erranti succensuit. Imo vero nostrum esse putavit, sentiendi libertatem etiam in fidei capitibus, dummodo ne in licentiam immoderatam frivolamque verteret, unicuique lubenter concedere. Caelestis autem veritatis vim perspexerat tantam, ut ei nihil metueret, quidquid in Theologiâ nonnulli sive novarum rerum, sive obsoletarum et jam dudum explosarum cupidi molirentur. Opinionum commenta delet dies, veritatis judicia confirmat. *Citius ruet coelum et terra interibit, quam verbum Dei exstinguetur, quod manet in aeternum. Regnabit, qui ad dextram Dei sedet, dum inimicos suos omnes potestati suae subjecerit.*

Verumtamen in biblicâ theologiâ *Weberus* semper ita sibi constabat, ut theologorum decreta, quamvis per longa saecula pro divinis habita et symbolorum adeo nostrorum auctoritate sancita, relinqueret atque intrepide ea in dubitationem vocaret, ubi scilicet diu multumque meditando intellexisset, minime illa Sacris Scripturis esse consentanea. Igitur libere professus est, ecclesiasticum dogma de *trinunitate* doctrinae biblicae certo repugnare, vereque cum eâ conciliari non posse, de qua re vide librum: *Doctrina biblica de naturâ Christi, filii Dei* (Halis 1825.); in loco de sacrâ coenâ non Lutheranorum partes, sed Reformatorum sequutus est, palamque id pronunciavit in libro: *Abgenöthigte Beantwortung* etc., qui Halis 1818. prodiit, mox iterum in alio; *Gift und Gegengift* etc. (Halis 1820.), postremo in ultimo, quem scripsit, h. e. in Eclogarum exegetico criticarum particulâ XVII. p. 426 seqq. Idem *Augustini* commentum de totâ naturae humanae per lapsum *Adami* corruptione libris sacris et Veteris et vero Novi Testamenti sine dubio contrarium esse, quum intellexit, tum etiam docuit, fanaticasque concertationes pro his symbolicis decretis, tanquam pro aris et focis digladiantium ex animo est aversatus. Quin etiam quum impia vox ejusmodi, quâ conjunctio Reformatorum cum Lutheranis pro sacrilegio plane habita esset, pridie, quam moreretur, me praesente, ad aures ejus accidisset, tum vero: bone Deus, exclamavit, in quae tempora nos reservasti! ignosce illis, pater coelestis, tuque, qui

patri assides dexter, nesciunt enim, quid agant; deinde addidit germanice: *Sie eifern um Gott, aber mit Unverstand* (Rom. X, 2.).

In explicandis libris sacris *Ernestii* sui vestigiis ingressus est, cujus tamen „Interpretem" in scholis de arte hermeneuticâ, quas Halis quoque habebat, saepenumero correxit, ut scitis ipsi, qui haec docentem audivistis. Ceterum interpreti *Webero* idem propositum erat, quod doctissimo cuique; ante omnia enim quaesivit, quid usus loquendi postularet, vel saltem ferre posset, quid orationis series, quid scriptoris consilium, quid temporis primorumque lectorum rationes. Numquam omnino aliam interpretationem probavit, nisi grammaticam et historicam. Quemadmodum vero *Ernestius* vanitatem philosophandi, quos interpretari deceret, graviter castigaverat, ita *Weberus* nobiscum vanum illud „*Profundi*" studium risit, quod nunc maxime jactant non satis docti et Grammaticae minus gnari interpretes. Talia enim satis quidem pie dicta esse, vel potius habere aliquem pietatis tinnientem sonum (ipse *frömmelnden Klingklang* appellabat), sed praeterea nihil, ita ut non modo refutatione, sed ne commemoratione quidem digna esse videantur. Sic invictis argumentis philologus, id est justus interpres usus est contra neologos explicatores, id agentes, ut satanam e libris sacris expellerent (exorcistas hos exegeticos nominare solebat), porro miracula in libris sacris tradita tollerent, eisque res vulgares, certe quidem a naturae ordine et causis minime alienas, sufficerent, decreta etiam Servatoris et Apostolorum cum sententiis Kantianis, Fichtianis, Schellingianis, Hegelianis permutarent, ut alias ineptias taceam, quas aetas nostra peperit, mirabiles. De his plures libros scripsit, quorum partim ipse in lucem protulit, partim nondum editos reliquit; sed in omnibus res afferuntur cogitate accurateque pertractatae, cognitu dignissimae.

Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium praestans erat, sed etiam intus domique. Nolo singulas ejus virtutes longius persequi, quae Vobis quidem, Commilitones, notissimae sunt, sed complectar brevi. Primum omnes, qui eo usi sunt familiariter, sciunt, quantâ fuerit erga Deum et Servatorem nostrum pietate. Uti publica sacra frequentare solebat, ita etiam precibus ad Deum factis quemque diem et inchoabat et finiebat. Ubi surrexisset, cantu matutino se suaque omnia Deo commendabat. Plane in hoc viro agnosceres illud, quod crebro usurpatum est: *omnia cum Deo et nihil sine eo, omnia cum Christo et nihil sine isto.* Paucis erat contentus, neque ullo modo appetebat divitias, *ne quidem*, inquie-

bat, *majore Deus afficit laetitiâ, quam alios, qui frumento et musto abundant*, Psalm. IV, 8. Optimus maritus jure permagnum Dei beneficium existimavit, quod sibi contigisset, ut post mortem prioris conjugis, quâcum ei mira fuerat concordia, alteram duceret, quae senectutis adventantis urgentisque molestias summo studio leniret. In deliciis habebat filios doctissimos et optimos, filiasque eximias, quarum una tantum superstes relicta est. Ac nescio, an filii illi, qualis vir fuerit *Weberus*, omnium disertissime ostendant tacitique quasi loquantur. Neque enim fieri potuisset, ut illi primum viri boni evaderent, tum etiam perdocti et in suo quisque literarum genere excellentes, nisi a patre summâ diligentiâ educati essent. Nunc autem exemplum illud doctrinae, continentiae omniumque virtutum, quod eis domi propositum erat, non ignavo animo laudarunt, sed strenue ac fortiter aemulati sunt. Mortem vero conjugis prioris et liberorum aliasque calamitates, quae a longissimâ vitâ abesse non poterant, ita moderate tulit *Weberus*, ut decet hominem christianum. Nihil inveniebatur, quod animum vel inter ipsas miserias hilarem et a Deo O. M., Jesu Christi patre, optima quaeque sperare solitum frangere posset, vel etiam debilitare. Sciebat enim expertus, piis Dei cultoribus omnia conducere (Rom. VIII, 28.). Amicorum erat fidelissimus amicus, cum collegis perpetuo re ipsâ, non solum nomine conjunctus erat; Vosmet ipsi scitis, Cives carissimi, quantum honorem, quantam pietatem ei omnes collegae exhibuerimus. In totâ vitâ comis erat et affabilis, habebatque senex juvenile aliquid, quod eum, nescio, quo modo, magis etiam amabilem redderet ac mire omnibus jucundum. Quam multa meminerat, quam facile sibi audientiam faciebat suavissima juvenilis senis oratio. Scilicet pugnabat tanquam contra morbum, sic contra tristitiam, intentumque animum, quasi arcum, habebat, nec languescens succumbebat. Ita corpore senex videbatur, animo autem fuit nunquam. Paucis horis ante, quam efflaret animam, de rebus theologicis et academicis (erat autem in magistratu) sermones mecum eâdem animi hilaritate contulit, quam semper in eo insignem cognoveram.

Mors ejus placida, obdormivit. A funere suo omnem pompam abesse voluit. Sed quum venissemus collegae, spectatum, ubi conderetur, quumque piae animae ultimum ave diceremus, vestra, Commilitones carissimi, pietas quod sponte veneratis, ut, dum sepeliretur, hymnum caneretis, nos mirifice commovit.

Sit *Webero* terra levis! At Vos, Commilitones, *memores estote doctorum vestrorum, qui verbum Dei vobis tradiderunt, quorum vitam contemplati fidem imitemini!*

Mortis acerbitatem nullo tempore magis sentimus, quam si ereptos nobis subito viderimus, quos carissimos in hâc vitâ habuissemus, et profecto nobiscum pessime ageretur, nisi certâ illâ spe beatae vitae post mortem futurae confideremus. Nunc autem gratissimâ mente generis humani Servatorem veneramur, *qui mortis vim fregit, at immortalitatem vitamque in lucem produxit,* qui idem etiam nos sperare jussit, fore, ut in aedibus patris sui coelestis, *ubi multae sunt habitationes,* aliquando revisuri simus pectora nostra, vitâ ipsâ nobis cariora. Atque haec spes immortalitatis, etsi nunquam ex animis nostris effluere potest, nunc tamen maxime nobis obversari solet atque intimo pectore concepta penitus ab unoquoque sentiri. Instant enim proxime sacri dies, quibus memoriam ejus recolemus, *qui ob peccata nostra morti traditus est, in vitam vero restitutus, ut peccatorum venia nobis contingeret.* Hos igitur dies, carissimi Cives, ita celebrate, ut fidei, spei, amoris fructus inde capiatis uberrimos. *Permaneant haec tria, fides, spes, amor, primas vero partes amor teneat.* Valete.

P. P. Dominicâ Palmarum a. MDCCCXXXIV.

INDEX

locorum sacrae scripturae quae illustrantur.

I Corinth.

Galat.

Ephes.

Philipp.

I Thessal.

Hebr.

I Petr.

I Johann.

II Johann.

Corrigenda.

P. 12. l. 25. l. pastorem. — p. 22. l. 9. l. confundantur. — p. 33. l. 33. l. נֶפֶשׁ. — p. 53. l. 29. l. nimis pro minus. — p. 54. l. 21. l. οὐδὲ ἀνόσιον pro οὐδὲν ἀνόσιον. — p. 57. l. 29. l. nos pro non. — p. 59. l. 15. l. abjudicasse pro adjudicasse: l. 19. excidit quae ante a Deo. — p. 63. l. 18. l. αἷμα. — p. 68. l. 2. l. exploratum. — p. 76. l. 24. l. conscientia. — p. 78. l. 5. l. accommodaret. — p. 83. l. 28. l. quum pro quam. — p. 85. l. 30. l. οὐκ. — p. 107. l. 38. l. ἑώρακά τινα. — p. 113. l. 25. virgulam colloca post διδάσκειν et l. 32. l. ἐγώ εἰμι. — p. 121. l. 19. pone interrogationis signum post v. *Christenthume.* — P. 145. l. 5. l. heres, l. 7. l. Σοῦοι pro Σοῦρι. — p. 148. l. 14. l. Est pro Et. — ibidem l. 36. l. διὰ θεόν pro διὰ θεοῦ. — p. 149. l. 9. l. δὲ pro δὶ. ib. l. 17. profundissimae pro perfundissimae. — p. 151. l. 31. l. τῶν pro σῶν. — p. 152. l. 4. l. denotat et l. 15. ἐστίν. — p. 154. l. 3. l. hos pro hoc. — p. 156. l. 11. l. τὸ μέλλον pro τό μέλλων. — p. 159. l. 29. excidit qui ante non nisi. — p. 163. l. 14. l. p. pro 6. — p. 164. l. 25. dele) post notare. — p. 166. l. 13. l. Hierosolyma. — p. 170. l. 36. pone virgulam post φησί et l. 37 scribe Ἀθήνας. — p. 171. l. 19. l. δοκοῦντας. — p. 174. l. 35. l. transiluisse pro transitu esse. — p. 175. l. 37. l. posset pro potest. — p. 177. l. 19. dele virgulam post explicationem. — p. 183. l. 18. excidit et post esse. — p. 184. l. 23. l. τῷ pro τᾷ. l. 34. XVII pro VII. et l. 40. a pro α. — p. 186. l. 35. pro הֶעֱבִיר primo et tertio loco scribe הֶעֱבִיד. — p. 187. l. 39. l. Conjunctivos pro Conjunctivus. p. 188. l. 4. l. μετεσχημάτισα, l. 5. ἡμῖν et l. 29. infletur pro inflatur. — p. 192. l. 19. l. ὑμᾶς. — p. 193. l. 29. l. adjectum. — p. 209. l. 23. pone virgulam post καιρόν. — p. 210. l. 13. l. δοκούντων. — p. 211. l. 42. l. Miror pro Miron. — p. 213. l. 19. l. מִן. — p. 215. l. 34. l. οὐδέν μοι. — p. 222. l. 6. l. ἐσπούδασα. — p. 233. l. 24. l. הַדָּבָר, l. 26. ἀφιεὶς pro ἀφιεῖς. et l. 34. tolle virgulam post μεγάλαις. — p. 235. l. 25. l. major. — p. 251. l. 3. dele virgulam post vos. — p. 252. l. 7. l. αὐτους. — p. 255. l. 10. l. אָוֶן, l. 25. l. legibus. — p. 261. l. 33. post fateor. adde: (Fortasse in verbis ὑπὸ πεταλέων latet ὑπὸ Θετταλῶν, ut Thessali loquuti sunt.). — p. 262. l. 15. dele virgulam post προσημαίνων. et l. 37. l. suspensa pro suspensos. — p. 264. l. 32. l. et pro ei. et l. 37. εἰρῆσθαι. — p. 265. l. 10. l. scr. (scribe) pro sic. — p. 266. l. 17. l. ἢ pro ἡ. — p. 267. l. 10. l. exornaverit et l. 32. dele apud post solutum. — p. 271. l. 13. l. Apollodoro et l. 38. l. ζυμοῖ pro ζυτοῖ. — p. 272. l. 23. l. Inepta. — p. 289. l. antepen. l. non pro: nono. — Leviora peccata, ut κἀγώ pro κἀγώ, ὅ pro ὃ, eruditus lector tum excusabit, tum ipse corriget.



